

ANNUS
POSTOLICUS

5-6

ERAT DE
BV30
L3
v.3
t.5-6

UC 2427



1080015162

EX LIBRIS

HEMETHERI VALVERDE FELLEZ
Episcopi Leonensis




UANL

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN



DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

E
HEMI



ANNUS APOSTOLICUS

UANL



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

Capilla Alfonsina

Biblioteca Universitaria

®

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ANNUS
APOSTOLICUS

CONTINENS CONCIONES

I. TOYO ADVENTU — II. TEMPORE QUADRAGESIMAE
III. OMNIBUS ET SINGULIS TOTIUS ANNI DIEBUS DOMINIIS
IV. DE SANCTIS

PRÆDICABILES
STILO PERSPICUO ELABORATAS


CLARAQUE METHODO CONCINNATAS

AUCTORE R. P.

Fr. ZACHARIA LASELVE

*Sacrae Theologiae Lector, necnon Provinciae Recollectorum
Sanctissimi Sacramenti seu Tolosanae alumnus.*

EDITIO REVISITA ET ADOPTATA A P. A. SARACENO PRÆSE CONSENSU GR. TAURIN.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

Volumen V.
Conciones pro diebus Dominicis.

A FESTO PENTECOSTES AD DOMINICA I-ADVENTUS

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS


UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN
Edificio de la Universidad y Teller

AUGUSTE TAURINORUM
EX OFFICINA LIBRARIA ECCLESIASTICA
Bq. LAURENTII ROMANO EDITORIS

M. DCCC. LXXXI.

45162

BV 30-
L3
V.3
t.5-6



FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ.

Tarifa - Ex Typ. V. Mex.

DOMINICA PENTECOSTES

DE SPIRITU SANCTO.


Tu quis es? (Joan. 1, 19).

Cum Judei audientes mirabilia magna, quae sanctissimus Christi praecursor operabatur, miserint sacerdotes et levitas, qui studiosa perquirerent, quis ille esset: *Tu quis es?* abs re non erit, si iisdem jam utar verbis, ac sedulo exquiram et petam, quis sit portentosus ille Spiritus, qui hodie super apostolos descendens, tot in coenaculo prodigia operatur. Petitio mea haec, audax quidem, itidem pia erit et sancta. *Audax sane:* cum Sancti Spiritus, qui Deus est absconditus et qui a se solo perfecte cognosci potest, cognitionem inquiram. *Pia tamen et sancta:* cum, sicut Philippus cognitionem Patris, sollicite et ego Spiritus illius, qui a Patre procedit, cognitionem assequi postulem. Nonne justum est, ut pro captu nostro et in spiritu humilitatis indagare satagemus, quid sit ille Spiritus qui erudit nos, roborat nos, vivificat nos et ad omne bonum nos allicit? Nonne aequitati et justitiae consonum, ut investigemus, qui sit ille Spiritus, qui ad nos per gratiam suam venit, ut nos a criminum sordibus lavet, ut justos et sanctos nos efficiat, utque ad opera aeternae gloriae meritoria perducenda nos excitet? Nonne tandem ipsa ratio naturalis a nobis exigit, ut in agnitionem venire ambiamus illius Spiritus, qui Pater

LEAVE, AGR. AP. - Vol. V.

003323

BV 30-
L3
V.3
t.5-6



FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ.

Tarifa - Ex Typ. V. Mex.

DOMINICA PENTECOSTES

DE SPIRITU SANCTO.

Tu quis es? (Joan. 1, 19).

Cum Judei audientes mirabilia magna, quae sanctissimus Christi praecursor operabatur, miserint sacerdotes et levitas, qui studiosa perquirerent, quis ille esset: *Tu quis es?* abs re non erit, si iisdem jam utar verbis, ac sedulo exquiram et petam, quis sit portentosus ille Spiritus, qui hodie super apostolos descendens, tot in coenaculo prodigia operatur. Petitio mea haec, audax quidem, itidem pia erit et sancta. *Audax sane:* cum Sancti Spiritus, qui Deus est absconditus et qui a se solo perfecte cognosci potest, cognitionem inquiram. *Pia tamen et sancta:* cum, sicut Philippus cognitionem Patris, sollicite et ego Spiritus illius, qui a Patre procedit, cognitionem assequi postulem. Nonne justum est, ut pro captu nostro et in spiritu humilitatis indagare satagemus, quid sit ille Spiritus qui erudit nos, roborat nos, vivificat nos et ad omne bonum nos allicit? Nonne aequitati et justitiae consonum, ut investigemus, qui sit ille Spiritus, qui ad nos per gratiam suam venit, ut nos a criminum sordibus lavet, ut justos et sanctos nos efficiat, utque ad opera aeternae gloriae meritoria perducenda nos excitet? Nonne tandem ipsa ratio naturalis a nobis exigit, ut in agnitionem venire ambiamus illius Spiritus, qui Pater

LEAVE, AGR. AP. - Vol. V.

003323

noster est, Deus noster est et merces nostra magna nimis? Iustum quidem, æquum et rationabile, ut inquiramus quis sit ille Spiritus: *Tu quis es?* Queramus ergo et pro viribus explicemus, quis sit Spiritus Sanctus. *Ace.*

Spiritum Sanctum inspicio in altissimo sanctissimæ Trinitatis mysterio, in sanctæ Ecclesiæ sinu et in hominis justi anima. Spiritus Sanctus est in sanctissimæ Trinitatis mysterio, cum sit tertia augustissimi illius mysterii persona, quæ a Patre Filioque procedit et quæ cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur. Spiritus Sanctus est etiam in sanctæ Ecclesiæ sinu, cum eam gratis et auxiliis suis semper foveat et protegat: cumque ad eam missus sit, ut illam invisibiliter gubernet et regat; *Paraclytus autem Spiritus Sanctus, quem mittit Pater* (Joan. 14). Spiritus Sanctus est tandem in hominis justi anima, cum in ea per gratiam suam sanctificantem habitet: *Spiritus Dei habitat in vobis* (1 Cor. 3). Ut autem ad susceptum opus et ad finem intentum veniam, seu ut explicem quis sit ille Spiritus Sanctus, qui hodie super congregatos in cœnaculo apostolos descendit, dicam quid sit *tum* in augustissimo Trinitatis mysterio, *tum* in sanctæ Ecclesiæ sinu, *tum* in hominis justi anima. Videamus ergo. 1. Quis sit Spiritus Sanctus in sanctissimæ Trinitatis mysterio; 2. Quis sit Spiritus Sanctus in sanctæ Ecclesiæ sinu; 3. Quis sit Spiritus Sanctus in hominis justi anima. Tribus his questionibus explicare conabimur, quis sit Spiritus Sanctus: *Tu qui es?*

I PARS.

*Quis sit Spiritus Sanctus in sanctissimæ
Trinitatis mysterio?*

Norunt omnes qui catholicam profitentur fidem, tres in divinitate esse personas, quarum una dicitur Spiritus Sanctus, de quo nunc loquimur. Jamvero ut clarius agnosceatur, quæ sit

divina illa persona, illam considero respectu duarum aliarum personarum, Patris scilicet et Filii, et dico, Spiritum Sanctum esse personam illam divinam, 1. quam Pater et Filius producant; 2. quia Pater et Filius se diligunt; 3. quam Pater et Filius mittunt.

1. Ab ævo decuit sancta romana Ecclesia, Spiritum Sanctum a Patre simul et a Filio, tamquam ab unico principio procedere, et singulis fere diebus in sacrosanctæ missæ sacrificio canit, eum ab utroque procedere: *Qui ex Patre, Filioque procedit*. Et ideo de hac Spiritus Sancti a Patre et Filio processione loquor non tam ut probem, quam ut eam quodammodo explicem. Præclara sunt, quæ hac de re in sancti Athanasii symbolo habentur verba, dum dicitur: *Spiritus Sanctus a Patre et Filio, non factus, non creatus, nec genitus, sed procedens*: quasi dicat, non censendum, Spiritum Sanctum a Patre et Filio esse factum, eodem modo quo opus aliquod ab opifice suo factum est: si enim hoc esset, Spiritus Sanctus non esset Deus, sed opus Dei: *Non factus*. Spiritus Sanctus non est etiam a Patre et Filio creatus: aliter ille non esset omnium Creator, sed creatura: *Non creatus*. Non dicendum tandem, ipsum a Patre et Filio esse genitum: genitus enim esse non potest, cum ex vi processionis suæ non procedat a Patre et Filio in similitudinem naturæ: *Non genitus*. Licet autem ab his non sit factus, nec creatus, nec genitus verum tamen est, quod ab iis procedat, quodque ab iis producat; *non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens*. Alia, æque mirabilia, habet verba sanctus Athanasius, quibus clare et sanctissimæ Trinitatis mysterium et Sancti Spiritus a Patre et Filio processio probantur et explicantur. *Unus, inquit, est Deus Pater et ipse ingentis; unus Filius et ipse unigenitus; unus Spiritus Sanctus et ipse ab utroque procedens* (de pass. Chr. 4). Adnotate, quomodo de tribus sanctissimæ Trinitatis personis loquatur. In Trinitate, ait, unus est Pater et ille nec factus, nec creatus, nec genitus, nec ab alio quoque principio est productus: ita ut, sicut Filius et Spiritus Sanctus suas habent notiones, quibus ab invicem distinguuntur; Filius scilicet distinguitur ab aliis

per filiationem et Spiritus Sanctus per spirationem passivam, sic notio propria Patris est innascibilitas: seu quod ab alia persona divina non sit productus; *Unus est Deus Pater et ipse ingenuus*. In Trinitate est alia persona, quae vocatur Filius; et ille a Patre est vere genitus; atque hæc unica Trinitatis persona est genita, quia Pater æternus hunc generans Filium, in natura sua infinitum, totam exhaustit intellectus sui fecunditatem, ita ut alium Filium generare nequeat: *Unus est Filius et ipse unigenitus*. In Trinitate tandem est alia persona, quæ Spiritus Sanctus dicitur: et iste non est genitus sicut Filius, nec improductus sicut Pater, sed ab utroque procedit et productus est; *Unus Spiritus Sanctus et ipse ab utroque procedens*. Sanctus ergo Spiritus est persona, quam Pater et Filius producant: *est etiam persona, quæ Pater et Filius se diligunt*.

2. Hoc clare docuit divus Augustinus, dicens: *Spiritus est, quo genitus a generante diligitur, genitoreque suum diligit* (de Trin. 6, 51). Idem asserit sanctus Bernardus, cujus hæc sunt verba: *Spiritus Sanctus est Patris et Filii individuum amor*. Sicut enim sapientia, si absolute consideretur, est nomen commune tribus personis, quia omnes infinite sapientes sunt; appropriatur tamen Filio, quia procedit per intellectum, ad quem pertinet sapientia; sic nomen amoris, absolute sumptum, est nomen commune tribus personis; nomen vero amoris spirati, est proprium Spiritus Sancti, quia solus Spiritus Sanctus a Patre et Filio se mutuo amantibus spiratur. Et hæc ratio Spiritus Sanctus est illa persona, quæ Pater et Filius se diligunt, seu quam se invicem diligentes spirant et producant. Quærit Doctor Angelicus, an Pater et Filius diligant se Spiritu Sancto? Cui questioni respondet (1 p. q. 37, a. 2), quod diligere in divinis sumatur essentialiter et notionaliter; si autem, inquit, diligere sumatur essentialiter et prout diligere est quid commune tribus personis, sic Pater et Filius diligunt se essentialiter et non Spiritu Sancto. Si vero diligere sumatur notionaliter, tunc diligere nihil aliud est, quam spirare amorem, sicut dicere est producere verbum et florere est producere flores. Sicut ergo

dicitur arbor florens floribus, quos producit; ita Pater et Filius dicuntur diligentes se Spiritu Sancto, quem se mutuo amantes producant. Et sic Spiritus Sanctus est persona, quæ Pater et Filius se diligunt, quia est persona, quam se diligentes spirant et producant. *Ad hæc Spiritus Sanctus est etiam persona, quam Pater et Filius mittunt*.

3. Spiritus Sanctus est Deus cum Patre et Filio, ab utroque independens et utriusque æqualis. Quamvis autem Spiritus Sanctus Deus sit, independens sit, Patrique et Filio æqualis sit, verum tamen et certum est, eum et a Patre et a Filio mitti. Mittitur a Patre: *Spiritus Sanctus, quem mittet Pater* (Joan. 14). Mittitur a Filio: *Cum venerit Paraclytus, quem ego mittam vobis a Patre* (Joan. 15). A Patre et Filio mittitur Spiritus Sanctus, hoc de fide est. Si ab iis mittitur Spiritus Sanctus, quomodo dici potest, eum esse Deum et independentem? Videtur enim, quod qui mittitur, non sit Deus, et quod ab eo dependeat, a quo mittitur. Ut dubium hoc explicetur, sciendum, quod quis mitti potest quinque modis: 1. per imperium, seu alio imperante, sicut dominus mittit servum; et hæc missio non est in personis divinis, quia sunt omnino æquales, nec una alteri imperare potest. 2. Per modum consilii aut suasionis, seu alio consulente aut suadente; ut quando consiliiarii mittunt regem ad bellum; et hæc etiam missio reperiri non potest in personis divinis: nulla enim persona alieno eget consilio, cum quælibet infinite sapiens sit. 3. Rogando et obsecrando; cum scilicet aliquis rogatur et obsecratur, ut aliquid se conferat; et hæc missio non est in personis divinis; una enim persona aliam rogare non potest, quia qui rogat, est inferior; una autem persona alteri inferior esse non potest. 4. Quis mitti potest missione dicente motum localem; sicut mittitur epistola, vel legatus ad aliquem locum; et hæc missio personis divinis non competit. Cum enim quælibet persona sit ubique, nulla persona mitti potest ad aliquem locum. 5. Est altera missionis species, quam theologi vocant missionem originis, quæ missio nil aliud est, quam alicujus personæ divinæ precedentis manifestatio per aliquem effectum de novo productum in creaturis. Unde quo-

ties aliqua ex personis divinis, quæ ab alia procedit, novum aliquem effectum producit in creatoris, toties illa persona mitti dicitur ab illa persona, a qua procedit et originem ducit, licet ab illa non dependeat, nec illa minor sit. Ex quo patet quod Pater æternus non mittatur, quia ab alia persona non procedit; Filius vero a Patre mittitur, quia ab eo procedit, tuncque a Patre missus est, cum naturam humanam assumpsit. Tandem Spiritus Sanctus a Patre et Filio mittitur, quia ab utroque procedit, tuncque ab eis mitti dicitur, cum novos in nobis producit effectus invisibiles, vel visibiles: *invisibiles* per gratias internas quas nobis communicat; *visibiles*, cum iam sub forma ignis, iam sub specie columbe et iam sub figura venti vehementer appareat. Unde Spiritus Sanctus mittitur missione originis visibiliter et invisibiliter; *visibiliter*, cum effectus visibiles, et *invisibiliter*, cum effectus invisibiles operatur. Sanctus ergo Spiritus non solum est persona, quam Pater et Filius producant et qua se diligunt, est etiam persona, quam mittunt. Ecce quis sit Spiritus Sanctus in sanctissimæ Trinitatis misterio. Videamus, quis ille sit in sanctæ Ecclesiæ sinu.

II PARS.

Quis sit Spiritus Sanctus in sanctæ Ecclesiæ sinu.

Sancta Ecclesia catholica dici potest corpus, navis et regnum. *Est corpus mysticum* mirabiliter compactum: *est navis* variis jactata tempestatibus: *est regnum* a Christo Salvatore constitutum. Ut autem notam faciam, quis sit Spiritus Sanctus in sinu Ecclesiæ, dico, quod sit 1. Anima illius corporis: 2. Gubernator navis illius: 3. Rex hujus regni.

1. Ecclesia, ut dicunt sancti Patres, est corpus mysticum et mirabile ex variis membris compactum. Christus est ejus caput: *Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius* (Ephes. 1, 22). Sanctissima Virgo Maria est hujus corporis collum, quia sicut a capite ad inferiores corporis

partes per collum descendunt spiritus animales, ita a Christo, Ecclesiæ capite, ad fideles per Mariam veniunt gratiæ coelestes. Prelati dicuntur hujus corporis oculi, quia commissio sibi gregi invigilare debent. Doctores sunt ejus lingua, quia per eos nobis Ecclesia loquitur et scripturas interpretatur. Misericordes tandem sunt corporis hujus pedes et manus, quia hi currunt et laborant, ut pauperum, infirmorum et aliorum miserorum necessitatibus subveniant. Ecce mysticum Ecclesiæ corpus, quod reipsa preclarum est. Verum quæ est hujus corporis anima? Illius anima est Spiritus Sanctus, qui eadem Ecclesiæ, quæ anima corpori, officia impendit: *quod est anima corpori hominis, hoc est Spiritus Sanctus corpori Christi, quod est Ecclesia* (S. Aug. s. 2 de fer. 2 Pentec.). Luculenter dixit S. Augustinus, Spiritum Sanctum in sanctæ Ecclesiæ mystico corpore eadem obire munia, quæ anima rationalis in humano corpore obit: *hæc agit Spiritus Sanctus in tota Ecclesia, quod agit anima in omnibus membris unius corporis*. Quod quam verum sit, pateat, ut animadvertebam, anime in corpore humano operationes triplicis esse generis; alie enim ejus operationes sunt vitales, animales alie et alie rationales. Spiritus Sanctus autem eandem in mystico Ecclesiæ corpore operationes habet; *vitales quidem*: cum illud vivificet, illudque vita gratiæ vivere faciat: *animales etiam*; cum illud adversus tyrannos et aereas potestates roborat; *rationales tandem*: cum fidelium intellectibus omnium veritatum ad salutem necessariarum notitiam infundat (Joan. 16): *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*. Cum igitur Spiritus Sanctus eandem in mystico Ecclesiæ, quæ anima rationalis in humano corpore, functiones exerceat, fatendum, quod Spiritus Sanctus sit mystici Ecclesiæ corporis anima. *Ecclesia est etiam navis, cujus Spiritus Sanctus est gubernator*.

2. Totus terrarum orbis est procellosum mare, in quo sancta Christi Ecclesia enatat quasi navis omni tempestatum generi exposita. Eam quidem navem esse dicunt summi Pontifices, sanctique Ecclesiæ Doctores; eamque tot agitatum tempestatibus, tot procellis jactatam fuisse constat, ut naufragium passura vi-

deretur: *ita ut navicula operiretur fluctibus* (Matth. 8, 14). Quos, quæso, fluctus, quasve tempestates adversus Ecclesiam non excitarunt Nero, Domitianus, Diocletianus, Traianus, Maximinus, aliique plures imperatores, principes et tyranni, qui eam ferro et flammis, omnique suppliciorum genere extinguere conati sunt? Quid adversus eam moliti non sunt Simon magus cum Simoniacis, Arius cum Arianis, Pelagius cum Pelagianis, Nestorius cum Nestorianis, Macedonius cum Macedonianis, Luther et Calvinus cum Lutheranis et Calvinisticis: ac tandem omnes heresiarchæ cum suis sectatoribus? Nonne quotidie jactatur a propriis filiis, qui eam criminibus suis dedecorant, qui leges ejus violant et qui adversus eam se protervos et rebelles exhibent? Quibus eam procellis non jactabit Antichristus? Certe si bene spectetur Ecclesia, navis quidem dicenda; est autem navis quæ semper fuit, semper est, semperque variis persecutionum agitata erit fluctibus. Attamen adversi quique bent persecutionum venti, commoveant mare et plenitudo ejus; sæviant tyranni; blaterent hæretici; ipsi quoque demones, quantum poterint, tempestates adversus Ecclesiam excitent; illa semper triumphum agat, nec unquam submergetur: quia navis illius gubernator est Spiritus Sanctus, qui mari dominatur et omnes persecutionum fluctus adversus Ecclesiam excitationes mitigare et comprimere novit: *Tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuum ejus tu mitigas* (Ps. 88, 10). Cum aliis multis ait sanctus Ambrosius, Ecclesiam esse navim, quæ nullum pati potest naufragium: *navis est Ecclesia, quæ nunquam potest sustinere naufragium* (l. de Salom. 2). Cujus rei rationem proposito nostro idoneam subdit, dicens, eam pati non posse naufragium, quia *in arbore ejus, id est in cruce, Christus erigitur, in puppi Pater residet gubernator, proram Paraclytus servat Spiritus Sanctus*. O quam tuta et secunda manet hæc navis in mediis tempestatibus et persecutionibus, cum tres sanctissima Trinitatis Personæ saluti ejus invigilent, ac Spiritus Sanctus, ut gubernator, eam regat! gubernator proram Paraclytus servat Spiritus. Tandem Ecclesia est regnum, *cujus rex est Spiritus Sanctus*.

3. Ecclesia catholica est regnum mirabile, quod terrena omnia regna superat amplitudine, duratione, incremento, legibus et Regis eminentia. *Amplitudine*, quidem, quia alia orbis regna singula non nisi partem aliquam orbis, eamque exiguam continent. Ecclesia vero omnes mundi nationes, etiam prius incognitas, imperio suo subdidit aut si que adhuc supersunt, imperium sibi subjiciet. *Duratione*, quia alia omnia orbis terrarum regna aut cito perierunt, aut cito peribunt: Ecclesie vero Christi regnum a mille sexcentis nonaginta et amplius annis (1) stetit, ac stabit in æternum, seu usque ad mundi exitum. *Incremento*, quia alia regna ampliantur armis, opibus, fraudibus, aut variis politicorum stratagematibus. Ecclesia vero ad portentosam amplitudinem venit per crucem et contemptum opum, honorum et voluptatum; per doctrinam novæ et difficilis predicationem; imo et per varias tyrannorum persecutiones et per effusionem sanguinis multorum milium martyrum. Et ideo Tertullianus ait, quod *sanguis martyrum, semen est christianorum* (in Apol. c. ult.). Alia ergo regna mirabili suo incremento superat Ecclesia; ea etiam superat *legibus suis*: aliorum enim regnorum leges ad republice pacem, conservationem, augmentum et terrenam prosperitatem procurandam solummodo spectant; et ideo in eorum legibus aliqua nonnunquam absurda et iniqua permiscetur. At Ecclesie leges peccata omnia vitare jubent, omnem injuriam cavent; omne malum prohibent; omnem sanctimoniam, innocentiam, castitatem et perfectionem præscribunt, et Dei cultum imprimis urgent. Nec mirum, si tam sanctæ sint Ecclesie leges, cum illius regni rex sit ipse Spiritus Sanctus, qui invisibiliter illi præest, illudque regit et gubernat. Ecclesia visibiliter præerat Christus; antequam in cælum ascenderet; hic fuit Rex, qui illud regnum instituit, ac visibiliter rexit: postquam in cælum ascendit, misit Spiritum sanctum, ut hinc

(1) Auctoris pro hæc erat Ecclesia ætas; modo dixeris a mille octingentis octoginta et amplius annis stetit. N. E.

regno invisibiliter præset. Unde fideles indesinenter Spiritus Sancti auxilium implorant, illamque ut Regem suum invocant. Et in Conciliis generalibus, quæ universam Ecclesiam representant, invocatur et advocatur Spiritus Sanctus, ut præses et rex invisibilis: ejus gratia petitur et omne quod determinatur, ejus determinatione definitur. Unde apostoli in primo Concilio, ab ipsis congregato, sic determinationem suam explicarunt: *Visum est Spiritui Sancto et nobis* (Act. 15, 28); quasi dicant: *Visum est Spiritui Sancto*, qui Concilio nostro præfuit, et qui toti Ecclesie præest, ut Rex illius, *et nobis*. Ecce quis sit Spiritus Sanctus in sinu Ecclesie. Videamus, *quis ille sit in anima hominis justi*.



III PARS.

Quis est Spiritus sanctus in hominis justi anima.

Cum apostoli essent simul in cœnaculo congregati, Spiritus Sanctus ad eos venit sub specie venti, linguarum et ignis: *sub specie venti* validi et vehementis, *linguarum* dispersitarum, *et ignis* super capita eorum descendens. *Factus est repente de celo sonus, tanquam adveniens Spiritus vehementis. Et apparuerunt illis dispersitæ lingue tanquam ignis* (Act. 2, 3). Externa hæc signa et symbola indicant, quis sit Spiritus Sanctus in anima justi; in ea enim est lingua, ignis et ventus. Est 1. *lingua* divina, quæ eum erudit; 2. *ignis sacer*, qui eum accendit; 3. *ventus* celestis, qui eum ad virtutem excitat.

1. Per doctores, concionatores et confessorios exterius erudimur, verba tamen eorum nil aliud essent quam verba per aërem volantia, si intus non loqueretur Spiritus Sanctus et quæ salutis sunt, nos non doceret; ipse est doctor internus et lingua divina in corde hominis justi loquens, quæ eum de mysteriis fidei erudit, eumque omnia ad salutem necessaria docet: *cum autem venerit ille Spiritus veritatis*, inquit Christus,

docebit eos omnem veritatem (Jo. 16, 13). Quasi dicat: Spiritus Sanctus erit veluti lingua quedam interna, quæ in cordibus vestris loquetur, vosque omnem docebit veritatem: non omnem simpliciter et absolute, ut exponit Doctor Angelicus, sed omnem veritatem ad salutem necessariam. S. Bernardus ait, quod quatuor spiritus in hominis corde loquantur; *spiritus mundi*, *spiritus carnis*, *spiritus diaboli*, *spiritus Dei*. Cum in corde vocem audis, quæ ad vanitatem, ad superbiam et ad ambitionem te vocat, hic est mundi spiritus, qui in corde tuo loquitur: *spiritus mundi*. Cum internam audis vocem, dicentem tibi, ut carnis voluptatibus indulgeas, corporis deliciis incumbas, pravis carnis affectibus acquiescas, hic est carnis spiritus: *Spiritus carnis*. Cum in te excitantur motus odii, iracundiæ et vindictæ; ecce spiritum dæmonis: *spiritus diaboli*. Postromo cum intus audis vocem bonæ et sanctæ suadentem, de faciendis et vitandis te monentem, ad virtutes sectandas te monentem, teque de rebus salutis erudientem; ecce *spiritum Dei*; ecce linguam Spiritus Sancti. Vere ergo Spiritus Sanctus in corde hominis justi est lingua divina, quæ eum erudit; *est etiam ignis sacer, qui eum accendit*.

2. Equidem, inquit S. Bernardus, Spiritus Sanctus est lingua, quæ hominem justum erudit; ipse est etiam ignis, qui cor ejus accendit et inflamat: *intellectum illuminat et affectionem inflamat*. Quære a S. Leone, summo pontifice, quis sit Spiritus Sanctus? respondebit esse sacrum ignem, qui iustorum corda ardentè inflamat: *Spiritus Sanctus sacrata pectora fervore accendit*. Vides hominem, qui propter Deum terrena cuncta despicit, qui mundi gloriam pro nihilo habet, qui omnes sæculi divitias veluti stercorea, omnes ejus delicias tanquam supplicia, omnesque honores ut dedecus inspicit; Spiritus Sancti igne ille exardescit. Vides alium, qui nil nisi amorem sacrum spirat, qui semper de Deo cogitat, de Deo loquitur, et ad Deum amoris affectu fertur; illius cor Spiritus Sancti igne inflammatur. Vides alios, qui propter Deum corpora feris discerpenda, flagellis dilanianda, rotis terebranda, ignibus cremenda et omnibus suppliciis torquenda exponunt; eorum sane

corda Sancti Spiritus igne uruntur. Ad hæc nonne quandoque cor tuum ad virtutem sectandam pronum, promptum ad ea faciendâ quæ salutis sunt, Deique amore accensum experiris? Internus ille ardor est a Spiritu Sancto, qui ignis est corda justorum accedens. *Spiritus Sanctus sacrata pectora fervore accendit. Denum Spiritus Sanctus est ventus celestis, qui justum ad virtutem excitat.*

3. Hodie Spiritus Sanctus super apostolos descendit cum spiritu, seu vento valido et vehementi, non solum ad designandum quod sicut ventus aëram purgat, sic Spiritus Sanctus animam purgat a peccatis; verum etiam ut discamus, quod sicut ventus naves impellit, ita et Spiritus Sanctus justorum corda ad bona opera perficiendâ et ad virtutem sectandam excitat. Hoc vento cientur et aguntur viri justî. *Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei* (Rom. 8). Justî autem hoc Spiritus Sancti vento aguntur, non ut ipsi nihil agant, imò ut agant et virtutis operibus sedulo vacent. *Justi*, inquit D. Augustinus, *spiritu Dei aguntur ut agant, non ut ipsi nihil agant* (*de corr. et grat.* 2). Justî hoc Spiritus Sancti vento aguntur, non ut sapiantur, non ut desides, ignavi, inertes et ad bona opera inepti fiant, invero ut ad charitatis, humilitatis, patientiæ et omnium virtutum opera exeitentur et impellantur. Scitis quæ et quanta operaretur Sampson: jam enim leones, quasi hædos, in frusta discerpebat; nunc funes, quibus ligabatur, facile solvebat, et quasi stupe flum rumpebat; nunc, atrepta una asini maxilla, hostes proligabat, neque minus quam mille occidebat. Nunc utraque manu apprehensis et concussis columnis, quibus innitebatur domus, eam evertebat, aliaque multa portentosa peragebat, antequam vero talia operaretur, irruerat in eum Spiritus Domini, qui eum ad talia agenda impellebat et adjuvabat: *Iruebat Spiritus Domini in Sampson*. Sic cum justî mundo valedicunt, terrena cuncta abjiciunt, se Deo per vota religionis consecrant, ardua humilitatis, charitatis, vel aliarum virtutum opera faciunt, hoc agunt flante Spiritu Sancti vento, qui eos ad talia excitat. Ecce quis sit Spiritus Sanctus in sanctissimæ Trinitatis mysterio, in Ecclesie sinu, et in hominis justî anima.

Superest solum, ut quisque Spiritum Sanctum ad se attrahat: quid enim proderit nosse, quis ille sit, si eum ad nos non atrahamus, ut in nobis operetur? Divinum ergo hunc Spiritum ad vos trahere satagite, et ut eum ad vos atrahatis, videte quomodo illum apostoli ad se traxerint. Apostoli puri erant, et puritate sua Spiritum Sanctum ad se traxerunt; sic et vos purificate corda vestra et ut Spiritum Sanctum ad vos trahatis, animas vestras ab omni mortalis peccati inquinamento mundate, quia Spiritus ille bonus non habitabit in corpore subdito peccatis. Ipsi etiam *erant omnes pariter in eodem loco*, eorumque unum erat cor, et una anima; sic, ut ad vos Spiritum Sanctum alliciatis, omne odium deponite, injurias condonate, proximum diligite. Ipsi tandem erant perseverantes in oratione; sic, ut Spiritum Sanctum ad vos vocetis, orate attente, orate ferventer, orate perseveranter, et Deus, qui dat spiritum suum bonum debite postulantiibus, dabit vobis Spiritum Sanctum, qui ad vos per gratiam suam veniet, et qui vos ad celestia regna perducet. *Amen.*

DOMINICA TRINITATIS.

DE SANCTISSIMA TRINITATE.

Tres sunt qui testimonium dant in celo: Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt (1 Ioan. 5, 7).

Non hodie de sanctis martyribus et confessoribus, non de apostolis et evangelistis, non de angelis et archangelis, vel de alia aliqua creatura, de altissimo sanctissimæ Trinitatis mysterio instituendus est sermo. Ardum sane opus, ad quod digne pertractandum non Hieronymus, non Augustinus, non Principatus et Potestates, imò nec ipsi Seraphim idonei et sufficientes

sunt. *Vox silet; non mea tantum, sed etiam angelorum* (S. Ambr. *de fide* 5). Ite! si doctores celeberrimi, præclarissimi concionatores, ac ipsi sancti Ecclesiæ romanæ Patres de Joanne Baptista, de Petro, Bartholomæo et aliis viris sanctis dicere pertimerunt, quis adorandum sacrosanctæ Triadis mysterium digno prosequatur eloquio? Meam hac in parte fateor infirmitatem, ac libenter a tanta materia pertractanda abstinerem. Quia tamen concionatores parati esse debent ad reddendum rationem de ea, quæ in nobis est, fide, stylo humilli et omni quo potero ordine, de arcano hoc mysterio disserere conabor. Vana curiositate ductus in sanctissimæ Trinitatis sanctuarium non intrabo, ut ibi recondita et abstrusa nimis arcana scrutari pertentem, quia haud dubie opprimar a gloriâ. Fidei principis innoxia ea de Trinitate dicam, quæ ad Dei gloriam, mysterii notitiam, et auditorum utilitatem conferre censebo. Quam finem ut consequi valeam, rogemus Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, ut mihi faveant, mediante Dei Genitricis intercessione. *Ave.*

Incarnationis, nativitatis, passionis et resurrectionis Christi mysteria incomprehensibilia, credibilia et adoranda sunt. *Incomprehensibilia* quidem, quia humana mens concipere non valet, quomodo Verbum divinum sine ulla majestatis suæ jactura, sine ulla sui mutatione, ac idem in seipso manens, humanam naturam assumere, nasci, pati et resurgere dicatur. *Credibilia*, quia licet hæc humanam rationem superent, nil tamen contra rectam rationem continent: ac tot oraculis, tot miraculis, toto testimonio confirmantur, ut credibilia facta sicut nimis: nec aliquis sanæ mentis de his dubitare possit. *Adoranda*, quia in his omnibus nobis proponitur Verbum incarnatum, seu Christus Dei Filius, quem non solum homines, verum et angeli adorare debent: *adorent eum omnes angeli Dei.* Quod autem de præfatis mysteriis jam diximus, eodem, vel potiori jure de altissimo Trinitatis mysterio dicenda sunt; istud enim mysterium præ omnibus aliis incomprehensibile videtur, non minus quam alia credibile, ac simul cum aliis est adorandum. Istud mysterium ita incomprehensibile est, ut ab humana

et angelica mente nullo modo comprehendi queat; ita credibile, ut de eo nullus dubitare possit; ita adorandum est, ut supremas laetræ cultus ei denegari nequeat. Sanctissimæ Trinitatis mysterium est 1. incomprehensibile; 2. credibile; 3. adorandum. En tres huius concionis partes.

I PARS.

Sanctissimæ Trinitatis mysterium est incomprehensibile.

Sanctissimæ Trinitatis mysterium admirabile, ineffabile et incomprehensibile esse docet sanctus Augustinus, dicens: *Trinitas supermirabilis, supernarrabilis et superincomprehensibilis.* Incomprehensibile quidem Trinitatis divinæ mysterium, quia si Deus unus, quomodo trinus? Si trinus in personis, quomodo unus in natura? Si Pater, Filius, et Spiritus Sanctus sunt unum et idem, quomodo Pater generat, et non Filius, quomodo Pater et Filius producent, et non Spiritus Sanctus? Hæc sane sunt incomprehensibilia. Dicat quis, an concipiat, quomodo eadem Divinitas in tribus personis subsistat, et tamen tres ille personæ, non tres, sed unus sint Deus? Quomodo Pater non sit unus cum Filio, nec Filius unus cum Spiritu Sancto, licet Pater, Filius et Spiritus Sanctus unum sint? Quomodo Pater Filium, et Pater cum Filio Spiritum Sanctum producat, et tamen Pater Filio, et Filius Spiritu Sancto non sit antiquior? Hæc omnia humane mentis aciem superant. Velin, ut omnes philosophorum academiae, et subtilissimi quique Theologi altissimum sanctissimæ Trinitatis mysterium scrutentur, meditentur, speculentur, nunquam concipient, quomodo fieri possit, ut cum Patris, Filii et Spiritus Sancti idem sit intellectus, hic tamen intellectus sit in Patre fœcundus, quia generat Filium; in Filio vero et Spiritu Sancto sit sterilis, quia Filius et Spiritus Sanctus alium Filium per intellectum non generant. Quod dixi de intellectu, de voluntate pariter dicendum est; quomodo scilicet fieri possit, ut voluntas, quæ in tribus personis

eadem est, in Patre et Filio sit fecunda, quia per voluntatem producat Spiritum Sanctum: sit autem sterilis in Spiritu Sancto, quia hic non potest alium Spiritum Sanctum producere. Hæc et alia multa in sanctissima Trinitate latent mysteria, quæ ab hominibus explicari et concipi nequeunt; Trinitas est *superincomprehensibilis*. Quodlibet divinitatis mysterium est quasi abyssus magna, quam humana mens solo lumine naturali vix penetrare potest: *judicia tua abyssus multa*. Cum autem altissimum sanctæ Triadis mysterium contemplari volo, nil nisi abyssos multas, easque impenetrabiles in eo intueor; abyssos video in Patre, abyssos in Filio, abyssos in Spiritu Sancto. *De Patre* dicimus, quod producat Filium: quis explicet quomodo illum producat eandem in natura individua? Quomodo ei eandem numero naturam, non tamen personam suam communicet? Quomodo, cum Pater sit infinite fecundus, alium Filium producere nequeat? Ecce abyssos impenetrabiles. *De Filio* certum est, quod a Patre sit genitus; quis concipiat quomodo a mente fecunda Patris generetur? Quomodo genitori sit coæternus? Quomodo ipse alium Filium gignere non possit? Hæc sunt abyssus impenetrabiles. *De Spiritu Sancto* docet fides, quod a Patre et Filio procedat; quis capere valeat, quomodo Spiritus Sanctus non possit dici Filius Patris a quo producitur? Quomodo ipse generare et spirare non possit, licet non minus potens sit, quam Pater et Filius? Quomodo ipse, cum sit æternus, ab aliis sibi coæternis procedat? Sicut enim homo oculis corporæis obvium sibi terræ superficiem videt, at videre non potest abyssos multas in terræ situ reconditas, ita homo mentis suæ oculo rimari quidem potest multa nature secreta, Dei etiam existentiam et unitatem solo lumine naturali cognoscere valet; abyssos vero in sanctissimæ Trinitatis mysterio reconditas penetrare nequit; non est ei possibile illas solo nature lumine concipere. *Impossibile est per rationem naturalem ad cognitionem Trinitatis pervenire* (D. Tho. I. p. q. 32). Scio, quod nonnulli Doctores multis utantur similitudinibus, symbolis, comparationibus et figuris, ut aliquam sanctissimæ Trinitatis notitiam

mentibus nostris ingerant. *Aliqui* ad hunc finem utuntur comparatione solis, in quo tris considerant, ipsam scilicet solis substantiam, radium et calorem, ac dicunt, quod sicut sol a nulla creatura factus est, ita Pater æternus a nullo procedit; sicut radius a sole oritur, ita Filius a Patre generatur; sicut calor a sole et radio progreditur, ita Spiritus Sanctus a Patre et Filio procedit. *Alii* utuntur similitudine fontis, ac dicunt, quod sicut fons generat rivulum, ita Pater generat Filium; quod sicut fons et rivulus faciunt stagnum, ita Pater et Filius spirant Spiritum sanctum: quod tandem sicut in fonte, rivulo et stagno est eadem aqua, ita in Patre, Filio et Spiritu Sancto est eadem substantia. D. Augustinus, ad explicandam sanctissimam Trinitatem, utitur analogia animæ rationalis, et trium potentiarum ejus. « Sicut, inquit, Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus, non tres Dii, sed unus Deus habens tres personas; ita et anima est intellectus, et anima est voluntas, et anima est memoria: non tamen tres animæ, sed una anima tres habens dignitates et facultates. Hæc quidem, et alie plurimæ similitudines, quæ adduci solent, sanctissimæ Trinitatis mysterium aliquo modo explicant, non vero perfecte: illud quodammodo nobis aperiunt, non patefaciunt; aliquid lucis animis nostris afferunt, non perfectum diem. Sicut enim nocte serena singule stellæ firmamento affixæ aliquam lucem habent, non tamen tantam, ut noctem tollant, et diem faciant; ita quælibet ex iis similitudinibus aliquam nostris lucem ingerit: non tamen tantam, ut per eam Trinitatis mysterium clare cognoscamus, ac perfecte concipiamus: illud enim ratione naturali comprehendere nobis est impossibile. *Impossibile est per rationem naturalem ad cognitionem Trinitatis pervenire*. Nec de hoc dubitabit, qui sciet, nec ipsos angelos altissimæ Trinitatis mysterium comprehendere; non Raphael, non Michael, nec supremi quique Seraphim illud perfecte capiunt. Trinitatem indesinenter contemplantur, laudant et adorant: Trinitatem non comprehendunt, quia sola Trinitas seipsam integre cognoscere valet, ejusque cognitio exsuperat omnem intellectum creatum, etiam angelicum; *Soli tibi Trinitas inte-*

gre nota es, *supersensualiter exsuperans omnem intellectum, etiam angelorum* (Aug. in Soliloq. 31) (1). Verum est, quod supernæ illæ intelligentiæ, mentis acie perspicacissimæ ac beatifico lumine illustratæ, Trinitatem continue intuentur, et clarissime conspiciant: non tamen illam comprehendunt. Sicut enim qui in maris littore consistit, mare clare intuetur, insurgentes fluctus, variosque ejus motus adnotat; oceanum tamen visu suo non complectitur, ita angeli Trinitatem assidue vident, eam facie ad faciem contemplantur, in ea perfectionum oceanum deprehendunt, illam tamen mente comprehendere nequeunt, quia Trinitatis mysterium angelicum intellectum superat, et ipsis angelis est incomprehensibile. Heu! quanto minus tantum mysterium comprehendunt homines infirmi, homines ignari, qui in mediis ignorantie tenebris ambulant? Certè de tanto mysterio judicant homines, sicut cæcus de coloribus. Dic homini a natiuitate cæco, corvum esse nigrum, cyenum esse album, et ignem esse flavum; sciet ille, quod corvus sit niger, cyenus albus, et ignis flavus: non autem concipiet, quid sit esse album, nigrum et flavum, nec aliquam horum colorum ideam habebit. Sic cum quis dicit, in Divinitate esse tres personas cœternas et cœquales, quarum una est Pater, alia Filius, alia Spiritus Sanctus: quarum una non producit et producit, alia producit et producit, et alia producit et non producit; et tamen quod trium illarum personarum una est natura, ea capere non possumus; hæc mentes nostras transcendunt. Nec mirum, si altissimum sanctissimæ Triadæ myste-

(1) Prestat hic afferre integrum textum illius soliloqui, e quo desumpta sunt verba allata: multum enim valent ad nobis grandem ideam efformandam illius altissimi mysterii. En igitur: «Soli quidem tibi Trinitas integre nota es; Trinitas sancta, Trinitas supermirabilis, et superinarrabilis, et superinscrutabilis, et superinaccessibilis, et superincomprehensibilis, superintellegibilis, supersensualis, et supersensualiter exsuperans omnem sensum, omnem rationem, omnem intellectum, omnem intelligentiam, omnem essentiam supercoelestium animarum, quam neque dicere, neque cogitare, neque intelligere, neque cognoscere possibile est, etiam oculis angelorum». N. E.

rium homo capere non possit, cum nec terrena, corporea, et ea quæ sub sensu cadunt, capere valeat. Dic, o philosophe, dic, o sciole, qui Trinitatis mysterium penetrare satagis, dic, si capias, quomodo basiliscus solo intuitu hominem occidat? Quo pacto salamandra in igne vivat, et illæsa maneat (1)? Quomodo remota magnam navim plenis velis volentem, in medio motu subito sistat? Qua virtute magnes ferrum ad se trahat? Qua arte araneæ sua tela conficiant? Quis hactenus ventorum naturam, maris æstum, et varios colorum motus perfecte novit? Facillora attingant; nostine ex qua materia conficiatur oculus unius aricula: quot in eo sint tunicæ: quot humores, et quomodo objecta sibi obvia videat? Nostine, ex quo consistet unius apis ala, an ex partibus, ac ex punctis? Hæc, et alia innumera, quæ trita, et nullius momenti videntur, mens humana concipere nequit: quomodo ergo concipiet altissimum et reconditum sanctissimæ Trinitatis mysterium? Hoc ei est impossibile. Sicut enim impossibile est, quod totum cœlum dextera mea comprehendam, quia manus mea infinite minor est cœlo: ita impossibile est, ut mens humana, cujus notitia exigua est et limitatibus septa, altissimum, æternum, profundum, et immensum Trinitatis mysterium comprehendat. Quamquam vero hoc mysterium sit incomprehensibile, est tamen credibile, et firmiter credendum.

Sanctissimæ Trinitatis mysterium est incredibile.®

Sanctissimæ Trinitatis mysterium non nobis credibile videbitur, si solas creaturas in hoc mundo existentes interrogemus,

(1) Reconsita superiora portenta haud amplius recipiantur a recentioribus historicis naturalis cultoribus; ideo ad rem non faciunt. Absque hisce tamen potentiis habentur alia plurima naturæ mysteria, ex quibus superior argumentatio firmari potest.

quia creaturæ Deum quidem existere prædicant, eumque infinite sapientem, bonum et potentem esse suadent: eum trinum esse non arguunt. Sicut cum aliquam cernimus statuum egregie elaboratam, ex ejus pulchritudine et perfectione facile inferimus, hominem, a quo facta est, esse peritum et industrium; non tamen inde cognoscimus, an sit nobilis vel rusticus, an audax vel ignavus; ita cum mundi creaturas aspiciamus, cum colum, solem, stellas et alia Dei opera contemplantur, ex his Deum, a quo hæc facta sunt, esse omnipotentem et infinite sapientem facile conjectamur et credimus; hæc autem nullo modo indicant, nec ad credendum inducunt, Deum esse trinum, et tres in Divinitate esse personas. Sanctissimæ quidem Trinitatis mysterium non fit credibile contemplatione creaturarum, quæ a Deo factæ sunt; neque etiam per sensum nostrorum operationem, quia sensus nostri non de spiritualibus, quæ sunt extra spheram activitatis eorum, solummodo de coloribus, de rerum corporearum figuris, et de aliis accidentibus externis judicant. Quare sicut Abraham, Deo unigenitum sacrificaturus, servos ad montis radices reliquit, ita si ascendere velimus montem contemplationis, ad indagandum sanctissimæ Trinitatis mysterium non adducende, imò penitus ablegandæ omnes sensuum operationes. Quid de intellectu nostro? Poterit ne altissimum sanctæ Triados mysterium investigare, illudque rationibus nobis credibile reddere? Certè si intellectus noster per se solum absque auxilio supernaturali tantum mysterium scrutari suscipiat, in vanum laborabit, et opprimetur a gloria. *Qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria* (Prover. 25, 27). Sicut enim qui fixis oculis solem aspicere pertentaret, non perspicaciore, e contra forte cæcus evaderet; ita qui inaccessum sanctissimæ Trinitatis lumen sola ratione naturali contempleretur, majorem tantum mysterii notitiam assequeretur; minime potius in majorem ejus ignorantiam, et forte in errorem deveneret, quia, ut ait S. Gregorius Nazianzenus, quanto magis solo lumine naturali Trinitatem agnoscere pertentamus, tanto minus eam agnoscimus; *quantum Deus percipitur, tantumdem se subducit*. Si autem nec per creaturas, nec per sensus,

nec per solam intellectus nostri operationem nobis credibile fiat sanctissimæ Trinitatis mysterium, a quo fiet credibile? a Dei utique revelatione, qua posita, non solum hoc, verum et omnia mysteria credibilia, certissima, et absque ulla hesitatione credenda sunt. Quod ut cuique perspicuum fiat, dic, quæso, nonne verum est, quod certo credas, esse aliquam urbem, quæ Roma dicitur? Hoc credis: ac ita credis, ut nullo modo de hoc dubites, nec in controversiam vocare hoc auderes, non stultus videreris. Quare credis existere Romam, quam nunquam vidisti? Hoc credis propter revelationem hominum: hoc credis quia omnes homines dicunt, Romam esse. Unde, posita hæc hominum revelatio, sic tuus ratiocinatur intellectus. Viri sapientes, viri non mendaces, ac fere omnes homines dicunt, Romam esse: ergo certissime credo, Romam existere. Optima quidem hæc videtur ratio. Si vero credis hominibus dicentibus, Romam esse, cur non credes Deo, qui est suprema veritas, quique fallere et falli omnino non potest? Cur, inquam, non credes Deo revelanti et dicenti, tres in Divinitate esse personas? Certum et evidens est, quod Deo magis quam hominibus credendum sit. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est* (1. Joan. 5, 9). Cum igitur Deus revelaverit, tres in divinis esse personas, non ambigendum, non dubitandum, sed firmiter credendum. Inquiramus ergo, an Deus hoc revelaverit; evolvamus sacram Scripturam, quæ est liber, quo Deus hominibus loquitur, pervolvemus eam, ut sciamus quid Deus de sanctissima Trinitate dixerit. In ipso sacra Scripturæ principio legitur, quod cum Deus primum hominem creare voluit, dixit: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (Gen. 1). Quod indicat pluralitatem personarum; si enim unica fuisset persona, non dixisset, faciamus ad similitudinem nostram, sed, *faciam ad similitudinem meam*. Quod indicat etiam unitatem naturæ: si enim in Deo plures essent naturæ, dixisset: *ad imagines et similitudines* et non, *ad imaginem et similitudinem*. Apud Isaiam legitur, quod angeli clamant, dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum*. Per hoc quod dicitur ter, *Sanctus*, indicatur personarum Trinitas;

et per hoc quod dicitur semel, *Domini*, intelligitur unitas naturæ. Sanctissima etiam Trinitas in Christi baptismo clarissime revelatur; ibi enim audita est vox Patris, dicentis: *Hic est Filius meus dilectus*. Ibi Filius persona incarnata adoratur, et ibi Spiritum Sanctum nivea columba demonstrabat: *Trinitas se hodie homini revelavit. Pater auditur in voce, Filius manifestatur in homine, Spiritus Sanctus dignoscitur in columba* (S. Maxim. h. 7 de Epiph.). D. Thomas ait (3, p. 45, 4), quod in transfiguratione, tota Trinitas apparuit; *Pater in voce, Filius in homine, Spiritus Sanctus in nube clara*. Indicat autem nubes Spiritum Sanctum quoniam nubes instar fulgidæ hominem illuminat, tegit et obumbrat.

Clarius manifestatur mysterium sanctissimæ Trinitatis ipsis Christi verbis, qui vult ut discipuli baptizent in nomine *Patris, et Filii, et Spiritus Sancti* (Matth. 28); ecce tres sanctissimæ Trinitatis personas distincte nominatas. Hoc mysterium apertius declarat sanctus Joannes Evangelista, dicens: *Tres sunt, qui testimonium dant in celo Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus*. Quibus verbis clare explicat Trinitatem personarum; dum vero subdit, *et hi tres unum sunt*; indicatur naturæ unitas. Ac probe, ecce Deum unum et trinum; unum in natura, et trinum in personis. Quid clarius? et quis de revelatione hujus mysterii dubitare potest? Nemo quidem.

Et si quis de hoc ambigeret, in testes adduceremus Concilia plurima, quæ de fide definiunt, hoc a Deo esse revelatum; in testes vocarem apostolos, qui hoc mysterium tanquam a Deo revelatum ubique prædicaverunt; et innumeros martyres, qui ad hujus mysterii veritatem sustinentiam proprium sanguinem gloriôsè fuderunt; itaque cum Deus hoc mysterium revelaverit, non solum credibile, etiam firmiter credendum est. Credimus, esse Hispaniam, esse leones et elephantes; et hæc ita credimus, ut nullo modo de iis dubitemus: cur ea credimus, quæ nunquam vidimus? Credimus, quia homines dicunt sic esse. Si credimus hominibus dicentibus esse Hispaniam, esse leones et elephantes, cur non magis credemus Deo revelanti et dicenti, tres in Divinitate esse personas? Certe magis Deo quam

hominibus credendum est; *Si homini credimus, credamus magis Deo* (S. Greg. 4 Dial. 2). Deo sane hoc mysterium revelanti credendum; ac quisque ei dicere debet: *Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam*. Et quisque dicat: loquere, veritas aeterna loquere, quia audit servus tuus; loquere quia firmiter credo quidquid dixeris. Adorandum sanctissimæ Trinitatis mysterium Ecclesie tuæ revelati: *credo Domine*. Omnibus fidelibus tuis præcipis ut credant, tres divinas in una essentia esse personas: *credo Domine*. Vis, ut credamus, Patrem esse ingentum, Filium a Patre esse genitum, et Spiritum Sanctum a Patre et Filio esse productum: *credo Domine*. Vis, credamus, Patris, Filii et Spiritus Sancti eandem esse sapientiam, eandem potentiam et bonitatem: *credo Domine*. Ac licet intellectus meus concipere nequeat, quomodo ea sint, vel fiant, ea tamen firmiter credo, quia hæc ita esse revelasti. Sensus mei, ratio mea, ac perfectiones quas in creaturis intueor, Trinitatis mysterium nullo modo mihi aperiunt; sed tu, qui falli et fallere non potes, illud me docere dignatus es, ideo tibi plus quam oculis, plus quam rationi meæ, et plus quam omnibus creaturis credo. At non solum credibile et credendum est sanctissimæ Trinitatis mysterium, *verum et adorandum*.

III PARS.

Sanctissimæ Trinitatis mysterium est adorandum.

Si altissimum sanctissimæ Trinitatis mysterium mente comprehendere non valeamus, illud saltem religioso et summo cultu venerari debemus. Si tanti mysterii profunditatem et majestatem intellectus noster concipere nequeat, saltem et intellectum et voluntatem et totos nos componere debemus, ut sanctissimam Trinitatem humiliter adoremus. Licet quis totam unius fluminis aquam bibere nequeat, ex ea tamen bibit quantum ei necessarium est: licet quis fixis oculis solem intueri non possit, ejus tamen luce utitur quantum opus habet:

ita, licet sanctissima Trinitas lucem habitet inaccessam, et a mente nostra concipi nequeat, illam tamen humiliter venerari debemus: et quamdiu in hoc mundo vivimus, quisque in terris imitari debet celestes spiritus, qui in oculis indesinenter sanctissimam venerantur Trinitatem, ac inaccessibili voce proclamant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth*. Idola sibi olim fabricabant Iudei, quae ut deos suos colebant et adorabant; unus Veneri, Jovi alter, Baccho multi, et multi diis aliis incensa offerrebant. Quod stricte prohibuit Deus, dicens: « Non habebis deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quae est in caelo desuper, et quae in terra deorsum, nec eorum quae sunt in aquis sub terra, non adorabis ea (Exod. 20) ». Hoc Dei praeceptum religiose et fideliter servant christiani: apud illos enim non sunt sculptilia. Hi lignea et marmorea non adorant idola; attamen pro dolor! unus avaritiae, alter concupiscentiae, et alter superbiae idolum adorat. Est miseranda, maligna, et diabolica quaedam trinitas, quae a S. Joanne vocatur *concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitae*; hi sunt dii, quos adorant multi, et ut loquitur poeta: *haec tria pro trino numine mundus habet*. O quam insensati, et quam maligni, qui hujusmodi Deos venerantur! Non enim illis, verum soli Deo *omnis honor et gloria*. Sicut Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum in caelo adorant omnes angeli, ita et in terra omnes homines Deum trinum et unum adorare debent: *Omnis terra adoret te Deus, et psallat tibi* (Ps. 65). D. Paulus ait, quod Deus ab omni creatura est in aeternum adorandus, quia ex ipso, et per ipsum creaturae factae sunt: *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia; ipsi gloria in saecula* (Rom. 11, 36). Quae verba de sanctissima Trinitate exponens Doctor Angelicus, ait, totam Trinitatem in aeternum a cunctis creaturis esse adorandam, quia ab ipsa, et per ipsam omnia creata sunt. *Ex eo quod ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia, debetur ei honor et reverentia, et subjectio a tota creatura, idque in omni aeternitate*. Veneranda quidem, et in aeternum adoranda sanctissima Trinitas: ac quidquid unquam cultus, et venera-

tionis sanctis virginibus, confessoribus, martyribus, apostolis, Dei Genitrici Mariae, et Christi humanitati a mortalibus ubique terrarum usquam exhibitum est, id omne modo longe excellentiori sanctissimae Triadi debetur, non solum quia ipsa est primum principium, a quo sunt omnia; etiam propter infinitam ejus magnitudinem. Si enim res venerantur et adorantur propter excellentiam, quae in eis elucet; Trinitatem haud dubie summo laetitia cultu adorare debemus, cum ejus excellentia sit infinita, nec magnitudinis ejus ullus sit finis; *Magnitudinis ejus non est finis*. Sanctissimam Trinitatem esse adorandam, non est qui non fateatur. Ast heul! multi non eam adorant; quin contra in eam blasphemias proferunt; non eam adorant; quin contra in eam peccant, eamque multis criminibus offendunt. Vel dicamus, quod multi eam quidem adorant, sic vero adorant sicut hypocritae et Samaritani Deum adorabant.

1. Hypocritae labiis et signis exterioribus, non autem corde et spiritu Deum adorabant; ideo de his conqueritur Deus, dicens: *appropinquat populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me; cor autem ejus longe est a me* (Isa. 29, 21). Quod etiam sui reperi hypocritis exprobravit Christus his verbis: *hypocritae, bene prophetavit de vobis Isaias, dicens; Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* (Matth. 15). O quales adoratores, qui Deum labiis, affectata vultus compositione et exquisitis externis quibusdam signis solummodo adorant! Illos imitantur nonnulli Christiani, quorum corda vanitati, voluptati et omni vitiorum generi sunt consecrata, Deumque labiis, verbis et externis quibusdam operibus tantum honorant. O fratres, *veri adoratores adorabunt in spiritu et veritate* (Joan. 4, 13): Deus enim, qui spiritus est, in spiritu coli et adorari vult. Ne ergo adoremus Deum instar hypocritarum, qui illum labiis solummodo adorant. *Neque pariter adoremus instar Samaritanorum*.

2. Samaritani Deum quidem colebant; at simul eum Deo vero deos alienos et idola sua adorabant. *Cum Dominum colerent, diis quoque suis serviebant juxta consuetudinem gentium, de quibus translati fuerant Samaritani*. Ecce quomodo

Deum unum et trinam adorent multi Christiani: ita Deum verum colunt, ut et diis alienis seruiant. Deum verum colere et adorare profitentur; erga illum varios actus fidei, spei, amoris et reverentiae exhibent; apud se tamen habent alios deos quos venerantur. Unus habet in domo concubinam, quam plus quam Deum diligit; alius habet divitias plurimas, quibus, et non Deo, cor suum devovet; aliorum deus venter est, et aliorum deus est ambitio vel concupiscentia. O malignos adoratores, qui simul cum Deo vero diis aliis servire volunt! Unus est Deus, quem solum ut Deum adorare et cui soli servire debemus: *Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servabis* (Matth. 4). O fratres, ne vobis deos alienos faciatis; Deum unum in essentia et trinum in personis religioso cultu adorete; piis fidei, spei, charitatis, religionis et adorationis actibus eum saepe colite. Illum indesinenter in caelo adorant Angeli; eum similiter in terra, quantum fas erit, saepissime adorete. Benedicite Patrem et Filium cum Sancto Spiritu; laudate, superexaltate et adorete eum in saecula. Instituit summus pontifex Damasus, ut in psalmodum recitatione, sive in choro publico, sive in privatis officis pro cujuslibet psalmi coronide in honorem sanctissimae Trinitatis haec verba recitarentur: *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto*. Brevis oratio; quae plurimis viris piis ita familiaris extitit, ut illam continue ore versarentur. Brevis oratio, quam moriens V. Beda, cycnea voce protulit, et quam sive in vita sive in morte magno cordis affectu quisque saepe proferte deberet. Quid enim aequius, quam saepissime adorare eum, a quo habemus omnia, et cui debetur omnis honor et gloria? Quid gloriosius, quam sanctos imitari Angelos, qui assidue Deum unum et trinum laudant et reverenter adorant? Quid utilius, quam per piis religionis et adorationis actus Deum honorare et propitium reddere? Quid facilius, quam Deum laudare et adorare? Nonne quisque internos adorationis actus elicere potest? Nonne facile est cuilibet etiam muliercula, quantum placuerit, dicere et iterare haec verba: *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto*? Nonnulli viri sancti, ut crebrius sanctissimam Trinitatem adorent,

recitare solent, rosarium tres habens decades et in quolibet ex tribus majoribus granis dicunt: *Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu, laudemus et superexaltemus eum in saecula*: in quolibet vero ex minoribus dicunt: *Gloria Patri, et Filio, etc.* Optarem, ut rosarium hoc singulis diebus recitarent omnes; aut saltem, ut frequentibus fidei, religionis, amoris et adorationis actibus sanctissimam Trinitatem venerarentur. O utinam debito cultu eam ego prosequar! Utinam omnia et singula mea opera ad ejus gloriam dirigam! O beata Trinitas, da ut in omnibus, per omnia, et ubique meminerim tui, diligam te, adorem te, suspirem ad te, ac post mortem possideam te in saecula saeculorum. Amen.

DOMINICA SECUNDA POST PENTECOSTEN.

DE COENA MAGNA

QUAM DEUS HOMINIBUS FACIT.

Homo quidam fecit coenam magnam (Luc. 14. 16).

Assuerus rex, qui super centumviginetseptem provincias regnabat, ut ostenderet divitias gloriae regni sui, ac magnitudinem, atque jactantiam potentiae suae (Esther 1), tertio imperii sui anno magnum struxit convivium, ad quod Persarum et Medorum principes ac praesides et magistratus vocavit: quibus in loco amenissimo in vasis aureis mire elaboratis cibos exquisitissimos et vinum magnificentia regia dignum, omni qui desiderari poterat ordine, ministrari curavit, illudque convivium centum et octoginta diebus, seu medio anni tempore duravit. Miror regis illius magnificentiam; at vero quid infinitum majus et magnificentius in Deo, omnium regum Rege,

Deum unum et trinam adorent multi Christiani: ita Deum verum colunt, ut et diis alienis seruiant. Deum verum colere et adorare profitentur; erga illum varios actus fidei, spei, amoris et reverentiae exhibent; apud se tamen habent alios deos quos venerantur. Unus habet in domo concubinam, quam plus quam Deum diligit; alius habet divitias plurimas, quibus, et non Deo, cor suum devovet; aliorum deus venter est, et aliorum deus est ambitio vel concupiscentia. O malignos adoratores, qui simul cum Deo vero diis aliis servire volunt! Unus est Deus, quem solum ut Deum adorare et cui soli servire debemus: *Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies* (Matth. 4). O fratres, ne vobis deos alienos faciatis; Deum unum in essentia et trinum in personis religioso cultu adorete; piis fidei, spei, charitatis, religionis et adorationis actibus eum saepe colite. Illum indesinenter in caelo adorant Angeli; eum similiter in terra, quantum fas erit, saepissime adorete. Benedicite Patrem et Filium cum Sancto Spiritu; laudate, superexaltate et adorete eum in saecula. Instituit summus pontifex Damasus, ut in psalorum recitatione, sive in choro publico, sive in privatis officis pro cujuslibet psalmi coronide in honorem sanctissimae Trinitatis haec verba recitarentur: *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto*. Brevis oratio; quae plurimis viris piis ita familiaris extitit, ut illam continue ore versarentur. Brevis oratio, quam moriens V. Beda, cycnea voce protulit, et quam sive in vita sive in morte magno cordis affectu quisque saepe proferte deberet. Quid enim aequius, quam saepissime adorare eum, a quo habemus omnia, et cui debetur omnis honor et gloria? Quid gloriosius, quam sanctos imitari Angelos, qui assidue Deum unum et trinum laudant et reverenter adorant? Quid utilius, quam per piis religionis et adorationis actus Deum honorare et propitium reddere? Quid facilius, quam Deum laudare et adorare? Nonne quisque internos adorationis actus elicere potest? Nonne facile est cuilibet etiam muliercula, quantum placuerit, dicere et iterare haec verba: *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto*? Nonnulli viri sancti, ut crebrius sanctissimam Trinitatem adorent,

recitare solent, rosarium tres habens decades et in quolibet ex tribus majoribus granis dicunt: *Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu, laudemus et superexaltemus eum in saecula*: in quolibet vero ex minoribus dicunt: *Gloria Patri, et Filio, etc.* Optarem, ut rosarium hoc singulis diebus recitarent omnes; aut saltem, ut frequentibus fidei, religionis, amoris et adorationis actibus sanctissimam Trinitatem venerentur. O utinam debito cultu eam ego prosequar! Utinam omnia et singula mea opera ad ejus gloriam dirigam! O beata Trinitas, da ut in omnibus, per omnia, et ubique meminerim tui, diligam te, adorem te, suspirem ad te, ac post mortem possideam te in saecula saeculorum. Amen.

DOMINICA SECUNDA POST PENTECOSTEN.

DE COENA MAGNA

QUAM DEUS HOMINIBUS FACIT.

Homo quidam fecit coenam magnam (Luc. 14. 16).

Assuerus rex, qui super centumviginetis septem provincias regnabat, ut ostenderet divitias gloriae regni sui, ac magnitudinem, atque jactantiam potentiae suae (Esther 1), tertio imperii sui anno magnum struxit convivium, ad quod Persarum et Medorum principes ac praesides et magistratus vocavit: quibus in loco amenissimo in vasis aureis mire elaboratis cibos exquisitissimos et vinum magnificentia regia dignum, omni qui desiderari poterat ordine, ministrari curavit, illudque convivium centum et octoginta diebus, seu medio anni tempore duravit. Miror regis illius magnificentiam; at vero quid infinitum majus et magnificentius in Deo, omnium regum Rege,

intueor; Deus enim, qui omnibus caeli, terraeque provinciis longe lateque dominatur, cuius potentia nullis terminis circumscribitur, ut gloriam, potentiam, liberalitatem, benevolentiamque erga homines suam ostendat, convivium, quo nullum majus, nullum magnificentius, nullum mirabilius concipi potest, facit in caelo, facit in Ecclesia et facit in toto terrarum orbe. Hic in quolibet ex illis locis facit vere cenam magnam, ad quam multos vocat, ut videbimus. *Ade.*

Licet unicus sit mundus, qui omnia creata complectitur, in hoc unico mundo triplex mundus distingui potest, vel, ut ita dicam, in magno hoc mundo triplex alius continetur mundus; sublunaris scilicet, ecclesiasticus et caelestis. *Mundus sublunaris* est orbis terrarum, qui infra orbis lunaris concavum clauditur. *Mundus ecclesiasticus* est ipsa Ecclesia Romana a Christo Domino instituta. *Mundus caelestis* est coelum empireum, in quo Deus cum Angelis et Sanctis suis regnat. In quolibet autem ex tribus illis mundis cenam magnam, magnamque convivium Deus facit. *In mundo quidem sublunari*, ubi dat escam omni carni; *in mundo ecclesiastico*, ubi iuge sanctissimae Eucharistiae convivium preparavit; *in mundo caelesti*, ubi Sanctos suos cibo divino satiat et torrente voluptatis inebriat: *Inebriantur ab ubertate domus tuae* (Ps. 35, 9). Unica concione omnis trium illorum conviviorum apparatus perfecte delineari non posset, ideo aliqua solum de quolibet ex illis breviter attingam, ut Dei in homines magnificentiam aliquo modo patefaciam. Ut autem ordine quodam in tota hac oratione procedam, dico, quod Deus facit magnum convivium in terra; in Ecclesia et in caelo: 1. *in terra*, omnibus hominibus; 2. *in Ecclesia*, omnibus fidelibus; 3. *in caelo*, omnibus beatis.

I PARS.

Deus facit magnum convivium in terra.

Deus, qui omnium Pater et Creator est, omnia animantia quae producit, in terram, velut in amplissimum convivii locum, adducit, ubi ea pascit et cuique cibum propensioni et appetitui ejus consonum apponit. Ibi pisces, ibi volucres, ibi alia animalia Deus pascit; tantaque, tamque mira ejus est providentia, ut cuique pisci, cuique voluceri et cuilibet animanti cibos apponat gustui et appetitui ejus consentaneos: *Dat escam omni carni* (Ps. 135). O quam magnum et admirabile est illud, quod Deus in orbe terrarum omnibus animantibus facit convivium! Quia vero homo est præcipuus conviva, propter quem omnia alia fecit Deus, contemplerur et admiremur solummodo magnum illud convivium, respectu omnium hominum, quos Deus in terra 1. pascit affluenter; 2. pascit delicate; 3. pascit constanter.

1. Præclare observat Procopius, Deum creasse mundum et ea quae in mundo sunt, eodem fere ordine, quo magnifica quaedam preparari solet cœna. Cum enim quis amicos, propinquos, virosque nobiles ad cenam invitavit, in primis mundari curat locum in quo fieri debet, ne obvix aliqua sordes convivas offendant; deinde epulae parantur et mense sternuntur; lucernae postea accenduntur et dapés ad mensas afferuntur, ac tandem, paratis omnibus, ingrediuntur convivæ: similem in modum Deus convivium suum ab origine mundi paravit. Primo enim creavit terram et lucem, deinde separavit terram et aquas a firmamento, struxitque coenaculum; postea herbis terram stravit, mensasque instruxit producendo omnis generis fruges. Tum animalia ab hominibus comedenda introduxit, ac tandem homines in orbem terrarum, velut convivas vocavit et continue vocat, ibique eos omnes abunde pascit. Tantam enim ad hominum usum dat ciborum copiam, ut si fœda quorundam avaritia hos cibos æqua lance distribui sineret, non solum ad

omnes homines nutriendos sufficerent, verum et affluerent, quia certissimum est, quod Dominus *dat omnibus affluenter* (Jac. 1). Scio, hominum alios esse divites et alios pauperes; qui divites sunt, cunctis abundant; pauperes vero multis egent. Si autem juxta præsriptam a Deo legem divites pauperibus superflua largirentur ad victum, et divites et pauperes haberent, quo pascerentur, non solum ad sufficientiam, sed etiam ad abundantiam. Et sic verum est, Datum omnes homines pascere affluenter in magno convivio, quod in terra facit; insuper eos etiam pascit *delicate*.

2. Non amara tantum, et quae vix hauriri possint, eis Deus apponit; verum sapida, dulcia, succosa, ac talia quae appetitum acuant, gustum recreant et delectant. Quod si aliqua ex natura sua sapore careant, dat Deus condimenta, quibus palato jucunda et sapida reddantur, dat Deus condimenta, quibus palato jucunda et sapida reddantur; salem scilicet, saccharum, mel, lac et alia his similia; quae omnia, tamquam liberalissimus paterfamilias, hominibus praebet, ut jucunde et delicate in conspectu suo epulentur. Quod, ut adhuc jucundius praestet homines, dat Deus esculentis illis, et potibus decorem, gratiam et pulchritudinem aliquam; quae est quasi illecebra, quae homines ad edendum et bibendum alliciuntur. Et sic vino Deus dat splendorem album, aureum aut rubicundum; pomis ac piris genas dat saepe rubore perfusas; frugibus aliis varios dat colores, variasque formas et figuras, easque diversissimas, ne homines eandem semper formam et figuram videntes super illis, cibis nauseent. Quot diversa piscium, volatilium et animalium genera homini apponit, ut quod magis placuerit eligat? Certe quidquid volat, natat, repit, graditur, hoc providit et permisit homini, ut delicate epuletur. Perpendit Sanctus cardinalis Petrus Damianus, quod ut Deus hominibus det, quo lautius et delicatius epulentur, non eis ejusdem generis cibos semper administrat; diversis temporibus, nunc unius et nunc alterius generis cibos eis apponit; « sed nec ipsos quoque proventus arborum, aut agrorum, inquit, omnipotens conditor in unam quodammodo congeriem coarcevat; sed diversa diversis temporibus edenda dispensat. Nam si eodem tempore cuncta ad vescendum

poma concurrerent et fastidium congesta vescentibus gignerent, et simul consumpta de copia inopiam generarent. Sed nunc ita diversis sunt variata temporibus, ut dum illa comeduntur, haec maturescant; et dum alia consumpta pertransunt, alia mox maturata succedant (ep. 17 ad Alex.) ». O mirandam Dei providentiam, qui homines laute et delicate pascit; *ac etiam constanter*.

3. A mundi enim principio usque ad finem solem suum oriri facit super bonos et malos; mirabilique constantia dat omnibus sive bonis sive malis quo pascantur et vivant. Vix reperitur, qui vel uno die pascere velit inimicum suum; et tamen Deus, non solum justos, sed etiam infensissimos sibi inimicos et peccatores, qui innumeris illum injuriis afflicti, ab origine mundi constanter pascit. Non subtrahit cibum Gentilibus, qui eum non noverunt; non Turcis, Arabibus et Judeis, qui ipsum persequuntur et blasphemant; non malis Christianis, qui ipsius donis in sui perniciem et Dei injuriam abutuntur; omnes, nullo excepto, ad convivium suum vocat, omnibusque constanter quo pascantur exhibet; ita ut quisque dicere possit, quod a Deo pascantur ab adolescentia et toto vita sua tempore: *Deus qui pascit me ab adolescentia mea usque in presentem diem* (Gen. 48, 15). O quam magnum et mirabile est convivium, quod Deus hominibus in hoc mundo viventibus facit! *Magnum est*, ratione Dei, qui est convivii hujus instructor. *Magnum est*, ratione durationis, quia durat a mundi exordio, et durabit usque ad ejus finem. *Magnum est*, ratione loci in quo fit; qui non est alius, quam totius terrae superficies. *Magnum est*, ratione multitudinis, varietatis et pretii ciborum; qui non alii sunt, quam quotquot sunt pisces in mari, aves in aëre, animalia et fruges super terram. *Magnum est*, ratione convivarum, cum ad tam magnificentum convivium non vocentur aliqui solum principes et magnates; sed quotquot fuerunt, sunt, et futuri sunt in mundo homines; quibus omnibus dat Deus, quo sufficienter, ac etiam saepe quo abunde, jucunde et opipare vescantur. Tantum miramini convivium, ac Deo gratias agite, quod tam magnificentum epulum hominibus voluerit preparare;

atque ei speciales grates rependite, quod tanti convivii vos participes esse voluerit, quodque ab infantia dederit vobis cibos, quibus pasti estis. Imo quotiescumque ad tantum convivium acceditis; quotiescumque a Deo datos sumitis cibos, ei pro tanto beneficio gratias sunt referendæ; hos enim cibos Deus creavit, vobisque dedit, ut eos cum gratiarum actione percipiatis; *Quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione* (1. Tim. 4, 3). Pie dicebat Seraphicus Pater, quod imitari debeamus *alaudas*; quæ quasi ratione polleant, postquam in terra cibos ad necessitatem subveniendum comederunt, versus cælum se erigunt et pluriùm elevantur continue cantantes, ut suo modo gratias Deo referant pro accepto de manu ejus cibo ad sustentationem necessario. Sic, inquit sanctus Franciscus, post sumptos de manu Dei cibos et post quamlibet refectionem mentem ad cælum elevarè debemus, ut Deo benefactori nostro gratias referamus. O homo, ab infantia usque ad presentem diem a Deo cibos victui necessarios et forte uberiores, percipisti; ne benefactori tuo injuriam irroges, non maledicas ei qui benefecit tibi; non lapides projicias in eum qui dedit tibi panem; non pecces in eum a quo nunc usque pastus es; potius ex toto corde ei gratias age, et quotiescumque ex cibis a Deo datis comederis, ei gratias age: *Cum comederis, et satiatus fueris, benedicens Domino Deo tuo* (Deut. 8, 10). Ecce quid mihi dicendum occurrit de primo Dei convivio; transeamus ad secundum, seu ad *Eucharisticum, quod est magnum convivium, quod Deus facit in Ecclesia.*

II. PARS.

Deus facit magnum convivium in Ecclesia.

Homo quidam, ut in hodierno dicitur Evangelio, *fecit cenam magnam*. Homo ille, inquit Augustinus, est ipse Christus Dominus, qui in ipsa nocte cœnæ, ipso tempore, quo de illius morte cogitabant Judæi, hominum amore captus, cenam magnam,

hoc est, admirabile convivium eucharisticum instituit: *Quis est iste homo, qui fecit cenam magnam, et vocavit multos, nisi mediator Dei et hominum Homo Christus Jesus?* (serm. 11 de verb. Dom.). Magnum est illud convivium, ratione loci in quo factum est. Dominus enim Jesus, qui in stabulo voluit nasci, in presepio reclinari, et in monte Calvarie, loco videlicet vili et abjecto, crucifigi, necnon in angusto sepulchro poni, noluit tamen convivium eucharisticum in humili loco celebrare; sed in ipsa civitate Jerosolymitana, et in cenaculo grandi, strato, et magna pompa adornato: *cenaculum grande, stratum* (Marc. 14). Magnum ergo est illud convivium ratione loci in quo institutum est et in quo fieri cœpit; magnum est etiam ratione durationis, quia in Ecclesia fiet et perseverabit usque ad mundi finem. Quandiū enim durabit Ecclesia, in omni loco offeretur Domino oblatio munda, a sacerdotibus renovabitur admirabile illud convivium, et fideles ad divinum illud epulum accedent. Dici etiam possot, magnum esse eucharisticum convivium ratione convivarum, qui ad illud vocati sunt et continue vocantur; non enim ad hoc convivium vocantur solum Apostoli, vel alii eximie sanctitatis viri, verum et omnes penitus homines. Nec ab hoc convivio excluduntur pauperes illi, vel imbecilles, qui gratiæ epibus carent; nec cæci illi, qui lucis charitatis privantur; neque claudi, qui peccando claudicant. Hi enim et omnes penitus peccatores, non secus ac justi, ad hoc convivium vocantur, et in eo benigne recipiuntur, modo prius peccatorum sarcinam deposuerint et nuptiali diviniæ gratiæ veste se induerint: *Pauperes, ac debiles, et cœcos, et claudos introduce huc* (Luc. 14). Prefatis quidem rationibus magnum est eucharisticum convivium; maximum autem omnibus sæculis admirandum et portentosum est ratione ingentis cibi, qui in nocte Cœnæ Apostolis appositus est, et qui fidelibus, ad sacram Synaxim accedentibus quotidie apponitur. Non enim ibi assus apponitur agnus, non lactuæ agrestes, non azymi panes, non pecorum aut volucrum carnes, non dulcia bellaria; apponitur ipse Christus Dominus, qui semetipsum nobis in cibum dat. Cœnam eucharisticam præcesserat mystica veteris legis cœna, in qua

appositi fuerant azymi panes et agnus paschalis cum lactucis agrestibus. Peracta hac cœna, eucharisticum convivium instituit Christus, in quo seipsum Apostolis manducandum tradidit, dicens: *Accipite et manducate, hoc est corpus meum* (1 Cor. 11, 24). Quasi dicat, non jam vobis appono azymos panes, agnum paschalem, vel aliquod corporis mei figurativum, sed ipsum corpus meum, quod Spiritus Sancti virtute formatum est, ipsum corpus meum, quod de Maria Virgine natum est, ipsum corpus meum, quod mirabilia multa pro mundi salute oblit et quod cruci affigi debet. *Accipite et manducate; hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Hoc est corpus, quod vobis trado; et quia corpus meum est vivens, et Verbo divino unitum, simul cum corpore meo animam, divinitatem et totum meipsum vobis appono, meque totum vobis in cibum exhibeo, necnon me totum usque ad mundi finem fidelibus in sacratissimo Eucharistie sacramento dabo. O mensa regia! o altare sanctum, ubi non cibaria corruptioni obnoxia, sed sacratissimum Christi corpus, totusque Christus fidelibus manducandus traditur! Facessant procul profana illa convivia, quæ tanta cum eloquentia apud autores commendantur; in infinitum mirabilis est illud, quod Deus et Homo Christus fecit: non enim infima fercula in eo apposuit, sed semetipsum Deum Hominemque verum manducandum proposuit; sequè quotidie in sacra mensa manducandum exhibet, ut hominem ipso Deo impleat et satiet, utque multa spiritalia bona homini conferat.

O vere magnum convivium ratione ferculi quod ibi datur, quod idem est cum ferculo, quod beatis in cœlo apponitur. Sicut enim in terra, ita et in cœlo magnum fit convivium, et in utroque convivio idem est ferculum, Deus scilicet, qui tum in cœlo, tum in terra voluit esse hominum cibus; hoc tamen discrimine, quod in cœlesti convivio beatos Deus pascit, seipsum illis perspicue et sine ullo velamine conspiciendum exhibens; in Eucharistico vero convivio fideles pascat Christus, seipsum, panis et vini speciebus velatum tradens. *O sacrum convivium, in quo Christus sumitur.* Vere sacrum, vere mirabile,

vere divinum, vere omnibus sæculis prædicandum illud convivium, in quo Christus Deus et Homo nobis in cibum datur, et in quo nobis idem quod et angelis ferculum ministratur. Equis non admirabitur? Equis non obstupescet, cum Eucharistici convivii epulas mente revolvit. De Cleopatra fertur, quod cum centies sestertium una cœna absumere statuisset, præclarissimum pretii illius unionem aceto immerserit, ac liquefactum sorbuerit. Mirati sunt, qui hoc viderunt et audierunt, dicentes, o quam pretiosus ille cibus? Quid autem hoc pretii, si cum cibo Eucharistico conferatur? Velim, Cleopatram, vel alium aliquem, unica cœna quandam tanti pretii cibum hausisse, ut omnibus terrenis opibus æquipolleat, quid hoc esset respectu convivii Eucharistici, in quo Christiani ipsum Christum sumunt, qui omne quod mente concipi potest, pretium longe superat? Magnum sane, et admirabile est sacrosanctum Eucharistie convivium. Jamvero heu quam pauci ex tanto convivio proficiunt! Quam paucis prodest ad Christum in Eucharistia latentem accedere! Accedunt multi, accedunt sepe, et tamen aut nullus, aut minutissimus in spiritali vita profectus elucet; quin imo, qui frequenter Eucharisticum cibum sumunt, nonnunquam in deterius vergunt. Cur, quæso, accedentes ad Christum, et in sacrosancto Eucharistie sacramento manducantes Christum, qui omnium gratiarum auctor, omniumque bonorum est principium, nullum inde spirituale eliciunt emolumentum? Cur, cum in Eucharistia frequenter recipiamus Christum Salvatorem a quo sanctificari, bonis spiritalibus repleri, et quasi deificari deberemus, in moribus tamen, ac vivendi ratione non proficimus? Hujus profecto rei causa est, quia terrena sapimus, terrena nimium diligimus, et terrenis immergimur. Nonnunquam accidit, ut puer aliquis maxima cura et sollicitudine a parentibus alatur, cibisque optimis nutriatur, nec tamen inde pinguior evadat, quin contra maclentior et pallidior semper fiat. Quod si rogentur medici, ut hujus rei causam aperiant, respondent, puerum haud dubie clam terram comedere; et ideo licet altissimi, aliisque optimis cibis vesci soleat, non inde pinguiorem, et saniorem evadere. Hæc est ratio, cur puer ille pinguior non

fiat; et hæc est ratio, cur multi ad sacrum Eucharistiæ convivium accedentes, in spirituali vita non proficiant; non enim proficiunt, quia terram comedunt; seu quia terrenis divitiis honoribus, et terrenis voluptatibus nimium adhærent. Vel etiam hoc accidit, quia peccatis non valedicunt; vel etiam quia prævijs fidei, charitatis, humilitatis, aliarumque virtutum actibus ad tantum sacramentum digne recipiendum non se præparant. Ideo antequam ad sacrum hoc convivium accedatis a terrenis, corda vestra elongate, omne peccatum procul a vobis pellite, multisque virtutum actibus vos preparate. Hoc peragentes magna ex convivio Eucharistico emolumenta elicietis, et digni fietis *convivio celesti, quod maximum est.*



III PARS.

Deum facit magnum convivium in celo.

Prefatam parabolam hominis illius, qui fecit cenam magnam, intelligunt multi sacra Scripturæ interpretes de Deo, qui homo dicitur ratione benignitatis suæ, et qui in celo cenam, conviviumque facit, quod vere magnum est non solum quia ab ipso Deo paratur, etiam quia magna sunt: 1. *locus* in quo fit; 2. *convivæ*, qui ad illud vocantur; 3. *fercula* quæ apponuntur; 4. *duratio* hujus convivii.

1. *Locus* convivii celestis est ipsa splendidissima cælorum aula, cujus pulchritudinem, excellentiam, et amplitudinem nullus humanis intellectus percipere valet. Locum descripsit Scriptura, in quo rex Assuerus convivium fecit, cujus pulchritudinem omnes convivæ admirati sunt; quid ille locus, quid omnia regum palatia, quid totus terrarum orbis respectu cæli empirei, quod est locus in quo paratur convivium celeste? Certe hæc omnia respectu cæli sunt veluti hirundinum nidi: hæc omnia vilia sunt, nihil sunt, si cælo comparentur, cujus tanta amplitudo, tantus splendor, tanta dignitas, tantæ deliciae,

tantæque divitiæ, ut ab humano intellectu concipi nequeant. Si a mundi primordio usque nunc omnes penitus homines tota arte sua, toto suo ingenio, totis conatibus unico palatio conficiendo laborassent; magnum haud dubie illud palatium censeretur; illo tamen palatio aliud majus et præstantius edificare posset minimus angelorum, quippe qui omnibus hominibus longe potentior est. Quanto adhuc præstantius palatium efficerent omnes Hierarchiæ cœlestes, si in unum conjungerentur? Certe ita pulchrum, ita præclarum construerent palatium, ut ejus conspectu omnes in admirationem raperentur. Quid vero sunt illa omnia respectu palatii cœlestis extracti ab ipso summo rerum omnium Conditore, qui homines et angelos ex nihilo creavit? Quid illa omnia respectu palatii Regis cœlestis, et Domini Dei? Hæc omnia, si sano judicio censeantur, nihil sunt comparate ad cælum empireum et locum, in quo cœlestis fit convivium. *O Israël, quam magna est Domus Dei, et ingens locus possessionis ejus! Magnus est, et non habet finem; excelsus, et immensus* (Bar. 3, 34). Est ergo convivium cœlestis vere magnum respectu loci in quo fit; est etiam *magnum respectu conviværum.*

2. Convivæ enim sunt angeli, et homines beati: *Angeli*, quorum numerus est pene infinitus: *homines beati*, qui licet præ damnatis pauci sint, in se tamen multi sunt, et tot, ut vix dinumerari possint, juxta illud Apocalypsis 7. *Vidi urbem magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis, stantes ante Thronum.*

Cœlestis hujus cenæ convivæ est beatissima Christi Mater Virgo Maria; convivæ sunt novem angelorum ordines, de quorum numero disserens Daniel, ait: *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei.* Ibi convivæ sunt patriarchæ, prophetae, apostoli, martyres, et omnes sancti, qui omnes nobiles sunt, omnes reges, omnes filii Dei, Deoque similes. Ut enim ait sanctus Joannes: *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* O quam magnifica, jucunda, et optabilis est illa cœna, quæ tot, tam nobiles,

tantoque honore dignos habet convivas! Quam suave, quam jucundum cum angelis et archangelis, cum cherubim et seraphim, cumque sanctis omnibus mense Dei accumbere, convivere et epulari, intimaque eorum familiaritate frui! Magnum sane est celeste convivium, ratione convivarum; *maximum autem ratione ferculorum quæ apponuntur.*

3. Si terrenæ ephe dulces sunt, quales credis fore celestes? Si Deus probos et improbos suaviter et affluenter in hoc mundo pasci, qua suavitate non afficiet convivas celestes, qui omnes electi sunt, justi sunt, et amici ejus sunt? Si in terreno hoc carere nos exules opipare excipit, et exquisitis cibus recreat, qua pompa, qua magnificentia, quibus dapibus in celesti suo palatio domesticos et aulicos suos non cibabit? Unicum quidem cibum eis apponit Deus, seipsam scilicet: in Deo invenient omnia, gustabunt omnia, ejusque contemplatione ita delectabuntur, et satiabuntur, ut nihil ultra desiderare possint. O optabile, et totis affectibus desiderabile convivium, in quo ipse Deus cibus est! Non ibi unus cibus Domino, et alius invitatis apponitur: verum sicut ipse Deus vescitur et fruitur sua essentia, ita convivæ eadem divina essentia vescuntur et perferruntur; ejusque fruitione ita satiatur et beatificatur ut nihil ultra optare queant. Imo tanti ponderis et momenti est voluptas, quam ex divino illo cibo percipiunt, ut illam ferre non possent, nisi Deus simul et hac eos voluptate afficeret, et ad eam portandam sustentaret. Manna erat cibus quem dedit Deus Israelitis ad vescendum, et in hoc unico cibo omnem suavitatem, quæ in aliis cibus reperitur, degustabant: nec ex hoc cibo unus unam, et alius aliam mensuram colligebat; postquam de celo ceciderat manna, quisque eandem mensuram, quæ Gonor vocabatur, sumebat. *Ita est panis, quem Dominus dedit vobis ad vescendum: colligat unusquisque ex eo quantum sufficit ad vescendum, Gonor per singula capita* (Exod. 16). Mirabile certe est, quod in unico hoc cibo Israelitæ omne delectamentum inveniunt, et quod unius cibi mensura magnis et parvis ad satietatem, et ad delicias sufficiat. Quid de celesti cibo? Quid de es-

sentia divina, quæ est unicuique cibus, quo in cælo pascuntur sancti? Nonne in hoc unico cibo satietatem et voluptatem inveniunt? Nonne satiabuntur, cum apparuerit gloria Dei! Nonne torrente voluptatis inebriabuntur, cum infinitam Dei essentiam facie ad faciem contemplabuntur? Certe in hoc unico cibo omnia inveniunt, et ex ejus contemplatione mirabilem, ineffabilem et continuam voluptatem percipiunt. O quam magnum est celeste illud convivium ratione ferculorum quæ apponuntur! *Quam magnum pariter ratione durationis!*

4. Convivia que in terris flunt, brevi temporis spatio durant, et voluptas quæ ex ciborum gustu percipitur, brevissime transit. Quæ prius gustui placebant, cito fastidium generant; nullaque in eis tam mellea voluptas, quæ successu temporis fastidium non pariat, et in fel non degeneret. At celeste convivium æternum est, epularumque celestium dulcedo beatorum mentes mirabiliter oblectat in sempiternum. Nullum ibi fastidium, nulla nausea; post centena millia et millia annorum tam nova, tamque grata erit celestium convivarum voluptas, quam in primo instanti, quo in Dei gaudium ingressi sunt, et quo illis dictum est, *intra in gaudium Domini tui* (Matt. 25, 21). Celesti mensæ semper accumbunt, semperque accumbent beati; dulcissimis ibi vescuntur epulis, nec fastidiosa aliqua satietate affici possunt; semper suavissimis satiabuntur cibus, nec ullo unquam fastidio capiuntur. Semper vident, semperque videbunt, ac semper videre desiderabunt faciem Patris; hacque visione semper delectabuntur et satiabuntur, ita tamen ut nulla ex satietate oriatur nausea, quia, ut ait S. Gregorius, *desiderium semper satietas comitatur, et ipsa satietas ex desiderio semper accenditur* (Mor. 18, 18). O convivium admirabile! O epulum desiderabile! O quam beatus, *qui manducat panem in regno Dei!* (Luc. 14). Quis vero ad hoc convivium vocabitur? Ad illud Deus omnes vocat, nunc internis inspirationibus, nunc concionatorum verbis, nunc auxiliis et nunc favoribus multis. Imo fame, siti, morbis, aliisque flagellis ad illud sepe eos quodammodo venire compellit, *compelle intrare*. At nisi vocati veniant per aretam mandatorum viam, in celesti convivio nunquam reci-

pientur, nec ullus, quamvis vocatus, suaves cœlestis convivii cibos gustabit, nisi Dei mandata servaverit. *Nemo illorum qui vocatisunt, gustabit conam meam.* Israëlita ad terram promissionis lacte melleque manantem, vocati erant; jamvero quia Dei mandatis non obtemperaverunt, ab ea repulsi sunt, juravitque Deus, quod ad illam nunquam essent ingressuri. *Juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam* (Ps. 94, 11). Eundem in modum ad cœlestem promissionis terram vocat nos Deus; ad cœlestem epulum, et ad dulcissima beatæ patriæ mella nos invitat; verum si Dei mandatis obedientiam non prestiterimus, a tali convivio repellemur; divinis itaque obtemperemus mandatis, ut in æternam paradisi requiem, in æternum illud Sabbathum, conviviumque beatissimum ingredi valeamus. Christus ad cœlum ascendit, ut omnia ad nostri receptionem disponat; ibi omnia præparat, ut ad convivium cœlestis recipiamur; *Ego, inquit, dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis, et bibatis super mensam meam in regno meo* (Luc. 22, 30). Ad beatum illud convivium Christus nos invitat, nos vocat, nos compellit, nosque in eo recipi optat; verum ut in illo recipiamur, necessario in hoc mundo servanda sunt Dei mandata. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata* (Matt. 19, 17). Non ergo vanas, frivolas et ridiculas adducas excusationes, ut Dei mandata non servetis; ea servate religiose et fideliter, ut ad æternam paradisi convivium vocari, ac in eo sedere et Deo frui valeatis. *Amen.*

DOMINICA TERTIA POST PENTECOSTEN

DE DEI IN HOMINES AMORE.

Congratulamini mihi, quia inveni ovem, que perierat
(Luc. 15, 6).

Divini cordis intima penetrare non valeamus, ut ibi qualis et quantus sit Dei in homines amor, fixa palpebra inspiciamus; Deus quidem summus et innumeris, quibus non afficere dignatur, beneficiis suum nobis ita patefacit amorem, ut nullus tam cæcus et tam mentis inops reperiat, qui se divini amoris objectum esse non evidentissime cognoscat. Nihil odit Deus eorum que fecit, et maxime diligit hominem, propter quem omnia fecit. Omne genus humanum unus Dei grex est, et quilibet homo est Dei ovis, quam ipse magno affectu prosequitur. *Universarum gentium idem Deus, et Dominus, et Pastor est* (Ter. de pudicit. 7). Hic est Pastor universalis et beneficus, qui omnes penitus homines, veluti gregis sui oves inspicit, fovet, nutrit, diligit, multisque beneficiis afficit; et tunc maxime cum aliquam ex his ovis errantem ad ovile suum revocat. Tunc angelos et homines ad sibi congratulandum invitat; tunc omnibus creaturis rationalibus dicit: *Congratulamini mihi, quia inveni ovem que perierat.* Videamus, et sedulo perpendamus, quantus sit Dei in homines amor. *Ace.*

Omnes penitus homines, qui in hoc mundo vivunt, aut sunt peccatores, aut penitentes, aut justi. *Sunt peccatores,* quamdiu lethalis cujusdam peccati macula inquinantur. *Sunt penitentes,* cum a peccatis, quibus inquinabantur, per penitentiam mundantur. *Sunt justi,* cum ab omni mortali peccato liberi in statu gratiæ sanctificantis vivunt. *Homines peccatores* sunt oves perditæ, quæ a Christo Pastore suo aberrant; *homines*

penitentes sunt oves quæ inveniuntur, et ad Christi ovile revertuntur; *homines justi* sunt oves quæ a Christo per mortale peccatum nunquam exierunt, vel quæ ad ipsum per penitentiam redierunt. Omnes autem illas oves Deus maxime diligit: omnes homines, sive peccatores, sive penitentes, sive justos magno affectu prosequitur, iisque omnibus portentosa amoris sui testimonia exhibet. Hoc haud dubie norunt omnes fideles: hoc evidentius patebit, cum probaverimus, quod Deus diligit 1. homines peccatores: 2. homines penitentes: 3. homines justos.



I PARS.

Deus diligit homines peccatores.

Disputant nonnulli, an Deus amet, vel odio habeat peccatores? Quam difficultatem facile solvet qui dicit, Deum peccatores ut peccatores odio habere, eos vero ut homines, et ut creaturas suas diligere; vel qui cum D. Augustino respondebit, quod Deus amet peccatorem: peccata vero quæ perpetrat, odio habeat: *amat te, odit tua*. Amat revera Deus homines peccatores et ab æterno illos amat: licet enim eos omnis beneficii indignos et ingratos fore præviderit, eos tamen creare et beneficiis multis afficere ab æterno decrevit. Antequam quidquam Deus faceret a principio, antequam extenderet caelos, necdum erant abyssi, adhuc terram non fecerat, nec montes fundaverat; necdum fontes eruperant, cum homines peccatores creare, ad sui imaginem condere, ac rationis participes et sempiternæ beatitudinis capaces facere præordinavit. Hoc ab æterno Deus in gratiam hominum peccatorum statuit; et hoc quod tunc statuerat, nunc executioni mandat: peccatores enim jam creat, eos rationis compotes ac æternæ felicitatis capaces efficit; et in majus amoris sui in peccatores testimonium multas ad eorum usum, multas ad eorum sustentationem, multas ad eruditionem, multas ad consolationem, multas ad delectationem, et multas

ut eis subsint, creaturas producit. Fateri, o peccator, Deum te plurimum dilexisse, cum fecerit te et fecerit tam multa propter te. Majora adhuc suæ in te dilectionis testimonia exhibuit, cum pro tui salute et ut te redimeret, humanam carnem assumeret, frater tuus fieri, in humili præsepio nasci, vilibus involvi panis, temporum injuriis exponi, Herodis et Phariseorum persecutiones pati, flagellis caedi, alapis percuti, cruci affigi et dirissimam mortem obire voluit. O excessum! O stuporem? O immensam Dei in peccatores charitatem. Nulla inter homines major esse posse videtur charitas, quam quod quis pro amicis suis sanguinem fundat et animam ponat; *majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (Joan. 15, 13). At longe major Dei in peccatores extitit charitas, qui licet infensissimi ejus essent inimici, eos tamen ita amavit, ut pro eorum salute incarnari, annihilari, flagris excipi, crucifigi et pretiosissimum sanguinem effundere dignatus sit. Cui charitati, inquit sanctus Bernardus, nulla alia similis esse, fuisse, vel fore videtur, *Majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Tu vero, clementissime Jesu, majorem ostendisti, ponens eam etiam pro inimicis: cum enim adhuc inimici essemus pro mortem tuam et tibi reconciliati sumus, et Patri: quoniam alia videtur esse, vel fuisse, vel fore hujus similis charitas* (ser. ter. 4 post Dom. Pass.)! Nulla quidem major inveniri potest charitas; atque hujus charitatis magnitudo inde magis patet, quod Christus hæc omnia non ex necessitate et coacte, sed voluntario pro peccatoribus passus sit. Unica enim sanguinis sui gutta, imo unico voluntatis suæ actu omnes peccatores redimere poterat; tantum autem ejus in illos amor extitit, ut pro iis totum sanguinem suum fundere voluerit. O portentosum Dei in peccatores amorem? Qui inde magis adhuc elucescit, quod Christus graviora et prolixiora pro eorum redemptione tormenta pati voluisset et desiderasset. Unde, ut adnotat V. Beda, cum Christus in cruce hæc verba profert, *Deus meus, ut quid dereliquisti me?* conqueritur non propter tormenta quæ patitur; sed quia *Pater non ei longiorem concedit vitam, ut plura pro pec-*

catorum redemptione pati possit. Inenarrabilia prorsus et incomprehensibilia sunt hæc amoris testimonia, quæ Christus peccatoribus dedit, cum pro eorum salute crucifigi et mori voluit. Hic non hæsit Dei in peccatores amor; nihil enim jam omittit, ut cuique peccatori in hoc mundo viventi suum amorem testetur, nil non præstat, ut quemlibet peccatorem ab inferni faucibus eripiat, a peccatis eruat, justificet et salvet. Dic, o peccator, quoties peccatis tuis moruisti, ut in infernum te Deus præcipitaret et tamen ne in infernum caderes impedivit? Quoties descendisti usque ad portas inferni et ne illic intrares te tenuit? Quoties appropinquasti usque ad portas mortis, et ne ipse te caperent, obstitit? Si in hoc et in illo casu quem tu nosti, mors te occupasset, nonne mox infernus animam tuam suscepisset, ac perpetuo damnatus fuisses? Et tamen tantus Dei in te fuit amor, ut de corporis et animæ morte te eripuerit. Forte millies Deus te juste damnare potuisset, si voluisset; noluit, quia amabat te. Træhebat te tartareus draco, deglutira paratus; Deus per misericordiam suam defendit te usque nunc et ab orô ejus extraxit, nec in infernum, quo dignus eras, te projici permisit. O magnum Dei in te amorem! Neque tibi est terminus amoris et beneficiorum Dei in peccatores; nihil enim prætermittit eorum quæ facere potest, ut eos a peccatis eripiat, justificet et salvet. Eos magna cum patientia expectat, ut per poenitentiam ad ipsum veniant: eos superno lumine sæpe irradiat, ut in quanto suæ salutis periculo versentur agnoscant; eorum conscientiam interdum lancinat, ut illos ad peccata valadicendum inducat; suos mittit Angelos, ut eos ad viam salutis revocare conentur; ipse gratia sua peccatores interiori monet et ad bonum agendum excitat; auxiliares manus per se, per pastores, per confessorios et per confessarios illis offert, ut e criminum suorum cœno egredi et justificari valeant: præstat tandem quidquid juxta infinitæ sapientiæ suæ leges debet et potest, ut eos convertat, justificet et salvet: *Quid est hoc, quod debui ultra facere vineæ meæ et non feci ei?* O quot et quanta Dei in peccatores amoris testimonia! Quam magna eis impendit

beneficia! Quæ inde etiam majora quisque censebit, quod omnino gratuita sint. O peccator, meruerasne, ut Deus te crearet, hominem te faceret, a demonis servitute te redimeret, te ab inferni faucibus eriperet, teque ad penitentiam expectaret et vocaret? Nil sane eorum promerueras: imo tot et tantorum beneficiorum totaliter indignus eras, et Deus ex mera bonitate sua te iis affectit. Ideo gratias age Deo, qui tot et tanta tibi gratis beneficia exhibuit; ama Deum, qui tantopere te dilexit. Dic, o peccator, si quis oculorum lumen, si quis usum aurium vel manum tibi dedisset; si quis pedem tibi præpeditum aliquomodo reparare videretur; vel si quis sopitam quavis occasione excitasset in te rationem, nonne eum plurimum amares? Nonne æternas ei gratiarum actiones rependeres? Quanto magis Deum amare, eique gratias agere debes, cum ille non aliquorum salummodo membrorum usum dederit, verum pedes, oculos, caput, omnia corporis membra, omnes animæ tuæ potentias, teque totum creaverit, ac te totum tibi dederit. Dic iterum, peccator, si quis a dira te Maurorum, vel Turcarum servitute eripuisset, nonne ei gratias rependeres? Nonne eum ut benefactoris et liberatoris tui ardentè amares? Certe, nisi inhumanus et ferreus esses, te totum in amoris et gratiarum actionis actus effunderes. Quanto magis Deo gratias agere debes, quanto ardentius illum amare teneris, cum gravissima passus sit et acerbissimam mortem obierit, ut te a dirissima demonis et peccati servitute liberaret. Dic tandem, peccator, nonne ardentissime diligeres eum, qui a formidando te eruisset præcipitio, qui a præparato tibi rogo te liberasset? Eum sane summo prosequeris amore, eique immortales gratias rependeres. Ergo multo magis Deum amare, eique gratias referre debes, cum ab inferni præcipitio et rogo, in quem projici pluries merueras, te ex mera sui bonitate eripuerit. Ama ergo Deum, qui tantopere te amavit. Dic illi ex intimo cordis affectu; diligam te, Deus meus, Creator meus, Redemptor meus, Liberator meus. Dic illi cum D. Augustino: *Diligam te, Domine; virtus mea: diligam te, omnis exultatio mea: diligam te toto corde meo, tota anima mea, tota mente mea, tota*

fortitudinē mea et totis viribus meis, et etiam ex intimis medullis cordis mei. omnibus horis et momentis, quibus fruar bonis misericordiae tuae. Sicut enim nulla hora est, vel punctum in omni vita mea, quo te non habeam ante oculos; sic nullum erit momentum, quo tu non habeam ante oculos in mea memoria et te non diligam ex omni fortitudine mea (Soliloq. 7). Hoc die, et fac quod te facturum dixeris, ama et ardentem ama, et toto vite tuae tempore ama Deum, qui te prior dilexit. Cum autem Deus amet hominem peccatorem, nil mirum quod diligit hominem penitentem.

II PARS.

Deus diligit homines penitentes.

Homines Deus ad poenitentiam vocat: eos ex peccatoribus penitentes fieri desiderat; moxque ut veram poenitentiam susceperint, eos ardentius amat, eisque majora amoris sui testimonia exhibet, 1. quia eos benigne recipit; 2. quia omnia iis peccata dimittit; 3. quia aeternae iis poenae reatum remittit; 4. quia amissam gratiam, primoque iis honores restituit.

1. Indignus erat peccator, ut a Deo, cui injuriam fecerat, benigne reciperetur; Dei iustitia potius, quam ejus misericordia dignus erat. Cum tamen ex peccatore fit penitens, tantus in eum Dei est amor, ut illum benigne recipiat, eumque quasi desponsat: *Sponsabo te mihi in sempiternum* (Osee 2, 19). Cum uxor a viro discessit, aliamque virum duxit, a primo sponso non benigne recipi solet; tantus autem est Dei animarum nostrarum sponsi in peccatores amor, ut licet ab eo per peccatum recesserint et aliis amatoribus cor suum dederint, si tamen ad ipsum per poenitentiam redire voluerint, eos benigne recipiat et in aeternum sponset. *Si dimiserit vir uxorem suam, et recesserit ab eo, duxerit virum alterum, numquid revertetur ad eum ultra? Numquid non polluta et contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus*

multis, tamen revertere ad me, dicit Dominus, et ego suscipiam te (Jer. 2, 1). Audi, peccator, Deum promittentem tibi, quod si ad eum per poenitentiam redieris, benigne te recipiet, et ego suscipiam te. O magnum Dei in homines poenitentes amorem!

2. Magnus quidem hic Dei in homines poenitentes amor, quod scilicet eos licet indignos benigne recipiat; tanto adhuc illos amore prosequitur, ut non aliqua dumtaxat, verum et omnia quantumvis gravia et enormia peccata dimittat. *Si impius, inquit Deus, egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, quae operatus est: omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor* (Ezech. 18, 21). Ita hominis poenitentis peccata Deus delet, ut eorum amplius non recordetur ad vindictam; ac poenitentes ita amet, quasi nunquam peccaverint. O eximium Dei in homines poenitentes amorem! Quin eos magis adhuc diligit, quia non eis solum omnia peccata dimittit, *verum et iis aeternae poenae reatum remittit.*

3. Quamdiu quis in statu lethalis peccati vivit, aeternis cruciatibus obnoxius est, ita ut si in hoc statu diem obeat, mox in infernum, aeternum cruciandum projiciatur. O quam misere vivit, qui in hoc statu vivit! Contra quam felix homo poenitens, quem, cum poenitentiam agit, Deus ita diligit, ut hunc poenae aeternae reatum illi remittat, ac praestet ut aeternis suppliciis non amplius obnoxius sit. Sempiternis illis cruciatibus peccatores Deus justo suo iudicio destinat, nisi respiciant; verum ex nimia bonitate sua iis poenitentiam agentibus hanc poenam tollit, iisque veniam concedit: *Qui poenam per iudicium destinavit, idem et veniam per poenitentiam spondit, dicens ad populum, poenitere et saltem faciam te* (Tert. de poenit. 4).

4. Ecce aliqua, eaque eximia amoris Dei in poenitentes testimonia; majus autem amoris ejus in illos testimonium hoc est, quod iis amissam gratiam restituit, ac primos reddat honores. Mox enim ut quis poenitentiam agit, gratie justificantis stolam ei Deus tradit et non secus ac filii prodigi pater, clamat dicens: *Cito proferte stolam primam, et induite illum, et date*

annulum in manum ejus, et calcamenta in pedes ejus (Luc. 15, 22). Quæ verba de Patre eterno explicans Chrysologus, ait, Deum ita hominem penitentem diligere, ut non ei solum stolam gratiæ justificantis, etiam pristinos honores restituit: *Paterna pietas contenta non est, innocentiam reparare solam, nisi pristinum restituit et honorem* (Serm. 1, de duob. fili.). Cum Nabuchodonosor ad se reversus agnovit Altissimum, et peccatorum quæ patraverat penitentiam suscepit, ei Deus non solum gratiam justificantem contulit, sed et illi regni honorem restituit: sic eum peccator crimina sua per penitentiam delet, non solum dat ei Deus gratiam justificantem, insuper illi pristinos honores confert. Imo Deus hominibus penitentibus non solum amissam gratiam ad æqualitatem, verum etiam sepe cum additione et fenore restituit. Sicut enim filii Israel ex Ægypto ditiores egressi sunt, quam in Ægyptum ingressi fuerunt, nam Deus *eduxit eos cum argento et auro* (Ps. 104); ita homines per penitentiam sepe a peccatis suis gratia et bonis spiritualibus ditiores resurgunt, quam ante casum fuerint. Sicut etiam prodigi illius filii pater benignius, lautius et festivus erga illum redeuntem se gessit, quam antequam ab illo exiret, ita et Deus erga peccatores ad eum per penitentiam revertentes se liberaliorem sepe exhibet, quam antequam ab illo per peccatum discederent: si sepe abundantioris gratias tribuit, eosque ad altiores honorum gradus elevat. O quam magnus Dei in homines penitentes amor! *Eos amat*, cum eos licet indignos benigne recipiat: *eos amat*, cum iis indulgeat, omniaque peccata, quantumvis gravia, multa et inveterata dimittat: *eos amat*, cum æternorum inferni suppliciorum iis reatum remittat: *eos amat*, cum amissam iis gratiam et primos honores restituat. Vido, homo penitens, quantum diligit te Deus; vido itidem, an redames eum, qui tantopere te dilexit; vido, an pro tot acceptis beneficiis eum laudaveris; ac debitas ei gratias rependeris. Forte nondum oculos in altum sustulisti, ut gratias ageres benefactori et amatori tuo! Forte post tot accepta beneficia, atque post tot in te amoris testimonia, oblitus es Dei tui, dereliquisti amatorem tuum et in pristina

peccata iterum cecidisti! *Cum Deus nobis magna beneficia præstat, nihil exigit a nobis, nisi ut eum diligamus* (D. Basil. in c. 10 Deut.), eique gratias referamus. Dic, homo penitens, qui tot beneficia, totque amoris signa a Deo recepisti, dic, inquam, ubi est amor tuus? Ubi gratiarum actiones, quas Deo rependisti? Itane eum dilexisti, ut a tempore quo penitentiam egisti, nullo modo in eum peccaveris? Itane ei addictus fuisti, ut omnia ad ejus laudem et gloriam feceris? Hæcine reddidisti Deo amatori et benefactori tuo: *hæcine reddis Domino?* Forte retribuisti mala pro bonis? Forte post acceptam a Deo veniam et gratiam pluries in eum peccasti? Forte similis fuisti ingratis hujusmodi, qui cum Deum diligere debent, detrahebant illi: *pro eo ut me diligere, detrahebant mihi?* Heu! si tanta tua fuerit ingratitude, eam detestare, veniam a Deo supplex postula et imposterum ab omni abstine peccato, omnibusque cordis tui modullis lauda et ama eum, qui tantopere te dilexit. *Deus autem qui hominem penitentem amore prosequitur, hominem justum maxime diligit.*

III PARS.

Deus diligit homines justos.

De justis specialiter asserit propheta, quod a Deo diligantur: *Dominus diligit justos* (Psal. 145). Et ipse Deus per alium prophetam declarat, quod justos ut pupillam oculi sui amet, dicens: *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei* (Zach. 2). In que verba D. Augustinus ait, Deum justos vocare pupillam oculi sui *propter excellentissimum dilectionis affectum quo eos prosequitur*. Propter eundem affectum asserit Deus, quod ad justum veniat et in illo maneat: *Pator meus diligit eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (Jo. 14, 23). Deus qui ubique est, ideoque immobilis, venit ad justos et in iis manet, non loci mutatione, sed nova operatione et specialis quodam amoris testimonio quod eis

exhibet. Ad eos venit Pater aeternus per suam potentiam, ut illos protegat; Filius per suam sapientiam, ut eos illuminet; Spiritus Sanctus per suam gratiam, ut eos in iustitia conservet et promoveat; ad justos tandem tres sanctissimae Trinitatis personae *veniunt subveniendo, illuminando, implendo*; et in iis manent et habitant, quasi in domo et templo sancto suo: *Vos estis templum Dei vivi* (2 Cor. 6). Nec credas, in justis Deum tunc solummodo specialiter esse et habitare, cum prosperitate gaudent, vel cum temporalibus bonis affluunt; in iis enim et cum iis etiam est, quando tribulantur, et gravia patiuntur: *Cum ipso sum in tribulatione* (Psal. 90). Tunc cum eis est, ut eos adjuvet, consoletur, corroboret, perficiat et celo dignos efficiat. Ecce plurima divini amoris erga justos testimonia: alia nonnulla ejusdem amoris argumenta paucis verbis colligit Sapiens, dum ait: *Justum dedecit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei; et dedit illi scientiam Sanctorum*. Justi non a mundi, vel carnis spiritu ducuntur; verum a Deo, qui eos ducit per vias rectas charitatis, patientiae, humilitatis et obedientiae: *justum dedecit Dominus per vias rectas*. Et quia viae illae arduae sunt et difficiles, ut eos ad hujusmodi vias strenue incedendum alliciat, in secreto contemplationis ostendit illis regnum eorum. Quasi dicat: *durum vobis est, viis charitatis, humilitatis, patientiae et obedientiae incedere; durum vobis est amare eos qui vos persequuntur, coram omnibus humiliari, dira quaeris pro mei amore pati et mandatis meis obtemperare; jam videte paratum vobis caelorum regnum, quod dabo vobis si per has vias ambulatis; et ostendit illi regnum Dei*. Quid plura? *Et dedit illi scientiam Sanctorum*, Deus enim ita diligit justos, ut ab eorum mentibus deleat scientiam mundi quae docet vanitatem, et scientiam carnis quae docet voluptatem; ac docet illos *scientiam Sanctorum*, seu scientiam illam coelestem et practicam, qua quis studet Deo per omnia servire et placere, seque totum ad ejus voluntatem convertere. Ecce quomodo Deus justos diligit; quin et alia multa amoris sui testimonia eis exhibet; inter quae non mihi parvum quid videtur laetitia illa spiritualis et interna,

qua eos replet. Misori peccatores nulla unquam vera pace et laetitia fruuntur; non est gaudere impiis, dicit Dominus; *at vox exultationis, et salutis in tabernaculis justorum* (Psal. 117). Laetantur justi ob testimonium conscientiae; laetantur, quia Dei amicos et filios se esse confidunt; laetantur potissimum et juste laetantur ob certam spem, quam de futura gloria habent. Quis enim non laetetur in *spe gloriae filiorum Dei*? Quid triste potest accidere ei, qui post modicum sperat cum Deo regnare, inter angelos sociari, et felicitatis aeternae gaudia possidere? Ruat mundus, dissolvatur orbis, terra dehisceat; si fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinae. Non enim contristabitur justus quicquid acciderit ei, quin contra semper laetabitur, et in mediis etiam tribulationibus gaudio superabundanti: *superabundo gaudio in omni tribulatione* (2 Cor. 7, 4). Miramini Dei erga homines justos amorem, qui tantus est, ut etiam in hoc mundo, interna eos laetitia et consolatione repleat. Adhuc et illos Deus ita amat, ut alia multa iis bona largiatur; et ideo filio suo dicebat Tobias: *multa bona habebimus, si timerimus Deum*. Quae et quanta in praesens justis Deus largiatur bona, et impendat beneficia, facile auspiciabitur qui animadvertit, viros justos qui hujusmodi bonis fruuntur, omnia alia mundi bona et solatia parvipendere ac veluti stercora inspicere. Consule prophetas, apostolos, doctores, consule religiosos, monachos, eremitas; consule Antonium, Paulum, Hilarionem et alios sanctos qui in eremo solitarii, silvestres inter bestias diutissime vixerunt, pete ab illis, quid suavitatis in solitudine invenerint? Quid inter rupes et saxa illos detinebat? Cur non redibant ad mundi solatia? Propter quid saeculi divitias et delicias non repetebant? Certe quia Deus tot illos bonis spiritualibus, totque et tantis deliciis replebat, ut, comparatione eorum omnia mundi bona et solatia parvipenderent, pro nihilo haberent, ac veluti lutum arbitrantur et despicerent. O quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te! Quam magna sunt spiritualia bona, quibus justos etiam hic in terris replet! Quid erit in paradiso? Quae et quanta erunt caelestia illa bona, quae a

Deo recipient? Ibi Deus, qui eos amavit, dum in sæculo viverent, illos infinito prosequetur amore, ineffabilibus eos bonis replebit et sempiterna illos gloria coronabit. Quando moritur peccator, pereunt omnes cogitationes ejus, omnia negotia, omnes fraudes, omnes sollicitudines, omnia solatia, omnis denique opera, quæ in fovenda, nutrienda et saginanda carne expensa est: nulli illius remanet nisi sola misera anima, quæ perpetuo incendio puniendæ reservatur. Justi vero post mortem amplam retributionem et mercedem copiosam percipiunt, intrant in gaudium Domini sui et ad cæli sedes sublimantur, ubi perpetua et inenarrabili gloria perfruuntur. Hæc est pars justorum, hæc sors timentium Deum et custodientium præcepta ejus. *Peccator videbit et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet* (Ps. 111). Ad tormentum suum videbit peccator justorum felicitatem et gloriam, videbit quid amisit, et videndo irascetur, ac dentibus suis in seipsum fremet et tabescet, quia tanta bona tam stulte perdidit. Merito fremet et justè contabescet peccator, quia cum posset per viam justitiæ ire ad cælestem gloriam, elegit potius per vias difficiles, per saxa et spinas tendere in gehennam. Heu, quo fremitu, quo ejulatu, quibus clamoribus hanc suam stoliditatem et cæcitatem deplorabunt peccatores! E converso quanta justorum erunt gaudia, quanta solatia, quanta præmia! Quis non timeat cruciari cum impiis, et quis non ambient cum justis præmiari? Timeate impii, trepidate et a via iniquitatis discedite, ut justitiæ viam ambuletis. Desinite in statu peccati vivere; ad semitas justitiæ transite. Estote justii: et Deus ita vos amabit, ut in hoc mundo vos spiritualibus bonis repleat, ac in alio cælestibus et æternis vos afficiat. Amen.

DOMINICA QUARTA POST PENTECOSTEN.

DE VERBO DEI.

Cum turbæ irruerunt in eum, ut audirent verbum Dei, et ipse stabat secus stagnum Genesareth (Luc. 5).

Triam est Dei verbum: unum, quod ex mente Dei, aliud, quod ex corde Dei, et aliud, quod ex Dei ore procedit. *Verbum*, quod ex Dei mente procedit, est ipsum Verbum æternum et increatum, quod ab æterni Patris intellectu producitur in similitudinem nature. *Verbum* ex Dei corde procedens est verbum illud bonum, quod cor ejus eructavit, cum Verbum æternum ex nimio sui in homines amore in beatissimæ Virginis utero ad eorum salutem incarnari voluit. *Verbum* denique, quod ex Dei ore procedit, sunt eloquia sancta a Deo per seipsum, vel per alios prolata, quibus de his quæ ad salutem credenda, speranda, vitanda et facienda sunt, crudimur, et ad recte vivendum accendimur. *Verbum mentis* semel duntaxat prolatum est, cum scilicet ab æterno Filium suum Pater æternus genuit. *Verbum cordis* semel etiam tantum dictum est, nempe cum Verbum æternum in beatissimæ Virginis utero est incarnatum. *Verbum autem oris Dei* a mundi primordio populis predicatum est, et usque ad mundi finem predicabitur; illudque Christus divino suo ore, tanto fervore, tanta eloquentia, tanto verborum lepore, tantaque sententiarum vi hominibus annuntiavit, ut populi summò illum audiendi desiderio succensi illum sequerentur, et in illum irruerent: *Cum turbæ irruerent in eum, ut audirent verbum Dei.* Sedulo inspicimus, quomodo se habuerint populi erga Christum predicantem, et inde sumamus occasionem docendi, quomodo se gerere debeant Christiani, cum eis Dei verbum per concionatores annuntiatur. Ave, Populi, qui Christum sequebantur, ejus concionibus audiendis

Deo recipient? Ibi Deus, qui eos amavit, dum in sæculo viverent, illos infinito prosequetur amore, ineffabilibus eos bonis replebit et sempiterna illos gloria coronabit. Quando moritur peccator, pereunt omnes cogitationes ejus, omnia negotia, omnes fraudes, omnes sollicitudines, omnia solatia, omnis denique opera, quæ in fovenda, nutrienda et saginanda carne expensa est: nulli illius remanet nisi sola misera anima, quæ perpetuo incendio puniendæ reservatur. Justi vero post mortem amplam retributionem et mercedem copiosam percipiunt, intrant in gaudium Domini sui et ad cæli sedes sublimantur, ubi perpetua et inenarrabili gloria perfruuntur. Hæc est pars justorum, hæc sors timentium Deum et custodientium præcepta ejus. *Peccator videbit et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet* (Ps. 111). Ad tormentum suum videbit peccator justorum felicitatem et gloriam, videbit quid amisit, et videndo irascetur, ac dentibus suis in seipsum fremet et tabescet, quia tanta bona tam stulte perdidit. Merito fremet et juste contabescet peccator, quia cum posset per viam justitiæ ire ad cælestem gloriam, elegit potius per vias difficiles, per saxa et spinas tendere in gehennam. Heu, quo fremitu, quo ejulatu, quibus clamoribus hanc suam stoliditatem et cæcitatem deplorabunt peccatores! E converso quanta justorum erunt gaudia, quanta solatia, quanta præmia! Quis non timeat cruciari cum impiis, et quis non ambient cum justis præmiari? Timeate impii, trepidate et a via iniquitatis discedite, ut justitiæ viam ambuletis. Desinite in statu peccati vivere; ad semitas justitiæ transite. Estote justii: et Deus ita vos amabit, ut in hoc mundo vos spiritualibus bonis repleat, ac in alio cælestibus et æternis vos afficiat. Amen.

DOMINICA QUARTA POST PENTECOSTEN.

DE VERBO DEI.

Cum turbæ irruerunt in eum, ut audirent verbum Dei, et ipse stabat secus stagnum Genesareth (Luc. 5).

Triam est Dei verbum: unum, quod ex mente Dei, aliud, quod ex corde Dei, et aliud, quod ex Dei ore procedit. *Verbum*, quod ex Dei mente procedit, est ipsum Verbum æternum et increatum, quod ab æterni Patris intellectu producitur in similitudinem nature. *Verbum* ex Dei corde procedens est verbum illud bonum, quod cor ejus eructavit, cum Verbum æternum ex nimio sui in homines amore in beatissimæ Virginis utero ad eorum salutem incarnari voluit. *Verbum* denique, quod ex Dei ore procedit, sunt eloquia sancta a Deo per seipsum, vel per alios prolata, quibus de his quæ ad salutem credenda, speranda, vitanda et facienda sunt, crudimur, et ad recte vivendum accendimur. *Verbum mentis* semel duntaxat prolatum est, cum scilicet ab æterno Filium suum Pater æternus genuit. *Verbum cordis* semel etiam tantum dictum est, nempe cum Verbum æternum in beatissimæ Virginis utero est incarnatum. *Verbum autem oris Dei* a mundi primordio populis predicatum est, et usque ad mundi finem predicabitur; illudque Christus divino suo ore, tanto fervore, tanta eloquentia, tanto verborum lepore, tantaque sententiarum vi hominibus annuntiavit, ut populi summò illum audiendi desiderio succensi illum sequerentur, et in illum irruerent: *Cum turbæ irruerent in eum, ut audirent verbum Dei.* Sedulo inspicimus, quomodo se habuerint populi erga Christum predicantem, et inde sumamus occasionem docendi, quomodo se gerere debeant Christiani, cum eis Dei verbum per concionatores annuntiatur. Ave, Populi, qui Christum sequebantur, ejus concionibus audiendis

erant assidui et ferventes, cum in eum irruerent, ut eum predicantem audirent; cum turbæ irruerent in eum, ut audirent verbum Dei. Hi populi sermonibus ejus intendebant, cum verbis illius ita intentos haberent animos, ut nec manducare, nec bibere recordarentur, pluribusque diebus eum, nec manducantes, nec bibentes sequerentur: ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent (Mar. 8, 2). Hi tandem populi multas ex concionibus ejus percipiebant utilitatem, cum innumeri converterentur, et pravis abrennuntiantes moribus, se totos Dei obsequio consecrarent. Illi populi Christianos docent, qua ratione se habere debeant, cum palam loquantur concionatores: eos enim 1. audire debent assidue, ita ut sine gravi causa a concionibus non absint; 2. eorum verbis debent intendere, ut dum habetur concio, nec garriant, nec rideant, nec quocumque modo animos suos alio ferant; 3. ex concionibus utilitatem percipere debent, ita ut concionatorum verbis ad debitam morum suorum compositionem utantur. Conciones audiri debent assidue, attente et utiliter; in tres hujus orationis partes.

I PARS.

Conciones audiri debent assidue.

Miratur jure merito S. Ambrosius fervorem illorum populorum, qui in Christum irruunt, ut audiant verbum ejus. Nox imminabat, Christus in navi predicabat, non ideo tamen ab eo discesserunt; ac illum predicantem assidue audierunt: *Vesper incubuit, sequebantur; stagnum occurrit, urgebant, et ideo ascendit in navim* (in c. 5 Luc.). Poterant hi multa cum ratione a Christo se subducere, tum quia tempore incommodo, vespertino scilicet, et nocte imminente, concionem haberet: tum quia predicaret in loco minime sacro, et sub dio, ubi et ipse et auditores variis temporum iniuriis erant expositi: tum quia ad littus stagni et ex insolita cathedra, fluctuante videlicet vill

navicula, verba faceret. Verum nihil eorum populos ab audiendo Dei verbo deterret, quin contra, sancto successi fervore, irruant in Christum, ut eum predicantem audiant. Utinam eodem fervore arderent hujusmodi ævi christiani! Utinam ut se concionibus audiendis assiduos præberent, omnia que obstant sædulo removerent! Ast proh dolor! minimo quovis accedente impedimento, imo et sine ulla legitima causa, ex mera negligentia vel pietatis christiane defectu ab iis audiendis se subtrahunt. Ut autem istius temporis populos ad conciones assidue audiendas inducam, velim, serio perpendant, hoc verbum, quod a concionatoribus profertur, non esse aliud, quam Dei verbum, et Christi Evangelium. Equidem non predicamus Evangelium de verbo ad verbum, sed predicamus Evangelii sensum. Prædicamus jejundanum, iniurias condonandas, honorandos parentes, aliena restituenda, penitentiam agendam, et alia his similia sacri Evangelii dogmata, que qui prædicat, Evangelium prædicat, quia, ut ait S. Hieronymus, *in verbis Scripturarum non est Evangelium, sed in sensu*. Ideo cum Evangelium et Dei verbum prædicamus, ei audiendo vos assiduos præbere: *audite verbum Domini gentes* (Jer. 31). Ut Israelitas ad custodiendam legem Deus induceret, dicebat, se locutum esse: *Dominus locutus est*. Sic, ut ad audiendas conciones alliciamini, perpendite, Deum ore concionatorum loqui, et ab iis Dei verba proferri. Non ab iis fabulæ et fignenta, ut quid certum proponuntur; ab illis verbum Dei ad auditorum eruditionem, conversionem, et salutem prædicatur: oportet ergo audiendo Dei verbo assidue properetis. Videmus, quod cum satanæ ministri in Novatorum templis, Lutheri, Calvini, vel alterius ejusque heresiarchæ errores prædicant, ad eos audiendos currunt sectatores, suntque maxime assidui ad audiendos sermones hominum impiorum, qui prædicant non ut salvent, imo ut in errorem et in damnationem eternam inducant. Quanto majore fervore audiri debent concionatores a Deo missi! Quanto magis viri catholici assiduos se præbere debent audiendis concionibus, in quibus verbum Dei ad conversionem, et salutem auditorum prædicatur! Ad audiendum assidue Dei

verbum adduci sane deberent Catholici hoc solo, quod *Verbum Dei* sit illud, quod iis predicatur. Verum ad illud assidue audiendum vehementius excitabuntur, si advertant, hanc intercedere differentiam inter eos qui ex Deo sunt, et eos qui ex Deo non sunt; quod primi verbum Dei audire ament, secundi vero illud audire recusant; sic enim Judeus dicebat Christus Salvator: *qui ex Deo est, verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis* (Joan. 8, 47). Unde hanc universalem statuit regulam Chrysostomus, quod qui ex Deo sunt, seu persone virtutem sectantes, Dei verbum maxima cum voluptate audiant; qui vero ex Deo non sunt, seu impii, illud audire renuant, illudque raro audiant: *regula hæc universalis est; nemo in virtute viventium Dei sermonem fugit; in multa vero malitia viventium nemo, præter paucos, sermonem admittit* (ho. 50 ad pop.). Audiendum ergo assidue Dei verbum, ut Dei filii sitis, ac etiam audiendum assidue, si attendatis mirabiles effectus, quos Dei verbum in auditorum cordibus producere solet. D. Ambrosius ait, verbum Dei esse remedium, lumen et fontem: *verbum tuum medicina est, verbum tuum lumen est, verbum tuum fons est* (pæf. in ps. 45). Est quidem medicina ad sanandas omnes animæ infirmitates idonea; est etiam lumen, quo ignari de rebus salutis erudiuntur; et est fons, a quo innumera beneficia in auditores fluunt. Ut enim ajunt sancti Doctores, verbum Dei illuminat intellectum, voluntatem ad bene faciendum inflamat, mentem in Dei obsequio roborat; solatur in adversis, in prosperis erudit, præservat a vitis, ad penitentiam suscipiendam excitat. Adidi posset ex regio propheta, verbum Dei 1. cedros confringere, seu humiliare superbos, qui ut cedri elevati ambiunt; *vox Domini confringentis cedros* (Ps. 28); 2. inferni ignem extinguere, ita ut in inferni flammis non projiciantur qui Dei verbum audiunt, et ex illo utilitatem percipere conantur: *vox Domini intercedentis flammam ignis*; 3. corda deserta et indurata concutere, et mollire: *vox Domini concutentis ile-sertum*; 4. peccatores, qui ut cervi a Deo fugiunt, ad virtutem sectandam preparare: *vox Domini preparantis cervos*. O quam præclari effectus, quos Dei verbum producit! Itaque

prompti, ferventes, et assidui esse debetis in audiendo Dei verbo, ut ex eo tales effectus percipere valeatis. Assidue sane essetis verbo Dei audiendo, si vos ab ejus auditu non averteret satanas, qui, appropinquante concionis tempore, sciens quantam utilitatem ex Dei verbo percipere possunt homines, undequaque vagatur, ut eos impediatur, ne concionem adeant. Maligni illi spiritus omnis generis personas tunc conveniunt, et aliis dicunt: ne ad concionem vos conferatis, quia hic concionator acrior est in redarguendo, et in sermonibus prolixior. Aliis intus inspirant, non adeundam concionem, quia concionator nil novi docet, ejusque conciones non satis studiose culte et elaborate sunt. Aliis suadent; deest vobis tempus idoneum accedendi ad concionem, alia vos magis nunc urgent negotia: non hodie, sed cras, vel altera die concionatorem audietis. His et aliis hujusmodi multis rationibus demones ab audiendo Dei verbo homines avortunt: *venit diabolus, et tollit verbum de corde eorum* (Luc. 8, 12). Perversis illis demonis inspirationibus strenue resistendum, et assidue Dei verbum est audiendum, ac etiam attente.

II PARS.

Conciones audiri debent attente.

Prima auditoris dispositio est recta intentio, ita ut ad concionem accedat cum intentione glorificandi Deum, et ex concione fructum ad sui salutem eliciendi. *Secunda* vero dispositio est oratio; antequam enim ad concionem audiendam quis accedat, Deum humiliter et enixe orare debet, ut det cor docile, et ut animam ad debite audiendam concionem præparet. Prævis autem duabus hæc dispositionibus, quisque concionatorem audire debet magna cum attentione. Dum fit prædicatio, auditores hinc inde respicere non debent, ut adnotent que sit vestis unius, quis sit alterius comitatus, quomodo se gerat iste, quid faciat ille. Non etiam garrire, confabulari, vel gesticula-

tionibus et se et alios ab audiendo attente Dei verbo avertere; nec quocumque modo animum alio ferre debent, verum magna attentione oportet recipi in corde verbum Dei. *Si enim*, inquit Chrysostomus, *cum regis legatur litteræ, ubique est silentium, omnium aures arriguntur, ut sciant quæ regis litteris manifestentur, et quisquis vel parum tumultuatus fuerit, in magno periculo est, multo magis cum magno timore et tremore standum, et alium silentium habendum, et pellenæ cogitationes turbulente, ut verba Dei intelligere possimus* (hom. 34 in Gen.). Quemadmodum terreni reges aliquando per semetipsos loquuntur, aliquando per epistolam suam manifestant voluntatem, et aliquando legatos mittunt, qui regis personam gerant; ita Deus primo per semetipsum hominibus locutus est, et sic olim ad Adam venit, sic Cain increpavit, si cum Noë locutus est (Chrys. h. 2 in Gen.). Deinde Deus, ut suam hominibus manifestaret amicitiam, quasi absentibus litteris, misit sacram scilicet Scripturam, quæ nihil aliud est, quam epistola a Deo ad nos missa, ut suam nobis patefaciat voluntatem, utque ad vitii fugam et ad virtutis amorem nos hortetur. *Quid est Scriptura, nisi quoddam epistola omnipotentis Dei ad creaturam suam?* Deus tandem legatos misit, qui personam ejus gererent, ejusque nobis litteras legerent. Hi legati a Deo missi sunt ipsi apostoli, alique concionatores, qui sacras Scripturas aperiant, et qui litteras nobis a Deo missas legunt, cum concionantur; ideo summa cum attentione audiendi. Refert Panoritanus, quod cum Janottus Manettus, Florentinorum legatus, ad regem Arragonum Alphonsum missus, *prolicam, nec minus elegantem orationem pronuntiaret, attentionem, patientiamque regis apprime miratus est, ne quod oculis quidem a se divitissime dicente, minimum deflexisset, nec manus movisset*. Quod si hic et alii legati a terrenis principibus missi, tanta animi attentione audiantur, quanto attentius audiri debent concionatores, qui sunt legati a Deo missi, ut ejus nobis aperiant voluntatem, atque nobis epistolas ab eo missas legant! isti sane legati attentius audiri debent, quam illi. Nunc autem tanta est hominum perversitas, ut legatos a terrenis

principibus missos attente audiant, concionatores vero, qui sunt legati a Deo missi, nulla mentis attentione audire curent. Et ideo eos increpat D. Chrysostomus, dicens: *itane, si a rege quispiam missus veniat, omnes attendunt; a Deo autem venit, atque ex ipsis caelis loquitur propheta, et nemo est qui attendat? Annon creditis, quæ dicuntur hic, a Deo sint? Epistolæ sunt illæ a Deo missæ* (hom. 8 in ep. ad Thess.). Audiendi sane concionatores attente tanquam legati a Deo missi, qui voluntatem ejus nobis declarant legentes et explicantes nobis litteras a Deo ab homines missas, seu sacras Scripturas. Debent etiam attente audiri concionatores, si spectentur ea quæ prædicant, et verba quæ proferunt, quæ sunt pretiosa munera quæ a Deo nobis offeruntur, nimirum spiritualia dona, devota et solerti mente colligenda et retinenda. « Vellem scire, inquit D. Augustinus, si ab illa hora qua verbum Dei predicare incipimus, semper pretiosissimas gemmas et inanes, vel annulos aureos erogare vellemus, utrum stare, vel accipere velient filix vestre? Sine ulla dubitatione cum grandi ambitione, quæ illis offeruntur, acciperent. Nos autem, quia ornamenta corporalia offerre nec possumus, nec debemus, ideo non liberet audimur. Non est autem justum, ut spiritualia ministrantes superflui judicemur: qui enim verbum Dei liberet audit, inanes animæ de patria paradisi transmissas se suscepisse non dubitet ». Sic ratiocinatur D. Augustinus, cujus ratio clara est: si enim toto concionis tempore concionator fragmenta auri, inanes aureas, vel alia pretiosa monilia projiceret, omnes haud dubie ab illa colligenda accenderent; qua majore sollicitudine ac vigilantia festinare tenentur auditores ad mente colligenda verba concionatorum, veluti ad munera a Deo ad nos missa, quæ inauribus, necnon omnibus monilibus materialibus longe sunt pretiosiora! Certe hoc debent auditores; jamvero heu! quam pauci in concionibus attendunt his que dicuntur? Ibi dormiunt multi, otiosis fabulis occupantur alii, et plerique alio mentis suas distrahunt. Unus enim de venatione cogitat, alius de facultatibus ampliandis, iste de comparandis mundi dignitatibus, ille de lite, de persona quam diligit, vel de sæculi voluptatibus, paucissimi vero concionatorum verbis

attentum præbent animum. Si quid novi in orbe publicetur, mox accurrunt omnes, et vana curiositate ducti, magna cum attentione audiunt quæ enarrantur; si vero concionator summo verborum apparatu beatitudinis æternæ gloriam, cœli divitias, vitæ spiritualis delicias, gratiæ divinæ mysteria, præclaras salutis vias, et alia sacri Evangeliæ dogmata explicare pertentet, dormiunt multi, garrunt alii, et pauci ad ea quæ dicuntur, attendunt. Cum quadam die Demosthenes de Græciæ salute disserteret, ad ea quæ dicebat, non attendebant auditores; alii somno indulgebant, confabulabantur alii, et alii oscitantes nunc in unam, et nunc in aliam partem se vertebant. Quod cum perspexisset egregius orator, relicta hæc seria et maximi momenti materia, alio sermonem suum vertit, et fabulam quandam de umbra asini dicere cepit; tuncque omnes arrectis auribus adstantes, attentos dicenti habuere animos, eique facilem auditum præbuere. Ecce quomodo se gerere soleant plerique Christiani; si enim quis aliquid novi de rebus bellicis reserat; vel si quis minus vana, fabulosa et ridicula dicat, mox omnes benignas et attentas ei aures, intentumque præbent animum. Ast si concionator de Dei perfectionibus, de gaudiis paradisi, de virtutis decore, de peccati deformitate, de formidandis Dei iudiciis, vel de terribilibus inferni suppliciis sermonem instituat, tædio concipiuntur multi, multique somno corripiuntur, et alii alio animos suos ferunt. O quam exccitati et insensati sunt, qui majorem fabulis, nœnis, nugis et scurrilitatibus, quam christianis veritatibus attentionem præbent! O viri christiani, estote assidui audiendo Dei verbo; estote attentii verbis quæ a concionatore proferuntur: insuper ex concionibus quas auditis spirituales aliquam utilitatem elicite; verbum enim Dei non solum assidue et attente, *etiam utiliter est audiendum.*

III PARS.

Conciones audiri debent utiliter.

In ecclesiis et in auditoriis, in quibus fiunt prædicationes, videntur sepe statuæ lignæ vel lapideæ, quæ semper in eodem statu permanent; cumque sint opera hominum, quæ oculis habent et non vident, aures habent et non audiunt, ex concionibus quæ ibi fiunt, nullam percipiunt nec percipere possunt utilitatem. His autem statuæ similes fiunt multi christiani, qui in mediis auditoriis stantes, audiunt quasi non audiant, vident quasi non videant, semperque fidem in se remanent, nec ulla unquam ex concionibus quas audiunt, utilitatem percipiunt. Non sic profecto adstandum concionibus: qui enim his intersunt, aliquid semper ad animæ salutem emolumentum ex his elicere tenentur. Cum concionator de divinis perfectionibus dicit, mox auditores in earum admirationem rapi, ad Dei amorem excitari, ejusque obsequio se in æternum mancipare debent. Cum de paradisi gloria loquitur prædicator, mox debent auditores eam ambire, ad eam anhelare, firmoque proposito statuere, se ad illam obtinendam nihil non facturos. Cum de ultimo iudicio, vel de formidandis inferni suppliciis sermonem instituit concionator, mox quilibet ex auditoribus in corde suo excitare debet pius timor, contritionis, humilitatis, aliarumque virtutum affectus. Omnia tandem quæ proferunt concionatores, quilibet auditor ad mores suos recte componendos convertere et adhibere debet, adeo ut nullus unquam concionem audiat, quin ex ea aliquam ad profectum suum spirituales utilitatem eliciat. Commune multis vitium est, ut quæ in concionibus audiunt, non sibi, sed aliis dicta existimant. Hinc dicere consueverunt: si hic et ille concioni assistissent, vidissent, quod eorum non oblivisceretur concionator; o quam perfecte, inquam, concionatoris verba quadrant in hos et illos! Vellem, ajunt, ut hic et ille coram fuissent et audissent concionatorem de his

que illos spectant, disserentem. His et aliis ejusmodi loquendi modis, quae in concionibus audiunt, ad alios transmittunt, nilque sibi reservant. Similes hi sunt vini emptoribus, qui aliis, non sibi, vina emenda delibant: similes etiam sunt coquis et ciborum structoribus, qui aliis odalia parant, eaque partiantur convivantibus; sibi ipsis vero nihil retinent et reservant. Quin ergo ad alios detorqueantur, ad propriam utilitatem deflectere quisque debet quae a concionatore dicuntur: non inspicendi alii; quisque seipsum inspicere et concionatoris verba ad propriam emendationem et ad morum compositionem assumere debet: *Nos autem, fratres, consideremus in ea, quam audivimus, sancti Evangelii lectione, ut proficiamus ex ea, et corrigamus, si quae in nobis deprehendimus corrigenda* (S. Bern. ser. 1. de 7 panibus).

Quilibet ex auditoribus imitari debet eos, qui seipsos in speculo considerant, qui conspicientes aliquam in vultu suo maculam, mox eam abstergunt: idque statim componere satagunt, quod in semetipsis incompositum apprehendunt. Dei enim verbum est speculum admirabile, quod sine ullo furo, sine ulla adulatione cuique manifestat quae sint in ejus anima maculae, necnon quid facere et quid vitare teneatur: *Evangelium est speculum veritatis, nemini blanditur, nullum seducit: talem in eo se quisque reperit, qualis fuerit* (S. Bern. ib.). Cum igitur quis huic se sissit speculo, seu cum quis Dei verbum audit; mox ut agnoscit aliquam in anima sua maculam, eam abstergere et per poenitentiam delere debet, ac ea facere et vitare, quae ex hujus speculi consideratione facienda et vitanda cognoscit. Non imitandus stultus ille, qui cum obiter et perfunctorie nimis seipsum in speculo contemplatus esset, abiit, et in alia incurrens objecta, oblitus est qualem sese in speculo viderit, et ideo nec vultus sui maculas absternit, nec id composuit, quod in se inordinatum et incompositum viderat: *Consideravit enim se, et abiit, et statim oblitus est qualis fuerit* (Jac. 1, 24). Non sic se gerere debent qui Dei verbum audiunt; in hoc speculo non obiter et segniter se contemplari debent; dum verba profert concionator, debent auditores scr-

tari, an quae dicit, moribus suis conveniant; debent adnotare quid Dei verbum in iis inordinatum et incompositum esse manifestet, et eo agnito, debent animas suae maculas delere, et quidquid in seipsis inordinatum intuentur, recte componere. Hic fructus ex verbi divini predicatione ab auditoribus elicendus: vult enim Deus, homines concionibus adesse, non ut Dei verbum solummodo audiant, verum ut ex eo fructum percipiant. Et hoc ita vult Deus, ut dirissimis sint supplicis addicendi, qui Dei verbum audiunt, ut nullam ex eo utilitatem percipiant: *Utrum male peribis et quam merito, inquit sanctus Bernardus, si perierit in te tantum semen*. Peccatores sane qui Dei verbum audiunt, nec ideo convertuntur, fructumque a Deo intantum non eliciunt, ut aeternum peribunt et male peribunt, quia haud dubie gravius in inferno ploctentur, quam barbari, Turcae et alii, ad quos non missi sunt predicatorum qui eis Dei verbum annuntiarent. Cum quadam die ad populum Antiochenum sermonem haberet S. Joannes Chrysostomus, auditoribus dixit: « Multa cura, magnoque labore, Dei verbum vobis annuntiamus; in vitia vestra vehementer invehimur: nunc vos arguimus, nunc vos obsecramus et nunc acerbè increpamus. Sed si, audito pluries Dei verbo, fidem semper maneat, si ad Deum non convertamini, nec fructum ex Dei verbo percipiatis, in maximum incurretis damnationem: *Si nobis omne studium exuberantibus, vos in eisdem permanetis, quanta vobis erit damnatio* (ho. 78 ad pop.)? Idem dico vobis, fratres; isto tempore operarii sunt multi, predicatorum plurimi, qui verbum Dei magno cum zelo annuntiant. Audistis haud dubie multos, qui dixerunt, aliena restituenda, vitia extirpanda, virtutes sectandas: forte milies audistis, qui praedicarent, poenitentiam de perpetratis peccatis agendam, formidanda esse Dei judicia, terribilia inferni supplicia, nullamque superesse salutis spem iis, qui in statu lethalis peccati ex hoc mundo exeunt. Audientes autem Dei verbum, nisi peccatis reuuntis, nisi ad Deum convertamini, et fructum ex Dei verbo non percipiatis, magna vobis imminet damnatio. Ideo Dei verbum utiliter audite et fructum a Deo intantum ex eo elicit. Credo, quod plures

ex vobis, cum Dei verbum audiunt, ad declinandum a peccatis et ad recte vivendum excitentur. Plurimi cum audiunt concionatorem de tartareo igne, vel de formidando Dei iudicio dicentem, aliquando tremunt, amaras nonnunquam fundunt lacrymas, et a viis suis pessimis declinare, ac salutis viam tenere statuunt; tamen quod tunc statuunt, nunquam executioni mandant. Hoc autem non sufficit, quod quis audiens Dei verbum tremat, luceat, conversionem in proposito habeat, si quod proponit, opere non compleat. Pietos nonnunquam in tapetibus vidistis gladiatores, qui evaginato ense decertant; videturque semper, quod quilibet alium mox ferire et in alterius pectus enses mox infingere debeat; nunquam inquit. His imaginibus assimilantur plerique hominum: *in imagine pertransit homo* (Ps. 38, 7): multi enim, cum Dei verbum audiunt, adversus propria concitantur peccata, in ea irascuntur, ea destruere et in semetipsis jugulare statuunt; imo et quandoque ita vivere incipiunt, ut quisque credat, mox ab ipsis jugulanda peccata, novumque ab his vite genus insitandum; ipsi vero nunquam opere compleant quod ab his complendum videtur; peccata sua nunquam jugulant, iidemque semper permanent. O fratres, quid vobis proderit Dei verbum audisse, flevisse, multa impostum facienda statuisse, nisi ex verbo Dei ultimum percipiatis fructum, seu nisi convertamini nec unquam perficiatis qua facere statuistis? Hoc vobis non proderit, e contra major vobis erit damnatio: *si in eisdem permaneat, quanta vobis erit damnatio?* Non ergo solum assidue, et attente, etiam utiliter Dei verbum audite, ut aeternam vitæ damnationem et celestem beatitudinem obtineatis. Amen.

DOMINICA QUINTA POST PENTECOSTEN.

DE ÆTERNITATE PENARUM INFERNI.

Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis
(Matth. 5, 22).

Infernalium suppliciorum aeternitatem mente revolvere non possumus, quin salubri timore concutiamur et de recta vivendi ratione suscipienda cogitemus. Quis enim non timeat aeternum tartari ignem, aeternum carcerem, aeternas tenebras, aeternam sitim, aeternum foetorem, aeternum lactum, et aeternam illam malorum et dolorum omnium congeriem, quæ in damnatos irruet; *Omnis dolor irruet super eum* (Job. 20). Quis non exhorrescat, quis non timeat, quis totis conatibus non fugiat mortale peccatum, quod licet unicum, hominem aeternis illis suppliciis dignum efficit? Velim, ut quis unici mortalis peccati conscius ex hoc mando migret: velim, ut quis semel dumtaxat toto vite suo tempore peccaverit, fatuum vocando fratrem suum (1), pro unico hoc lethali peccato suppliciis adjudicabitur aeternis, nisi ante mortem hoc peccatum per penitentiam

(1) Hæc sententia vix non erosa videbitur, si verba in se spectentur: quis enim dicat, in eo tantum quod quis fratrem fatuum appellet, graviter peccare? Nec profecto id habet Evangelium. Cum enim protestatur Christus, *qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis*, sermo est de eo, qui odium et injustam indignationem erga proximum in corde latentem veris prodit, quibus graviter illum lædit, et saepe fit causa risarum et innumera bilium malorum. Item si quis etiam sine malo animo vel odio proferat in alium verba injuriosa, prævidens exinde graviter illum contristari, vel in iram exardescere, graviter peccat. Scens dicendum de contumeliis, quibus se invicem impetant subito ire motu presertim rusticæ et plebei; hæc enim lethalis culpa damnare ad minus rigorosissimi sapient.

tiam deleverit: *Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennae ignis.* Gravis quidem haec poena, at aequissima quia minimum quodque mortale peccatum aeternis suppliciis juste punitur, ut mox probabimus. *Ace.*

Qui unico mortali peccato aeterna non debent supplicia erronee credunt, ut suo patrocinetur errori, rationes *tum* ex parte Dei, *cujus* infinita est bonitas; *tum* ex parte peccati, *cujus* levis videtur esse malitia; *tum* ex parte peccatoris, *cujus* magna est infirmitas, studiose adducunt.

Primum rationem sumunt ex parte Dei, qui infinite bonus est. Quomodo, inquit, fieri potest, ut Deus, *cujus* inexplicabilis bonitas, *cujusque* misericordia superexaltat judicium, creaturas, quas ad sui imaginem condidit, ac pretioso sanguine suo redemit, *quo* unico peccato aeternis toreri ignibus et in sempiternum cruciari velit? quis credat, ajunt, quod Deus, *cujus* misericordia in aeternum permanet, in filios suos, quos ardentissime dilexerat, ultro in aeternum supplicia praeparet? Cur pro culpa transitoria et nonnunquam momentanea aeternam eis poenam irrogaret?

Secundam rationem ducunt ex peccati malitia, quam levis simam esse censent. Quam, inquit, patratum ab infirma creatura peccatum, Deo injuriam facere potest? Gravissima quavis peccata tabernaculo Dei non appropriant, magnitudini ejus nullo modo officunt, ejusque majestatem nequaquam laedunt. *Si peccaveris, quid ei noceris? Et si multiplicata fuerint iniquitates tuae, quid facies contra eum* (Job. 35, 6)? Cur ergo tam dire et tam crudeliter puniret Deus peccatum, *cujus* malitia levis videtur?

Tertiam rationem eliciunt ex ipso homine peccatore, *cujus* infirmitas magna est ac Deo notissima. *Ipse cognovit figmentum nostrum, recordatus est quoniam pulvis sumus* (Ps. 102, 14). Quis ergo credat, ajunt, quod contra abjectissimum illum pulverem insurgat Deus; quod contra animatum illud lutum sua vibret tela; quod contra folium illud, quod vento rapitur, suam ostendat potentiam; quodque hominem infirmum, unius solummodo lethalis noxae reum, in aeternum torqueri constituat? *Has*

adducere solent rationes, qui erronee credunt, eos qui in statu peccati mortalis ex hoc mundo migrant, sempiternis non plecti suppliciis: *is*dem autem principis, aut saltem rationibus sumptis ex parte Dei, ex parte peccati et ex parte peccatoris eos impugnare mihi haud erit difficile. Quamobrem dico, unicum mortale peccatum aequissime aeterna poena puniri, si inspiciamus Deum, peccatum et peccatorem: 1. *Deum*, qui infinite justus est; 2. *peccatum mortale*, quod summae malitiae est; 3. *peccatorem*, qui summopere ingratus est.

I PARS.

Unicum mortale peccatum merito poena punitur aeterna, si inspiciamus Deum, qui infinite justus est.

Quamdiu in hoc mundo vivit peccator, eum Deus benignè respicit; sanguinem suum, sua Sacramenta et gratias suas illi studiose offert; erga illum se patrem exhibet ita bonum, ut eo melior nullus esse possit: *tam pater nemo, tam pius nemo* (Tert.). At mortuo impio, Deus respectu ejus non est amplius Pater misericordiarum et Deus totius consolationis; est iudex severus, qui *impios in inferno ardetes, siccis oculis videt* (Rup. in Joa. 1), et qui aeterna poena eos plectit et merito plectit, quia hoc infinita ejus justitia exigit: non enim solum misericors Deus, est etiam justus; *Misericors et justus* (Ps. 111). Deus, ut *misericors*, peccatores in hoc mundo innumeris afficit beneficiis; ut *justus*, aeternis eos suppliciis in inferno merito plectit. In Deo sunt omnes perfectiones, quae possunt in ente uno reperiri; et haec omnes perfectiones in ipso sunt infinitae: infinita est ejus sapientia, infinita bonitas, infinita potentia, infinita sanctitas et infinita justitia. Unde Deus non minus est justus quam bonus, non minus sapiens quam misericors, nec minus sanctus quam potens; quia has omnes perfectiones sub ratione infinitatis possidet. Licet autem haec omnes perfectiones sint in Deo infinitae,

speciali tamen quodam titulo justitiam Tertullianus divinitatis plenitudinem et complementum nuncupat: *Justitia plenitudo est divinitatis ipsius*. Justitiam vocat *divinitatis plenitudinem*, non quod sapientia, bonitas et aliae divinae perfectiones non aequè divinitatem compleant et perficiant, ac justitia; sed quia justitia injuriam Deo a peccatoribus irrogatam resarcit et reparat. Peccator Dei bonitatem aggreditur, cum beneficiorum ejus est ingratus; illius sapientiam offendit, cum sanctas Providentiae ipsius leges non approbat; potentiam ejus despiciit, cum mandata ejus violat; cunctis tandem perfectionibus divinis conviciatur, quoties mortaliter peccat. *Tendit adversus Deum manum suam, et contra Omnipotentem roboratus est* (Job. 15, 25). Unde videtur, quod peccator criminibus suis Deo et ejus perfectionibus detrahat; et si sic loqui fas est, eas quantum in se est aliquomodo minuat. Justitiae autem est, injuriam Deo ejusque divinis perfectionibus irrogatam, ulcisci et reparare; et ideo Dei justitia est plenitudo divinitatis. Verum quidem quod quamdiu hic vivit peccator, in corde Dei dormire videatur justitia: cum vero infensus ille divinitatis hostis animam efflavit; cum peccator fato functus est, quasi a Dei corde extens justitia, ad manus ejus transit, easque replet: *Justitia plena est cætera tua*. Justitia autem illa in manu Dei omnipotentis existens, omnes injurias, omniaque convicia attribuit et perfectionibus ejus irrogata reparat et ulciscitur. Cumque Deus sit infinitus et infinita quaelibet ejus perfectio, justitia divina impios qui in bonum infinitum peccaverunt, poena merito plectit infinita; non quidem infinita quoad intentionem, quia nequit esse poena infinite intensa; ac infinita quoad durationem, seu aeternam et in aeternum duraturam, ita ut haec justitia in aeternum contra peccatores exardeat, nec unquam ab ultione eorum cesset: *Deus quia justus est, ab impiorum ultione in perpetuum non sedatur* (S. Greg. in Job. 41). Dum in hoc mundo remanent peccatores, divina in eos raro irritatur justitia; adversus illos Deus non accendit omnem iram suam (Ps. 77); leves solummodo iis infligit penas; vel salutaris correctionis gratia; vel ut eos

ad meliorem vitae frugem alliciat; vel ut illos ad veram poenitentiam, morumque conversionem perducat. Et si divina nimis contra miseros peccatores nonnunquam exardescat justitia, aliae Dei perfectiones eam saepe exarant, eamque movent, ad dandum eis ponendi locum et conversionis tempus. Demum cum acceptis beneficiis abutuntur peccatores, ex hac vita in statu mortalitatis peccati exeuntes, irata in illos insurgit Dei justitia: et tantum abest, ut tunc aliae Dei perfectiones ab impiorum partibus stent, quin contra pro injuria sibi facta satisfactionem exigunt, et in toto juris rigore sibi satisfieri postulant. Propterea justitia, quae est plenitudo divinitatis, ut aliis divinis perfectionibus, quae infinite sunt, plene et integro satisfaciatur, poenam merito peccatoribus imponit infinitam, non quidem in intensione, ac in duratione, seu aeternam et in perpetuum duraturam. Nec dicas, Deum justum non debere punire poena aeterna culpam quae cito transit, ac debere commensurare durationi culpe durationem poenae. Hoc enim doctissime et fuse refellit D. Augustinus, dicens, nullum unquam legislatorem, nullam rempublicam, nullamque justitiam ordinasse, ut semper duratio poenae debeat commensurari durationi culpe: *nulla unquam justitia, nec lex decrevit, ut tanta mora temporis quisque puniatur, quanta mora unde puniretur admisit* (De Civ. D. 21). Quin contra, videmus, quod principes terrae et legislatores aequissimi, criminum brevi perpetratorum reos ad aeterna supplicia saepe condemnant, eosque pro momentaneo peccato sempiternis poenis plectant. Nonne pro unico adulterio quod brevi fuit perpetratum, pro furto intra brevissimum temporis spatium expleto, pro unica sclopeti emissione, quae in instanti transit et pro aliis multis criminibus cito evanescentibus, justitia secularis poenas irrogat perpetuas? Nonne talium criminum rei ad vincula perpetua, ad exilium perpetuum, ad trirames perpetuos, imo et ad mortem, quae est perpetua vitae privatio, quotidie damnantur? Cur ergo Deus, qui est rex noster, legifer noster, Rex regum et Dominus dominantium, pro culpis gravibus, quamvis cito transeuntibus, peccatores ad aeterna supplicia non condemnabit? Cur Dei justitia,

ut injuriam divinis perfectionibus irrogatam aleiscatur, eos poenis aeternis non plectat? Certe Deus, qui justus est, eos poenis aeternis plectere debet, sive eorum peccata cito, sive non cito transeant, quia justitia ejus exigit, ut aeternis puniantur supplicis qui in infinitas Dei perfectiones peccaverunt. O peccator, formidandam Dei justitiam time, hanc saepe mente revolve ponarum aeternitatem, quam tibi juste infliget Deus, si in statu peccati mortalis ex hoc mundo exeat. Ne de bonitate ejus presumas; timens et trepidans die saepe intra temetipsum: *Numquid in aeternum projiciet Deus (Psalm. 76)? Numquid in aeternum projiciet me Deus a facie, in quam desiderant Angeli conspiciere? Numquid in aeternum projiciet me in tenebras exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium? Numquid projiciet me in tartaream fornacem, ut ibi in aeternum urar?* Hanc ponarum aeternitatem levissimo cuique peccato mortali debitam crebro recogita; et tunc precipue, cum peccandi sese offert occasio, cum gravis urget tentatio, cum cadendi imminet periculum. Tunc dic, et intus dic: si mortaliter peccavero et peccati non me poenteat, aeternis in inferno supplicis cruciabor: quia hoc Dei justitia exigit, ac simul mortalis peccati malitia.

II PARS.

Unicum mortale peccatum merito poena punitur aeterna, eo quod ipsius malitia poena sit infinita.

Justitia vindicativa aequalitatem et proportionem aliquam requirit inter peccati malitiam, ejusque poenam, et ideo, ut mortale peccatum juste poena plectatur aeterna, seu infinita in duratione, malitia ejus debet esse infinita. Est autem peccati mortalis malitia quodammodo infinita, tum ex parte Dei, quem offendit; tum ex parte gratiae, quam destruit; tum ex parte sanguinis Christi, quem profundit. Dicendum ergo peccatum mortale juste poena aeterna puniri; quia malitia ejus est infinita

respectu Dei, gratiae et sanguinis Christi: 1. *respectu Dei*, quem graviter offendit; 2. *respectu gratiae*, quam destruit; 3. *respectu sanguinis Christi*, quem profundit et inutilem efficit.

1. Unanimi Doctorum sententia constat, quod culpa gravitas sumatur ex dignitate personae offensa et vilitate personae offendentis, ita ut tanto gravior sit culpa, quanto dignior est persona offensa et vilior persona offendens. Gravitas injuriae crescit ex qualitate personae offendentis, si sit vilis et abjecta, et ex qualitate personae offensa, si sit nobilis et dignitate sublimis; quantoque persona offendens est vilior, et persona offensa nobilior, tanto etiam peccati malitia fit gravior. Ut igitur dignoscatur quantitas peccati mortalis sit malitia, pensandum quanta sit peccatoris, qui Deum offendit, vilitas, et quanta Dei, quem offendit, sit majestas et celsitudo. Pensate ergo jam quid sit Deus et quid sit peccator: Deus est Creator omnium, et peccator est vilis creatura; Deus est ens a se et infinitum, peccator est ens ab alio et finitum; Deus est omnia, et peccator est merum nihil respectu Dei: *tamquam nihilum ante se*; et tamen peccator, qui est vilis creatura, suum agreditur Creatorem; peccator cujus esse est finitum et limitatum Deum, qui est ens infinitum, graviter offendit; peccator, qui est merum nihil, in Deum, qui omnia est, impudenter insurgit. Ideo cum vilis creatura et peccator indignus per peccatum mortale quod perpetrat, Deum, qui est ens infinitum, graviter offendat, fatendum, malitiam criminis sui esse infinitam, ac per consequens, eum juste puniri poena aeterna, seu poena infinita quoad durationem. Haec ratio passim circumfertur a Theologis asserentibus, peccati mortalis malitiam esse infinitam ac aeternis supplicis dignam, quia Deum, qui est ens infinitum, graviter offendit. Verum ut rationis illius vis clarius pateat, eam sic explico et deduco. Tanto gravior censetur culpa, quanto major est ille qui offenditur; si enim baronem quis offendat, major est culpa, quam si plebeum solummodo offendisset; culpa adhuc major est, si marchionem; adhuc major, si principem; et longe major, si regem offendat: Deus autem omnibus creaturis est infinite

major, cum ipse sit infinitus in sanctitate, in bonitate, in sapientia et in omni perfectionum genere; ergo culpa, seu malitia peccati mortalis, qua offenditur Deus, est quodammodo infinita, et ideo cum poena respondere debeat malitiæ peccati, poena huic peccato debita debet esse quodammodo infinita: non potest autem esse infinita quoad intensionem, quia hujusmodi poena a creatura ferri nequit; ergo debet esse æterna, seu infinita quoad durationem. Peccator ergo etiam ob unicum mortale, quod perpetravit, in æternum cruciari debet. *Peccato mortali debetur etiam poena æterna, quia malitia ejus est quodammodo infinita respectu gratiæ, quam destruit.*

2. Si quis a me quaerat, quanta sit peccati mortalis malitia, ab eo petam, quanta sit Dei magnitudo, quia tantum habet peccatum mortale gravitatis et malitiæ, quantum eminet Deus in magnitudine et perfectione. Ab illo adhuc petam, quantus sit gratiæ divini valor, quantumque ejus pretium; quia ex valore et pretio gratiæ divini, quam peccatum destruit, dignoscenda est peccati mortalis malitia; ejusque malitiam infinitam esse censendam, si gratia sit pretii et valoris infiniti. Inquiramus ergo, quantum sit divini gratiæ pretium, illudque infinitum facile agnoscat, qui recogitet, per gratiam emi et acquiri vitam æternam, quæ est infinita. Ut enim ait D. Paulus, *gratia Dei, vita æterna* (Rom. 6, 23), id est gratia est pretium ad vitam æternam emendam et comparandam; consequenter, cum peccatum mortale destruat gratiam, quæ est quodammodo infinita, malitia ejus est infinita, et ideo poena æterna, seu poena quoad durationem infinita, plectenda. Gratia divina dici solet *semen vite æternæ*; quia sicut in semine continentur fructus, ita et vita æterna quodammodo continetur in gratia, tanquam fructus in suo semine; cum peccatum mortale destruat mirabile illud semen, quod in se continet fructum infiniti valoris; fatendum, quod infinita est mortalis peccati malitia, quodque poenam mereatur infinitam. Qui alterius arborem radicibus evellit, non solum arborem, etiam pendentes illius arboris fructus solvere debet. Gratia autem est arbor sacra, quæ æternos ac

æternæ vite dignos fructus producit et peccator hanc maligne e corde suo evellit et eradicat arborem; ideo fructus illos æternos, quos dissipat, solvere tenetur, non potest autem aliter æternos hos fructus solvere, quam æternas subeundo poenas; unde sequitur quod peccator poenam mereatur æternam, quia per peccatum mortale gratiam in semetipso destruit; *ac etiam quia profundit, et inutilem in semetipso reddit Christi sanguinem.*

3. Deus noluit, peccata nostra hircorum et taurorum sanguine expiari; brutorum animalium holocausta pro sceleribus nostris abluendis non ei placuerunt; solus ei acceptabilis fuit Christi sanguis, qui tanti valoris est, ut unica ejus gutta sufficiens humanæ redemptionis pretium exlitterit: *una gutta sanguinis ejus fuit sufficiens pretium redemptionis nostræ* (S. Bern.). Sanguis ille divinus, qui ratione unionis hypostaticæ est valoris infiniti, a Christo oblatu est æterno Patri, ut commune foret humani generis remedium: *fusus est sanguis medici*, inquit D. Augustinus, *et factum est medicamentum phreneticæ*. Ecce divinum remedium, quod omnibus hominibus offert Christus, tum ut illos a peccatis præservet; tum ut illos per peccatum mortuos ad vitam revocet. Qui autem in statu mortalis peccati moriuntur, hoc remedium valoris infiniti spreverunt, ac inutile et inefficax effecerunt; propterea poenam æternam, seu in duratione infinitam mereantur. Ecce quanta sit mortalis peccati malitia; ecce etiam quanta sit ejus poena, quantisque supplicii plectatur, qui vel unicum mortale perpetraverit, nisi ante mortem penitentiam egerit. O peccatoras, sæpe recogitate omnia mortalia, quæ toto vite vestræ tempore perpetrastis; eorum crebro ponderate malitiam, quæ tanta est, ut vos æternis suppliciis dignos efficiat. In amaritudine animæ vestræ cogitate et recogitate peccata, quæ in adolescentiæ, juvenutis et totius vite vestræ annis commistis, ac Deum laudate, eo quod supposuerit manum et per misericordiam suam ab inferni tormentis, quæ toties meriti estis vos usque ad præsens tempus præservaverit. Dicit cum Jeremia: *Misericordie Domini, quia non sumus consumpti* (Thr. 3);

aut cum regio Psalte: *Nisi quia Dominus adjuvit me, paulominus habitasset in inferno anima mea* (Ps. 93). Certe jam a multis annis consumpti essetis et in inferno habitaretis, nisi adjuvisset vos Deus; et nisi per infinitam misericordiam suam a gehennæ incendio toties debite vos præservasset; nunc ab eo veniam supplices petite; eam laudate et benedicite; prompte et sincera penitentiam agite, ac cujuslibet mortalis peccati reformidate malitiam, quæ tanta est, ut ei debeatur æterna pœna. Cuilibet mortali peccato debetur etiam æterna pœna, si *inspiciamus ipsum peccatorem, qui sumnopere ingratus est.*

III PARS.

Unicum mortale peccatum merito pœna punitur æterna, propter peccatoris summam ingratitude.

Quicumque in eo se constituit statu, a quo per seipsum exire nunquam potest, censetur in illo statu velle semper permanere; quicumque v. g. in altum se precipitaret puteum, a quo nunquam per seipsum, solum auxiliante alio, egredi posset, censeretur in hoc puteo remanere velle in æternum. Peccator autem cum in mortale labitur peccatum, in eo se constituit statu, a quo nullo modo se liberare potest nisi adjuvante Deo, ergo in statu peccati mortalis velle in æternum manere censetur. Ex quo inferunt nonnulli; quod cum peccator voluerit in æternum in statu peccati mortalis remanere, ratione æterni illius affectus ad peccatum æternis supplicis puniri juste mereatur. Ut enim ait sanctus Gregorius, *ad magnam justitiam judicantis pertinet, ut nunquam careant supplicio, qui in hac vita nunquam voluerunt carere peccato* (Dial. 4, 44). Peccator sane pœna dignus est æterna ratione pravi et perpetui affectus sui ad perseverandum in peccato. Magisque æterna pœna dignus censetur peccator, si inspiciatur ingratitude ejus. O quam ingratus est peccator, qui post accepta a Deo innumera beneficia, quorum indignus erat, in illum mortaliter et impudenter peccat, et

affectu perpetuo in peccato perseverare vult! Hæc ingratitude infinita videtur, ac ratione infinite hujus ingratitude, peccator æterna pœna jure plectitur. Quomodo infinita, et pœna æterna digna sit hæc peccatoris ingratitude, clarissime probat et explicat S. Bernardinus Senensis hac ratione. Si quis, inquit, ab aliquo infinita acciperet auri talenta, obligatio gratitudinis quam contraheret recipiens tunc donum infinitum, censeretur infinita; ac quanto magis infinita esse videtur obligatio, qua quis tenetur Deo ratione solius lingue, vel oculi! quanto major adhuc est obligatio, qua quis Deo tenetur, ratione totius corporis, quod ab eo accepit! quanto adhuc major ratione nobilissima anima ad Dei imaginem et similitudinem efformata, quam a Deo Creatore habet! Ex his sane principiis infinita videtur peccatoris obligatio; sed adhuc major est ejus obligatio ex hoc, quod anima illa quam a Deo accepit, sit immortalis. Si etenim anima humana per unius dumtaxat diei spatium durare, seu vivere deberet, homo peccator Deo esset obligatus ratione vite diurnæ, et si anima ejus duraret duobus diebus, duplo major esset illius obligatio, si quatuor diebus, quadruplo major esset; et sic cum anima, quam a Deo accepit peccator, durare debeat in infinitum, seu in æternum, infinita est ejus obligatio ratione anime immortalis, quam accepit a Deo; cum ergo infinita sit peccatoris obligatio, infinita etiam peccatoris in Deum mortaliter peccantis est ingratitude. Equales sunt, ait Divus Bernardinus, obligatio et illius obligationis transgressio; quare cum obligatio peccatoris ad Deum sit infinita, transgressio etiam illius obligationis, seu ingratitude peccatoris in mortale peccatum cadentis et affectu perpetuo in eo remanentis, necessario est infinita, et ideo peccatoris pœna merito debet esse infinita in duratione, seu perpetua propter ejus ingratitude. Tot et tanta a Deo acceptis beneficia, ut si quis pro uno tantum instanti peccato, et in instanti immediate sequenti penitere vellet, instantaneo illi crimini pœna deberetur æterna, et peccator pro momentaneo illo peccato in æternum puniri mereretur ob suam in Deum ingratitude; quanto ergo magis æternis supplicis plecti mereantur peccatores, qui ita in Deum benefactorem

suum ingrati extant, ut in illum mortaliter peccent, et in peccato suo vivere, mori, et affectu perpetuo perseverare volint! His haud dobie aeterna debetur poena. Quapropter, peccatores, *confitemini Domino, quoniam bonus*; ac fatemini etiam, quod justus sit. Clamate cum propheta: *Justus es Domine, et rectum judicium tuum*. Dicite in cordibus vestris, recte, Domine, et aequissime pro unico mortali peccato homines aeternis adjudica cruciatibus; aequissima est tua haec sententia, si inspiciamus te, qui infinite justus es; *peccatum*, quod summe malum est, et *peccatorem*, qui summo opere ingratus est. Clamabat sanctus Latro in cruce pendens, *digna factis recipimus* (Luc. 23, 4). Clamant et peccatores in inferno, quod digna factis recipiant, et quod quantumvis gravia et diuturna sint tartari supplicia, merito illa patiantur. Dicunt cum Josephi Aegyptiaci fratribus, *merito haec patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum* (Gen. 42, 21), in Patrem nostrum, et in Deum nostrum. O peccatores, clamate in hoc mundo, ne in inferno clametis in aeternum; clamate jam, quod *justus est Dominus in omnibus viis suis*, et quod aequissime etiam pro unico mortali peccato non deleto homines ad aeterna tormenta condemnent. Clamate, et terribilem hanc mente revolventes veritatem, a peccatis surgite, *surge qui dormis* (Eph. 5). O peccator, qui dormitasti usque nunc, evigilare tandem aliquando; evigilare, et perpendens, quod volutis, futilis et transitoria voluptas aeternis plectatur poenis, a pravīs omnibus abstine voluptatibus; evigilare, et sciens quod morosa delectatio, illicitum desiderium, et quodvis mortale peccatum ad aeterna trahat tartari supplicia, omne mortale peccatum time, horresce, fuge, O quam optarent qui nunc in inferno cruciantur, omnia in hoc mundo vitasse mortalia! O utinam, inquit eorum quilibet, non accessisset ad me malum, dum inter mortales viverem! modo enim Dei flagellis non plecterer. O utinam, ait unusquisque, in innocentia cordis mei ambulassem, aut saltem peccatorum meorum poenitentiam egissem! modo enim intolerabiles non perferrem cruciatu, et ad aeterna supplicia minime damnarer. Inefficaces sunt eorum clamores, gemitus

inutiles, vana suspiria, et lamentationes infructuosa. Ergo, o peccatores, lugete in praesens, ut in inferno aeternum non lugeatis; flete, poenitentiam agite, ac peccata vestra amara contritione, humili confessione, et sanctis vere poenitentiae operibus delete, ut in sempiternum cum sanctis et angelis in caelo gaudeatis et regnetis. *Amen*.

DOMINICA SEXTA POST PENTECOSTEN.

DE HUMANI CORPORIS DIGNITATE.

Miseror super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducant (Marc. 8, 2).

Quamvis corpus humanum protoparentis peccato vitiatum omni qua possunt eloquentia sancti Patres insectari soleant; quamvis etiam omnibus apertum sit, quod revera illud corpus sit sperma foetidum cum concipitur, saccus stercorum cum vivit, et cibus vermium post mortem; quamvis tandem, ut cum D. Augustino loquar, corporis nostri materia sit vilis, operatio turpis, status instabilis, flebilis exitus, mors tristis, dissolutio misorabilis, humanum tamen corpus non despexit Verbum aeternum, cum cartum sit, quod illi hypostatice sit unitum; et in hodierno Evangelio dicitur, quod Christus Salvator non solum animas populorum qui illum sequebantur, spirituali cibo paverit, verbis et exemplis excoluerit, bonisque moribus imbuerit, verum etiam quod corporum curae solliciti incubuerit, ac turbae famem patientis miseratus: *Miseror super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me*. Ex quo quisque facile percipere potest, quod licet multiplice ex capite despicienda et contemnenda sint corpora nostra, non tamen

desint rationes, quibus ad illa testimanda allici debeamus. Quae sint hae rationes, ista docebit concio. *Ave.*

Qui corporis humani vilitatem et ignobilitatem exaggerant, illud in omnibus temporis differentiis vile et contemptibile esse probant. *In praeterito* quidem, quia ex vili compactum materia, et turpi formatum semine. *In presenti* etiam, quia corpus nostrum semper caro est, et caro infirma, fragili vestita decore, onerata peccatis, irretita vitis, pruriens concupiscentiis, occupata passionibus, polluta illusionibus, prona semper in malum, et in omne vitium proclivis. *In futuro* tandem, quia corpus nostrum post mortem nil aliud erit quam cadaver foetidum, cibus vermium, et forte tartarei ignis pabulum. Fateor, haec omnia esse verissima. Attamen si omnibus temporis vicissitudinibus aliquid vile et spernendum in corporibus nostris adnotatur, omnibus etiam temporis adjunctis eorum nobilitas et dignitas deprehendi haud aegre potest. Corpus enim humanum est, fuit, et erit quid magnum: 1. est quid magnum in mundo: 2. fuit quid magnum in Christo: 3. erit quid magnum in caelo.

I PARS.

Corpus humanum est quid magnum in mundo.

Omnia penitus entia corporea ab auctore suo plurimum nobilitantur, utpote quia a Deo omnia facta sunt. Jamvero modus specialis, quo Deus corpus humanum perfecit, illius nobilitatem praeter ceteris rebus corporeis non modicum auget et manifestat: nam illud Deus propriis manibus summaque cura et arte plasmavit. Ad alias creaturas producendas manus non aptasse videtur Deus: ipse enim solum dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt. Corpus humanum propriis Dei manibus factum, plasmatum et figuratum est: *Manus tuae fecerunt me, et plasmaverunt me* (Psal. 118). In quae verba praecclare dixit D. Ambrosius: *bestias non fecerunt manus tuae, sed dixisti: pro-*

ducant aquae reptilia animarum viventium, et produxit terra secundum genus quadrupedia, et reptilia, et bestias terrae. Me autem fecisti, me tuis manibus figurasti. Verum quidem, quod asserat Deus, se cuncta manu propria fecisse: *omnia haec manus mea fecit.* At, ut locuenter adnotavit idem Ambrosius, corpori humano efformando duplicem, aliis vero creaturis faciendis unicam Deum manum adhibuit: « de aliis creaturis dixit Deus: *Ego manu mea solidavi caelum, et omnia haec manus mea fecit.* At de hominis constitutione dicitur: *Manus tuae plasmaverunt me.* Caelum una formavit manus, ut scriptum est; et utraque Dei manus hominem figuravit, ut legimus ». Infinita Dei sapientia et potentia sunt mystice manus ejus, quas omnibus creaturis formandis haud dubie adhibuit. Specialiter corpus humanum propriis manibus Deus fecisse dicitur, quia speciali sapientiae et omnipotentiae suae applicatione illud efformasse videtur. Unde Tertullianus Deum corpori humano conficiendo totaliter occupatum fuisse dicit: *recogita totum illi Deum occupatum ac deditum, manu, sensu, opere, consilio, sapientia, et ipsa in primis affectione, quae lineamenta ductabat.* O magnum humani corporis dignitatem, o quam vere quid in orbe magnum est corpus humanum; cum illud propriis manibus, tantaque cura et sollicitudine Deus fecerit! Amplius autem patebit corpus humanum esse quid magnum, si mirabilem ejus structuram inspiciamus, quam S. Clemens praecclare delineat, dicens: *Vide in corpore hominis artificis opus; quomodo ossa velut columnas quasdam, quibus caro sustentetur ac portetur, inserbit: tum deinde aequalis ex utraque parte, id est dextera et laeva, mensura servetur; ut congruat pes pedi, et manus manui, digitus quoque digitis, ut singuli ad singulos tota aequalitate concordent: sed et oculus oculo, auris auri; quae non solum consona sibi, et concordantia, sed et usibus necessariis apta formantur. Manus quidem, ut operi commoda sint, et pedes ut gressibus: oculi ut visui serciant, superciliorum excubiis custoditi; aures ad audiendum ita formatae, ut cymbalo similes, suscepti verbi repercutsum sonitum altius reddant, et usque ad sensum*

coritis emittant. Lingua autem ad loquendum labiis et dentibus plectri reddat officium. Ipsi vero dentes, alii ut incidunt et dividant cibos, et interioribus tradant: interiores autem in modum molæ conficiant, et comminuant, quo opportunius stomacho traditi coquantur; unde, et molares appellati sunt. Sed et nares commendati flatus, et reddendi ac recipiendi gratia facti sunt, ut in invocatione spiritus, calor naturalis, qui in corde est, vel accendi vel refrigerari, cum res poposcerit, queat pulmonis officio, qui pectori inhæreret datus est, ut mollitie sua palpet, et foveat cordis vigorem. Sed quid dicam de substantia sanguinis, qui velut fluvius ex fonte procedens, ex uno prius alveo innocuus, tum deinde per innumeratas venas derivatus, totam humani corporis terram vitalibus rigat fluentis, jecoris ope ministratus, quod ad efficaciam digestionis ciborum, atque in sanguinem mutandorum in dextero latere jacet. Quis ex his omnibus non agnoscat rationis opus, et sapientiam Conditoris? (Recognit. S.) Certe mirabilis hæc humani corporis structura supremi artificis sapientiam manifestat, simulque probat, corpus humanum esse quid magnum in universo. Quod et probat ipsa unio humani corporis cum anima rationali, quæ est substantia spiritalis omnia sublunaria dignitate superans, ac cum angelis de nobilitate contendens, quæque Deo proxima est: *magnum sane*, inquit Tertullianus, *hoc quoque ad gloriam carnis exuberat, quod proximum Deo continet (de resurr. carn. 6)*. Anima rationalis non est solum forma assistens corpori, ipsamque movens sicut naua movet navim: est ejus forma, ipsum vere informans, ipsique realiter unita. Non autem est credibile quod animam rationalem corpori Deus unire voluerit, nisi et corpus humanum esset quid magnum et nobile. Ut enim ratiocinatur Tertullianus, gemma pretiosæ non solet inseri plumbo, ferro, vel vili alteri materie; vina etiam et unguenta pretiosa vasculis non recondantur turpibus et sordidis: pretiosis etiam gladiis pretiosæ aptantur vaginae: quomodo ergo dici posset, quod Deus animam rationalem, quæ ejus insignita est imagine, ejusque est redempta sanguine, immiscuerit, inseruerit et intime unierit corpori humano, nisi tale corpus

esset quid magnum, quid nobile, et quid animæ rationalis dignitati quodammodo conveniens? Quid sane magnum in mundo est corpus humanum ratione unionis suæ cum anima rationali; ac, ut ait sanctus Bernardus, si corpus humanum attendatur secundum intimum illud commercium et secundum ineffabilem hanc unionem quam habet cum anima rationali, omnibus rebus corporeis haud dubie præcellit: *agnosce, o homo, dignitatem tuam*, inquit Doctor mellifluus, *agnosce gloriam conditionis humane. Est enim tibi cum mundo corpus, quia decet eum qui constitutus est super universam hujus creaturæ corporeæ molem, aliqua ei similari ex parte: sed est tibi etiam sublimius aliquid, nec omnino comparandus es cæteris creaturis; compacta et confederata sunt in te caro et anima (serm. 2 de Nat. Dom.)*. Si corpus humanum ab anima rationali seponatur, et secundum proprias suas dotes solummodo consideretur, aliis quidem omnibus creaturis corporeis non eminet: si vero spectetur secundum intimum et mirabilem unionem quam habet cum anima, omnibus aliis creaturis corporeis longe antecellit; nec illi quomodocumque alia creatura corporeæ æquiparari possunt. Et revera a tali unione habet corpus, quod possit ratiocinari, seu ratiocinationi inservire, sacrificia offerre, sacramenta recipere, et alia multa operari, quæ omnia illud haud dubie supra cætera corporea longe sublimant et extollunt. Ex jam dictis satis superque constat, corpus humanum esse quid magnum in mundo; eandemque ejus magnitudinem prædicant bona et beneficia, quæ animæ præstat. Corpus enim ad animæ sanctificationem, et perfectionem plurimum confert, cum jejuna, cum flagella patitur, cum genua flectit, et situm orationi congruum servat; cum uberes fundit lacrymas, cum pectus tundit, et peccata confitetur; cum arduis se subdit laboribus, cum sensus a rebus vitiosis retrahit, cum vigiliis et peregrinationibus pro Deo susceptis se fatigat, cum ad elemosynas manus extendit et hujusemodi piis se exercet operibus, quæ sine corpore anima peragere nequiret. O homo, perpende et serio considera, corpus tuum esse quid magnum inter creaturas corporeas, ac itidem erubescere, quod corpus

illud a Deo factum toties fœdaveris; quod mirabile illud opus, divinis compactum manibus, toties deformaveris; quod opus illud a Deo tanta cura et arte elaboratum, toties criminibus tuis deturpaveris; quod tandem corpus illud animæ rationali vinculo ineffabili unitum et ad multa bona opera perficienda idoneum, toties despexeris, ac ad turpia et mala agenda assumpseris. Dic, quæso, quibus operibus tuum corpus impendisti? Anne humilitatis, abstinentiæ, patientiæ, penitentiæ, mortificationis, aliisque virtutis et eximie pietatis operibus? Forte gula, libidini, infandisque voluptatibus illud indulgere passus es; ergo erubescas, quod corpus tuum toties deturpaveris; illudque imposterum inspice ut quid magnum in orbe, et ut quid magnum in Christo.

II PARS.

Corpus humanum fuit magnum in Christo.

Magnum est, immensum, omnemque intellectum superans Incarnationis mysterium, in quo Verbum divinum naturam humanam assumpsit, et caro factum est. *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (Joan. 1). Verbum illud æternum et divinum, manens Verbum, manens in sua Deitate, hypostasit, majestate et gloria divina, factum est caro: non quod conversum sit in carnem, sed quod carnem et naturam humanam suscepit, suppositaverit, terminaverit, et hypostaticè sibi univerit; ita ut persona Verbi facta sit etiam persona naturæ humanæ, quam assumpsit. Verbum illud increatum factum est caro, non eo modo quò aqua fit vinum, cum in vinum mutatur: non eo etiam modo, quo cibus fit caro nostra, cum in eam convertitur; nec rursus eo modo, quo aurum fit status, cum ad auri materiam accidentaria statuae forma accedit. Verbum increatum factum est caro, quia carnem et naturam humanam, existentem quidem, non autem subsistentem assumpsit. Verbum enim æternum, non personam et subsistentiam, sed essentiam

et existentiam hominis, seu ipsam naturam humanam assumpsit eo ipso temporis instanti, quo formata et facta est a Spiritu Sancto. Et præveniens, ne hæc natura per se, seu per propriam personam subsisteret, illam sibi in unitate personæ suæ divinæ conjunxit, effecitque ut in eadem et per eandem personam divinam subsisteret.

Verbum divinum, non solum animam hominis, etiam carnem accepit et assumpsit, ita ut in Christo Deus, anima et caro in unam coejerint personam Verbi. *Verbum, quod erat in principio apud Deum, et Deus erat; anima, que de nihilo creata est, et ante non erat; caro de massa corruptionis sine corruptione aliqua divino segregata artificio, vinculo indissolubili in personæ cœunt unitatem* (S. Bern. ser. 2 de Nat. Dom.). O quam gloriosam animæ, corpori et toti naturæ humanæ Christi, personæ divinæ hypostaticè uniri! Hæc certe unioe Filius Dei naturam humanam ita exaltavit, ut quo altius eveheretur non haberet: *cerne, quam humili loco antea erat natura nostra, et quam alte ascenderit: neque enim descendere licuisset inferius, quam quo descenderat homo: neque ascendere sublimius, quam quo cum rursus eveheret Christus* (Chrysost. ser. 9 de Ascens.). Non poterat quidem altius evehi natura humana, quam per Verbi incarnationem ad consortium divinitatis sublimari: per Verbi enim incarnationem homo factus est Deus; Verbumque divinum ita humanæ naturæ unium est, ut sicut de Deo dicitur, quod factus sit Homo; ita et de homine dicitur, quod factus sit Deus. Et revera Christus erat simul Deus et Homo, ac in eo natura divina et natura humana unica Verbi personalitate ita uniebantur, ut in eo vere diceretur: Deus est Homo, et Homo est Deus. In eo recte dicebatur, quod Deus esset Homo, ratione scilicet naturæ humanæ a Deo assumptæ: in eo etiam recte dicebatur, quod Homo esset Deus, ratione scilicet personæ divinæ, quæ naturæ humanæ hypostaticè uniebatur. O magnam naturæ humanæ exaltationem! o quam magnum quid in Christo fuit non minus anima, quam corpus humanum! Certe non magis exaltari potuisse videtur illud

corpus, quam per unionem hanc quam habuit cum Verbo divino. *Hac unione*, inquit Alensis, *corpus humanum habet perfectissimam dignitatem in genere corporum, quia hoc uno præcellit et illam quæ est naturæ, et illam quæ est gloriæ*. Per incarnationem humiliavit se, exinanivit se et quasi contraxit se Deus, ut quod melius habebat, videlicet semetipsum, limo nostro conjungeret. At e contrario etiam hac unione limus noster, seu corpus nostrum ita exaltatum est, ut hac unione nil carni nostræ gloriosius excoGITARI possit. Et ideo dilectus Christi discipulus, ut carnis et corporis humani elegium perficeret, dixit solammodo, quod Verbo divino hypostaticè unitum fuerit: *Et Verbum caro factum est*. Sicut rustici et plebei cuiusdam filia, si regi nubat, regina fit et ad solum regium sublimatur; sic caro humana Verbo divino desponsata et hypostaticè unita, ab ipso deificatur et ad solum ipsiusmet Deitatis exaltatur. Unde sanguini et carni Christi cultus latria, et supremus honor exhiberi solet propter hanc unionem quam habet cum Verbo, qua unione quodammodo deificatur. Dei Genitrix Maria a S. Joanne Damasceno merito vocatur *gloria luti nostri et humane naturæ venustas*: multum enim a Deipara decorata est caro nostra. At multo magis honorata est ab ipso Deo: nec ullus honor comparabilis est cum honore illo, quem Verbum æternum carni humane contulit, cum illam assumpsit, eique hypostaticè unitum est. Miramini hanc carnis humane gloriam et exaltationem in Christo: simulque discite, hanc carnis nostræ et corporis humani exaltationem ad totam naturam humanam se effundere et resilire, eo quod per unionem hypostaticam tota natura humana mirum in modum erecta sit et sublimata. Sicut enim si quis summus Pontifex, vel supremus quidam monarcha in abjectam, ignotamque familiam se inserat, eam nobilitate sua plurimum illustrat et extollit, ita etiam Dei Filius, universi terrarum orbis princeps, despectæ et abjectæ hominum familie se inserens, infinita sua dignitate et nobilitate eam totam quam maxime extulit et sublimavit. Jam vero proli dolor! quamplurimi naturam humanam, quæ tanta, tamque sublimis extitit in Christo, criminibus suis

foedant, deturpant et totaliter denigrant; multi carnem suam nobilitatam in Christo et a Christo ad turpia et fœda crimina perpetranda deflectunt. Imo multi corpora sua, quæ sunt quasi membra Christi, faciunt membra meretricis: *nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tolens ergo membra Christi, faciam membra meretricis?* (1 Cor. 6, 15). O homo, absit a te, quod Christi membra facias membra meretricis. Absit a vobis omnis impudicitia et si ad impudica aliquando declinastis, puritatem et castitatem christianam imposterum sectemini: *sicut exhibuistis membra vestra servire immunditie et iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire justitie in sanctificationem* (ad Rom. 6). O fratres, corpus humanum nobilitatum et exaltatum est a Christo, ergo corporibus vestris nolite uti adversus Christum; in iis potius humilitatem, patientiam, modestiam, puritatem et vitam Christi exhibete: *vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali* (2 Cor. 4). Corpus humanum honoravit et exaltavit Christus; nolite vos illud fœdare; illud semper inspicite ut quid magnum in Christo: *ac etiam ut quid magnum in celo*.

III PARS.

Corpus humanum erit quid magnum in celo.

Quamdiu in hoc mundo moramur, corpora obscura, tarda, infirma et corruptibilia gerimus; in celo autem mirabilibus quatuor afficientur dotibus, claritatis scilicet, impassibilitatis, agilitatis et subtilitatis, quibus qualitatibus quidquid in humano corpore vile tolletur, corpusque humanum fiet quid magnum in celo.

1. Clara et splendida erunt in celo electorum corpora, ac juxta majora vel minorâ Sanctorum merita, major vel minor erit corporum claritas. Sentiant tamen communiter sancti Doctores, quod minimus quisque corporis beati splendor solis

splendorem longo superabit. *Corpora Sanctorum*, inquit S. Anselmus, *erunt septies quam sol splendidiora*. Et ut ait S. Ephrem in oratione de iudicio, *justorum corpora septulo solis radios superabunt*. Ratione mirabilis illius claritatis, qua fulgebunt Beatorum caro, corpora eorum splendida, diaphana et transparentia erunt, ita ut omnium oculis manifesta futura sint viscera, vene, nervi, omnisque corporum beatorum harmonia. Tunc oculis Beatorum conspicue erunt omnium corporum partes, etiam minime, atque intime; tunc admirabilis illa, perpetuisque laudibus celebranda patebit corporum structura, in qua maxime elucet conditoris sapientia in aeternum laudanda et predicanda: *omnes harmoniarum corporalis numeri non latebunt, intrinsecus et extrinsecus per corporis cuncta dispositi; et cum ceteris rebus, que ibi mirabiles videbuntur, rationales mentes in tanti artificis laudem, rationabilis pulchritudinis delectatione succendentur* (Aug. de Civ. D. 22, 30).

2. O quam magna erunt in celo corpora Beatorum ratione claritatis! Quam magna pariter ratione impassibilitatis et incorruptibilitatis, quia corpora nostra modo passibilia et corruptibilia, in celo penitus impassibilia et incorruptibilia erunt. Ut enim ait D. Paulus: *oportet corruptibile hoc induere incorruptionem et mortale hoc induere immortalitatem* (I Cor. 15, 53). In illa celestis regni gloria caro et sanguis, que in hoc mundo corruptibilia sunt et passibilia, in celo incorruptibilia et impassibilia erunt, ita ut nec corrumpi, nec mori, nec quidquam pati possint. Ibi enim nullum dolorem, nullam molestiam patientur; omnimoda immortalitate et impassibilitate fruenter. *Mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra* (Apoc. 21, 4).

3. O quam magna in celo erunt Sanctorum corpora ratione illius incorruptibilitatis et impassibilitatis, quam magna etiam ratione agilitatis. Ita enim erunt agilia, ut velocissime et facillime moveantur, tum progressivo motu, tum motu, qui volatui similis erit, ut habet Isaias propheta (c. 40): *Sancti in celo assumunt pennas sicut aquile, current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient*. Præstabit Deus animabus Bea-

torum, ut corpora quibus unientur, quam velocissime moveant et a loco in locum transferant. *Tantaque*, inquit S. Bernardus, *futura credenda est corporum levitas et agilitas beatorum, ut possint, si velint, absque omni mora, seu difficultate, ipsam quoque cogitationum nostrarum sequi ad omnia velocitatem* (serm. 3 in fest. OO. SS). Et ut ait S. Anselmus: *tanta velocitas nos comitabitur, ut ipsis Angelis Dei regere celeres simus, qui a celo ad terras citius dicto dilabuntur, de similitud. 51*.

4. O quam magnum quid erit in celo corpus beatum, ratione claritatis, impassibilitatis et agilitatis; adde, quid magnum erit ratione subtilitatis, qua fiet, ut corpora quævis quantumvis dura et solida penetret: *sicut Angelis nihil obsistit, quin cuncta penetrent, ita non erit aliquid obstaculum, quod nos retardet, nulla clausula que nobis obstet* (Anselm. in Elucid.). Corpori beato vis ad penetrandum semper a Deo præbebitur: et sicut Christi corpus, clauso sepulchro, a mortuis surrexit, necnon ad discipulos obseratis januis introivit, ita corpora Beatorum dura et solida quævis alia corpora penetrabunt. Miramini corpus humanum, quod quidem in celo quid magnum erit ratione dotum quibus afficietur, et quid maximum ratione celestium voluptatum, quibus potietur. *Delectatio quedam ineffabilis bonos inebriabit. Oculi, aures, nares, os, manus, guttur, cor, jecur, pulmo, ossa, medulla, singulaque membra eorum tam admirabili delectationis et dulcedinis sensu replebuntur, ut vere lotus homo torrente voluptatis Dei poterit et ab ubertate domus ejus inebrietur* (S. Anselm. de similit.). Caro nostra in celo per omnes sensus suis modis exuberabit deliciis, Delectabitur oculus in amabili Redemptoris aspectu. Auditum harmonia cælorum et melodica cantica civium supernorum non mediocriter demulcebunt. Fragrans suavitas celestium odoramentorum mira liquefactione resperget odoratum. Indichibus dulcedo omnium delectabilium, melliflua quadam et jucunda satietate oris saginabit palatum. Ipse demum tactus sibi congruis abundabit deliciis, que experti norunt. O quam magnum quid erit in celo corpus nostrum!

Jamvero ut in caelo sit magnum, in hoc mundo castigandum, mortificandum, in servitutem redigendum; imo, ut ita dicam, est occidendum. Levitis quondam praeceperat Moyses, ut se gladio accingerent, utque quilibet proximum suum occideret. *Occidat unusquisque fratrem et amicum et proximum suum* (Ex. 31, 27). Frater, amicus et proximus ille est corpus nostrum, quod in hoc saeculo occidendum, ut in caelo magnum et gloriosum efficiatur. *Quid tam proximum, quam caro animae? Levita verus ultor est ille et vindex, qui carnem interimat, ut leve spiritum* (S. Ambr. *inzechort.*). Oportet, ut ferrum semper manu teneamus, stringamusque contra corpus nostrum, quod infensissimus est animae nostrae adversarius: mactandus est ille hostis, gladio mortificationis occidendus et interimendus est, ita tamen ut semper vivus remaneat. Mortuae erant quae olim Deo sacrificabantur hostiae; oblatio corporis nostri ita Deo facienda, ut sit hostia viva: *Hostiam viventem*. Per mortificationem occidi debet corpus nostrum: at ea morte, quae illud vivum relinquit; ea morte, quae vitam non auferat; ea morte, *quae vitam etsi admittit, non perimit* (S. Ber. ep. 42). Castigate ergo corpora vestra, in servitutem spiritus illa redigite, mortificate membra vestra, quae sunt super terram, gladio mortificationis es interimite et in aeternum magna possidebitis in caelo. Amen.

DOMINICA SEPTIMA POST PENTECOSTEN.

DE MALIS CHRISTIANIS.

Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur (Matth. 7, 19).

Tanta primorum Christianorum erat probitas, innocentia tanta, tantaque ab omnibus vitis abstinentia, ut qui inter illos scelesti et aliquibus criminibus dediti conspiciantur, christiano nomine indigni censerentur: *desinunt Christiani haberi penes*

nos (Ter. Ap. 46). Licet enim certum sit, fidem christianam haeresi solum, vel infidelitate destrui, tanta tamen vitae innocentia, tantaque morum integritate pollebant primaevis illi Christiani, ut tanquam non Christianos inspicerent illos, qui ad gravia peccata declinaverant, quamvis a fide non excidissent. Pauci tunc erant ex malis hujusmodi Christianis, qui in gravia incidere crimina. Jam heu! totus fere Ecclesiasticus orbis pessimis hodie repletur Christianis, qui gravibus inquinati sceleribus et in bonis operibus steriles sunt et infocendi. Mali isti Christiani similes sunt siccis arboribus, quae cum fructus non afferant, exciduntur et in ignem mittuntur. *Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur*. Ut enim ait Doctor Seraphicus, *arbor sterilis est malus Christianus*. De sterilibus illis arboribus, seu de malis Christianis hanc habeo concionem. Ave.

Christiani per baptismum sunt filii Dei, Christi discipuli et Ecclesiae membra. Per baptismum fiunt filii Dei, quia per gratiam sanctificantem, quam in baptismo recipiunt, in Dei filios adoptantur; *quorum adoptio est filiorum* (Rom. 9, 4). Per baptismum fiunt etiam Christi discipuli, quia sicut antiquitus Pythagorici, Platonici et Epicurei a magistris suis talia sortiebantur nomina, ita Christiani dicuntur a Christo, cujus fidem et doctrinam in baptismi perceptione professi sunt: *estis et vos vocati Jesu Christi* (Ro. 1, 6). Per baptismum tandem fiunt Ecclesiae membra, quia per eum in Ecclesiam recipiuntur, et simul cum aliis Christianis corpus Ecclesiae constituunt: *omnes nos in unum corpus baptizati sumus* (1 Cor. 12, 13). O quam gloriosum est homini christiano, quod sit Dei filius, Christi discipulus et Ecclesiae membrum. At tali honore et dignitate indigni sunt mali et scelesti illi Christiani, qui pessimis se dedunt vitis et qui in gravium criminum caeno misere voluntantur; ipsi etenim gravem injuriam irrogant Deo, Christo et Ecclesiae. Hi injuriam faciunt 1. *Deo*, cujus sunt filii; 2. *Christo*, cujus sunt discipuli; 3. *Ecclesiae*, cujus sunt membra.

Jamvero ut in caelo sit magnum, in hoc mundo castigandum, mortificandum, in servitutem redigendum; imo, ut ita dicam, est occidendum. Levitis quondam praeceperat Moyses, ut se gladio accingerent, utque quilibet proximum suum occideret. *Occidat unusquisque fratrem et amicum et proximum suum* (Ex. 31, 27). Frater, amicus et proximus ille est corpus nostrum, quod in hoc saeculo occidendum, ut in caelo magnum et gloriosum efficiatur. *Quid tam proximum, quam caro animae? Levita verus ultor est ille et vindex, qui carnem interimat, ut leve spiritum* (S. Ambr. *inzechort.*). Oportet, ut ferrum semper manu teneamus, stringamusque contra corpus nostrum, quod infensissimus est animae nostrae adversarius: mactandus est ille hostis, gladio mortificationis occidendus et interimendus est, ita tamen ut semper vivus remaneat. Mortuae erant quae olim Deo sacrificabantur hostiae; oblatio corporis nostri ita Deo facienda, ut sit hostia viva: *Hostiam viventem*. Per mortificationem occidi debet corpus nostrum: at ea morte, quae illud vivum relinquit; ea morte, quae vitam non auferat; ea morte, *quae vitam etsi admittit, non perimit* (S. Ber. ep. 42). Castigate ergo corpora vestra, in servitutem spiritus illa redigite, mortificate membra vestra, quae sunt super terram, gladio mortificationis es interimite et in aeternum magna possidebitis in caelo. Amen.

DOMINICA SEPTIMA POST PENTECOSTEN.

DE MALIS CHRISTIANIS.

Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur (Matth. 7, 19).

Tanta primorum Christianorum erat probitas, innocentia tanta, tantaque ab omnibus vitis abstinentia, ut qui inter illos scelesti et aliquibus criminibus dediti conspiciantur, christiano nomine indigni censerentur: *desinunt Christiani haberi penes*

nos (Ter. Ap. 46). Licet enim certum sit, fidem christianam haeresi solum, vel infidelitate destrui, tanta tamen vitae innocentia, tantaque morum integritate pollebant primaevis illi Christiani, ut tanquam non Christianos inspicerent illos, qui ad gravia peccata declinaverant, quamvis a fide non excidissent. Pauci tunc erant ex malis hujusmodi Christianis, qui in gravia incidere crimina. Jam heu! totus fere Ecclesiasticus orbis pessimis hodie repletur Christianis, qui gravibus inquinati sceleribus et in bonis operibus steriles sunt et infocendi. Mali isti Christiani similes sunt siccis arboribus, quae cum fructus non afferant, exciduntur et in ignem mittuntur. *Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur*. Ut enim ait Doctor Seraphicus, *arbor sterilis est malus Christianus*. De sterilibus illis arboribus, seu de malis Christianis hanc habeo concionem. Ave.

Christiani per baptismum sunt filii Dei, Christi discipuli et Ecclesiae membra. Per baptismum fiunt filii Dei, quia per gratiam sanctificantem, quam in baptismo recipiunt, in Dei filios adoptantur; *quorum adoptio est filiorum* (Rom. 9, 4). Per baptismum fiunt etiam Christi discipuli, quia sicut antiquitus Pythagorici, Platonici et Epicurei a magistris suis talia sortiebantur nomina, ita Christiani dicuntur a Christo, cujus fidem et doctrinam in baptismi perceptione professi sunt: *estis et vos vocati Jesu Christi* (Ro. 1, 6). Per baptismum tandem fiunt Ecclesiae membra, quia per eum in Ecclesiam recipiuntur, et simul cum aliis Christianis corpus Ecclesiae constituunt: *omnes nos in unum corpus baptizati sumus* (1 Cor. 12, 13). O quam gloriosum est homini christiano, quod sit Dei filius, Christi discipulus et Ecclesiae membrum. At tali honore et dignitate indigni sunt mali et scelesti illi Christiani, qui pessimis se dedunt vitis et qui in gravium criminum caeno misere voluntantur; ipsi etenim gravem injuriam irrogant Deo, Christo et Ecclesiae. Hi injuriam faciunt 1. *Deo*, cujus sunt filii; 2. *Christo*, cujus sunt discipuli; 3. *Ecclesiae*, cujus sunt membra.

I PARS.

*Mali Christiani gravem injuriam inferunt Deo,
cujus sunt filii.*

Omnes quidem homines sunt Dei filii titulo creationis, quia a Deo omnes creati sunt; Christiani vero specialiori titulo sunt filii Dei, quia scilicet per baptismum, quem receperunt, *renati sunt ad salutem*, et in Dei filios adoptati. Unde, ut adnotat D. Augustinus, non precepit Deus Israelitis, ut eum orarent, eum vocarent Patrem: *numquid invenitur preceptum populo Israel, ut orarent Patrem Deum* (de serm. D. 2, 8)? Hoc solis imperavit Christianis, cum docuit eos, ut orantes dicerent: *Pater noster, qui es in caelis*; quia soli Christiani per baptismum facti sunt filii Dei adoptivi. O quam magna haec est Christianorum dignitas! O quam magnus Dei in eos amor, quod eos in filios adoptarit, eosque filios suos nominari et esse voluerit. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus* (1 Joa. 11). Tantus quidem est hic Dei in Christianis amor, ut pro tanto beneficio numquam satis illum laudare et benedicere possint. At tanta multorum Christianorum in Deum est ingratitude, ut non eum laudent et benedicant, imo peccatis suis gravem ei injuriam inferant; cum enim peccant, Deum factis suis negant. Mali quidem Christiani, cum de Fide interrogantur, palam profitentur se nosse Deum, se in eum credere, seque omnibus mysteriis ab eo revelatis firmissime adherere; cum deinde in gravi peccata incidunt, factis negant quem ore confessi sunt: *confitentur se nosse Deum, factis autem negant* (ad Tit. 1, 16). Nec semel dumtaxat, sed quoties mortaliter peccant, toties Deum negant. Quoties avaritiae indulgent, vel luxuria fedantur; quoties invidia, ambitione, vindicta, vel alio quodam scelere inquinantur; totidem vicibus Deum negant: *Quoties Deum offendimus, toties negamus*. O quam graviter Deum offendunt mali Christiani, cum in mortalis incidunt! Certe

gravissime illum offendunt eum factis negantes, eumque toties negantes, quoties mortaliter peccant. Graviorem adhuc ei tunc injuriam inferunt, eo quod cum mortaliter peccant, Deum deserant, ut demoni adhaereant. Cum baptismum receperunt, demoni abrenuntiarunt, ut se totos Deo consecrarent. Tunc suo, vel patrum spiritualium ore dixerunt, se demoni abrenuntiare; tunc sacerdoti querenti, an satanae abrenuntiarent, responderunt: *Abrenuntio*; cum postea in gravi peccata incidunt, factis suis Deo abrenuntiant, ut se demonis obsequio mancipent. Unde Salvianus quodlibet grave hominis christiani peccatum, apostasiam vocat, quia a Deo desciscit, ut ad demonem declinet: *quedam apostasia est, quia revertitur ad diabolum, relinquit Deum*. Videte quantum Deo injuriam inferant mali Christiani, cum in mortalia peccata labuntur. Quod ut clarius adhuc pateat, comparemus peccata peccatis; peccata scilicet Christianorum peccatis Gentilium et Idololatrarum; fatendum profecto quod ceteris paribus graviora sint Christianorum, quam Gentilium peccata; quodque graviorem Deo Christiani, quam Ethnici peccantes injuriam inferant, ita ut, si in adulterium v. g. cadat duo, quorum unus sit Christianus et alius Gentilis; gravior peccet, gravioremque Deo injuriam irroget Christianus, quam Gentilis. Quod certissimum esse probatur variis rationibus. Prima ratio sumitur ex dignitate et eminentia personae peccantis. Quo enim persona que peccat, est dignior et eminentior, eo peccatum ejus fit gravior; nam, ut ait Doctor Angelicus, excellentia et dignitas personae peccantis generat gravitatem notabiliter auget. Item dicendum quod, ceteris paribus, gravior sit viri religiosi, quam viri secularis peccatum. Major autem est Christianorum, quam Gentilium dignitas; non solum quia, ut ait sanctus Petrus, Christiani sunt *genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis*; verum etiam quia Christiani per baptismum facti sunt filii Dei adoptivi: ac proinde Christiani peccantes, graviorem Deo injuriam inferunt, quam Gentiles et alii, qui nomine christiano minime insigniuntur. Secundam rationem elicio ex majori cognitione, qua pollent

Christiani. Cum enim Christiani rationis ac fidei lumine gaudeant, majorem hand dubie de divinis perfectionibus et de sacris mysteriis notitiam habent, quam Ethnici. Quapropter cum Catholicis clarius quam Ethnici cognoscant Deum, in quem peccant, graviora sunt Catholicorum, quam Ethnicorum peccata, majoremque Catholicis, quam Ethnici, peccatis suis Deo injuriam irrogant: *cæteris paribus, gravius peccat fidelis quam infidelis, propter notitiam veritatis ex fide* (D. Th. 2, 2, q. 10, ar. 3 ad 3). Tertiam adjicere rationem sumptam ex institutis à Deo Sacramentis, quibus abutuntur mali Christiani. Deus enim septem instituit Sacramenta, tamquam columnas septem, quibus totus ecclesiasticus orbis innititur; ac tamquam septem alveos aureos, quibus gratias suas hominibus communicat. Ethnici autem his non abutuntur Sacramentis, que nec cognoscunt. Mali vero Christiani abutuntur sacramento baptismi, quem receperunt, aliisque sacramentis, que recipere negligunt, aut indignè recipiunt; ideo ratione mali usus, vel abusus sacramentorum mali Christiani gravius peccant, gravioremque peccatis suis Deo injuriam inferunt, quam Gentiles. *Cæteris paribus, gravius peccat fidelis, quam infidelis, propter Sacramenta fidei, quibus imbutus est, quibus peccando contumeliam facit* (S. Th. ib.). Ex prædictis satis constare videtur, maximam injuriam Deo inferre hominem christianum, cum mortaliter peccat. Quæ injuria quanta sit, ut omnium oculis pateat, scrutemur quanta sit malitia unius lethalis peccati ab homine christiano et baptizato patrati: in unico enim mortali peccato ab eo perpetrato non unica, sed multiplex includi videtur malitia vel circumstantia aggravans. Si blasphemiam v. g. vel adulterio carnem suam fœdat, præter blasphemiam vel adulterium quod committit, spirituale quoddam sacrilegium perpetrat, quia animam suam, quæ Dei templum est, violat: *Christianus spirituale sacrilegium in seipsum committit, et templum Dei violat, quandocumque mortali peccato se polluit* (Guill. Par. de Bapt. 3). Una cum sacrilegio patrat etiam speciem quamdam spiritualis adulterii, cum animam ejus per fidem Deus sponsaverit: *Sponsabo te mihi in fide*; quoddam enim adul-

terii genus est Deum relinquere, ut diabolo se subjiciat. In quolibet tandem peccato ab homine christiano perpetrato, præter sacrilegii et adulterii malitiam, includitur maximè ingratitude malitia; quis enim non videat, in Deum ingratisimum esse virum christianum, qui post acceptam baptismum et post perceptas innumeras à Deo gratias, in eum inique peccat, et ut loquitur S. Gregorius, *acceptis contra Deum donis pugnat*? Adde quod præter has omnes malitias, quodlibet mortale peccatum, in quod cadit homo christianus, includit etiam malitiam perfidiæ et proditionis: *perfidie*, quia datam Deo de servandis mandatis fidem frangit; *prodicionis* vero, quia animam suam, quam illi Deus custodiendam commiserat, in manus dæmonis tradit. Videte, o Christiani, quantam Deo injuriam inferatis, cum in mortalia peccata caditis. Magnum quidem Christiani nomen, magna ejus dignitas; at maxima et gravissima sunt peccata, quæ homo christianus perpetrat. Itaque, o Christiane, cave, ne in mortalia incidas; cave, ne post acceptam baptismi gratiam ad mortalia declines; quia Christiani, qui mortaliter peccant, gravem injuriam inferunt Deo, cujus sunt filii, *ac etiam Christo, cujus sunt discipuli*.

II PARS.

Mali Christiani injuriam inferunt Christo, cujus sunt discipuli.

Fideles, qui ante Christi adventum in hoc mundo versabantur, Christiani appellari potuissent; virtute namque meritorum Christi salvabantur sicut et nos; non tamen vocati sunt Christiani, quia Christum ut magistrum non audierant, et ut morum Doctorem non habuerant. A tempore quo Christus in hunc mundum venit, ut homines omnis perfectionis viam doceret; a divino hoc magistro omnes fideles vocati sunt Christiani; et, ut loquitur S. Joannes Chrysostomus, *uno omnes appellamur nomine, christiano scilicet, omnium maximo atque præstantis-*

simo. Judæi suum sumpsere nomen a Juda, qui purus homo erat. Israëliti dicti sunt ab Israël, seu a Jacob, qui etiam purus homo erat. Nos autem non a puro homine, non a terreno quodam principe, non ab Angelo vel Archangelo, sed a Deo et Homine Christo habemus nomen et Christiani vocamur. Præclarum quidem et divinum hoc nomen, ac maxima nobis est gloria, quod hoc insigniamur nomine; dum vero a Christo Domino nomen sumimus, Christum imitari debemus: *Si Christianus es, Christum Deum imitare. Noli vacuum ferre nomen atque inane, sed plenum: tanti mensuram nominis imple; imple, inquam, operibus dignis nomine* (S. Greg. Nyss. de prof. Chr.). Sicut in veteri Lege duodecim patriarcharum nomina forebat Pontifex lapidibus insculpta pretiosis, ita in nova Lege fideles Christianorum nomen, quod non a patriarcha aliquo, sed a Christo acciperunt, operibus ad Christi imitationem factis, et Christiano nomine dignis, pretiosis veluti gemmis insculptum ferre debent. Non enim solum nobis nomen reliquit Christus; simul cum nomine miranda nobis reliquit virtutum exempla; vultque ut simul nomen sumamus et exempla imitemur. De morali philosopho, seu de sapientissimo viro *Seneca*, refert Cornelius Tacitus, quod cum iuminente mortis tempore, temporaneis omnibus orbatus esset bonis, nec quidquam haberet, quod amicis testamento dare posset, iis advocatis dixit: ecce amici mei, hinc discedens valedicere vobis vult; et licet nil mihi ex rebus temporalibus supersit, quod testamento vobis relinquere valeam; nolo tamen sine ullo, ex rebus quas dare possum, legato vos deserere. Vobis ergo, tamquam præclarum legatum, consigno *imaginem vite mee*. Præclarum sane legatum, cui simile et longo pretiosius nobis Christus reliquit; nos enim hæredes suos instituit, simulque cum nomine, nobis testamento suo reliquit *imaginem vite sue*; ad cuius normam vult nos omnes vitam nostram componere: ita ut omnes qui Christiani nominantur, Christum, a quo nomen habent, imitentur. *Qui Christum per baptismum induerunt, ejus in carne vite rationem imitari professi sunt* (Conc. Trull. c. 96). Multis quidem rationibus Christum imitari debent Christiani; verum ex hoc maxime, quod illam

non imitantes, atque ad graviora peccata declinantes gravem illi injuriam inferunt: *qui male vivunt et Christiani vocantur, injuriam Christo faciunt* (S. Aug. tr. 50 in Jo.). Quæ et quanta sit hæc injuria, qua Christum afficiunt, docet D. Paulus, dicens, quod illum rursus crucifigant et ostentui habeant: *Rursum crucifigentes sibi metipsos Filium Dei et ostentui habentes* (ad Hebr. 6). Illum quidem contemnunt et ostentui habent, dum illo relicto, ad demonis partes declinant. Illum etiam rursus crucifigunt, non quod revera illum cruci affigant; neque enim cruci affigi, vel dolore aliquo affici potest Christus jam gloria et honore coronatus; ideo vero illum rursus crucifigunt, quum id faciunt propter quod Christus crucifixus est; seu iterant peccatum, ad quod delendum Christus cruci affixus est, et ad quod delendum eum iteram crucifigi oporteret, nisi mors ejus ad omnia omnino peccata etiam futura et iteranda se extendisset. O quam magna hæc est injuria, quam Christo faciunt Christiani! quam ingentem adhuc injuriam ei inferunt, sceleribus suis illum apud homines diffamantes! *Cujus criminis rei sint Christiani, ex hoc uno intelligi potest, quod Christi nomen diffamant* (Salv. l. 4 de proc.). Sicut homi Christiani sanctis suis operibus id præstant ut ab hominibus laudentur Christus, ejusque doctrina approbetur et sancta judicetur; ita mali Christiani criminibus suis Christum diffamant, ac sunt in causa cur ab infidelibus credatur scelerosus et mendax, ejusque doctrina falsa consensatur. Ethnici et infideles a Christianis quos vident, judicant qualis fuerit Christus: *estimari itaque de cultoribus suis potest ille qui colitur*. Et ideo cum pie et religiose viventes Christianos vident, inferunt, sanctum fuisse Christum, quem ut magistrum et Deum suum colunt. E contra vero, cum Christianos turpibus et gravissimis criminibus ditos cernunt, inferunt, pessimum hominem fuisse Christum, a quo nomen et doctrinam acceperunt; suisque criminibus, ut ait Tertullianus, probant *malam sectam et malum auctorem*. Quis non videat maximam hanc esse injuriam, quam Christo impingunt mali Christiani! Quæ gravior adhuc apparebit ex eo quod criminibus suis dant infidelibus occasionem blasphe-

mandi sanctissimum Christi nomen et in ipsum Christum blasphemias proferendi. Cujus rei conqueritur D. Paulus, dicens: *Nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes*. Quae D. Pauli verba exponens Liranus, ait, quod conqueratur Apostolus de quibusdam Judæis, qui cum se Christi discipulos proclamarent, multis tamen vitis indulgebant. Et ideo dicebat D. Paulus, quod per eos blasphemaretur Christus inter gentes, quia criminibus suis dabant occasionem gentibus blasphemandi Christum et dicendi, illum haud dubie malum fuisse, cum mali essent ejus discipuli. Quod de illis Judæis dixit D. Paulus, hoc de omnibus Christianis, qui non christiane vivunt, et qui gravibus se dedunt criminibus, dicendum est. Vult enim Christus, quod discipuli sui ita vivant, ut infidelis, bona eorum opera videntes, piis illorum exemplis ad Deum glorificandum inducantur: ipsi vero e contra pravis suis exemplis ansam praebent Christum blasphemandi. *Cum ipse Salvator noster ait nos quotidie clamet; sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant filii hominum opera vestra bona et magnificent Patrem vestrum, qui in caelis est; nos ita vivimus e contrario, ut filii hominum, videant opera nostra mala et blasphement Patrem nostrum, qui in caelis est* (Salvian. ib.). Vide, o Christiane, quantam Christo injuriam irrogas, dum ad prava opera declinas; dum criminibus tuis ansam praebes infidelibus dicendi, quod Christus, ejusque doctrina sint mere fabulae: *Ecquis ille Christus cum sua fabula?* Es in causa, quod *fabula* habeatur Christi Divinitas; *fabula*, Incarnationis mysterium; *fabula*, beatorum gloria; *fabula*, aeternum inferni supplicium; et, ut ait Clemens Alexandrinus, *sublata morum probitate, fabula videtur Salvatoris oeconomia*. O quam gravem injuriam Christo magistro, redemptori et creatori suo inferunt mali Christiani, qui peccatis indulgent, gravibusque criminibus conscientiam suam inquinant! Eum continue laudare, eique omnibus vitae momentis pro acceptis ab illo beneficiis gratias rependere oporteret; ipsi vero tam ingrati sunt, ut criminibus suis illum rursus crucifigant, diffament, blasphemari faciant, virumque fabulosum fuisse suadeant. O Christiane, serio recogita, quantam sceleribus tuis

Christo injuriam feceris; poenitent te, injuriam intulisse illi, a quo habes omne bonum; ab eo veniam suppliciter postula, et dele peccata illa, quae tantam injuriam inferunt Christo, cujus es discipulus: *ac etiam Ecclesiae, cujus es membrum*.

III PARS.

Mali Christiani injuriam inferunt Ecclesiae, cujus sunt membra.

Ecclesia est corpus mysticum, cujus caput Christus, cujusque alia membra sunt omnes fideles. Sicut autem in humano corpore quodlibet membrum sic suo fungitur munere, ut non sibi soli, etiam aliis membris operetur et prosit, ita in praedicto Ecclesiae Romanae corpore quisque a Christo habet sum charisma, suum officium, suum talentum, suamque functionem; qua non sibi tantum, verum et aliis prodesse debet. Sicut autem corpus humanum magnam patitur deformitatem, cum oculus non videt, lingua non loquitur, manus non operatur, vel aliud aliud membrum suo munere non fungitur, ita et corpori Ecclesiae magnam injuriam inferunt mali Christiani, cum munere, ad quod vocantur, non functi, ad prava opera declinant, et sceleribus animam suam coinquant. Magna quidem haec injuria, quam Ecclesiae irrogant mali Christiani; eamque graviter ledunt eo quod ejus pulchritudinem denigrent, speciem minuunt, et decorem tollant. Sicut enim rugae et maculae corpus, quantumvis aliunde pulchrum, plurimum foedant, ita mali Christiani in Ecclesiae corpore quasi rugae, ejus decorem minuunt, et pulchritudinem tollunt: ut enim ait sanctus Gregorius, *rugae sanctae Ecclesiae sunt, qui fidem vocibus clamant, operibus negant* (Mor. 11, 3). Et revera, si omnes Christiani pii essent et boni; si omnes recte viverent, nil Ecclesiae corpore esset pulchrius, mirabilius nihil; at quia in hoc corpore, mali simul cum bonis commixti sunt; mali quasi rugae et foedissimae maculae, sanctae Romanae Ecclesiae pulchritudini offiunt, ejusque decorem detur-

pant et fœdant; ac ideo non ei parvam injuriam inferunt. Hoc ipsa luce clarius videtur. Aliunde etiam desumo injuriam, quæ Ecclesie fit a malis Christianis, ab occasione scilicet scandalali, quam extraneis præbent. Tenentur enim Christiani probe vivere, suisque bonis operibus aliis omnibus hominibus præluere, qui autem inter Christianos mali et criminosi sunt, aliis hominibus non lucent præclaris virtutum exemplis; sed sua pravitate eos scandalizant, eosque ad malum stimulant. Et non solum eos ad malum stimulant, illos etiam arcent, ne ad Ecclesie Romanæ gremium se recipiant. Cum enim infideles vident Christianos male moratos, religionem christianam parvipendunt, et Ecclesiam, in qua vivunt Christiani, voram esse dabitant; ideoque secum ipsi dicunt: cur amplecteremur religionem cujus sectatores sunt ita mali? Cur nomen daremus Ecclesie, cujus filii tot vitiosi sunt obnoxii? Nonne Christiani sunt avari, libidinosi, ebriosi, vindictæ cupidi, et eorumdem scelerum rei, quorum et nos? Cur ergo, relicta secta nostra, ad Ecclesiam Romanam nos conferemus? Plurimi sunt Christiani ita mali, ut non tam Ecclesie membra, quam monstra esse videantur. Sicut enim monstrum diceremus animal illud, quod corpus equi haberet, caput vero leonis; vel quod in corpore bovis alas gereret, aquilæ: ita et monstruosi habendi quidam Christiani, qui fidem habent christianam, mores vero ethnicos; qui credunt ut fideles, et vivunt ut idololatræ; qui ex parte sunt christiani, et ex parte saraceni; qui lingua et mente christiani, quia Christum confitentur, in cæteris sunt infideles. Hæc autem monstra, non solum Ecclesie filios scandalizant, etiam extraneos et infideles, quia tali monstra videntes, contemnunt Ecclesiam, in cujus sinu oriuntur et nutriantur; sumuntque inde occasionem dicendi: quæ est illa religio, quæ talia monstra parturit? Cur talem sectam amplecteremur, in qua tam monstruosos homines videmus? Cur fieremus christiani, cum hi nobis pejores videantur? O quale scandalum dant mali christiani; et o quantum ejusmodi scandalis Ecclesie injuriam inferunt! Malos sui ævi Christianos interpellat, et acriter arguit Christostomus, dicens, quod nec Christiani, nec homines, potius

feræ, et feris pejores sint. Quibus, inquit, indicis et fidelem nominare potero? Si te ex loco scire curavero, in foro te deprehendo, vanissime toto die vacantem: si te a veste considerem, nihil te a scenico distare cognoscam; quod si a comitibus, a sermone, a cibo; major hinc accusationis materia nascitur. Unde igitur, responde mihi, te fidelem esse agnoscere potero? Et quid dico utrum fidelis sis? Nec si homo sis potero evidenter cognoscere. Quando enim ut taurus superbis; quando in epulis, ursorum imitaris voratum; cum malitia camelum, lupum imitantis rapina; cum irascaris ut serpens, et atrocitate scorpionum percussus; cum subdole insidieris ut coluber; cum veneno malignitatis armeris ut viperæ; cum denique quasi diabolus ipso, adversus fratres crudelia bella suscipias, quæ ratione in hominum te possum numero collocare? O rem plenam doloris et lachrymarum? Fidelis et Cathecumeni distinctionem recipere volebam; sed nec inter hominem et feras quod sit discrimen invenio. Quid igitur te appellare debeat? Feram? Sed illæ uno aliquando horum vitio tenentur; tu vero simul in te omnia colligendo, longe ferarum irrationale, stultumque genus transgredieris; an diabolum te potius appellem? Sed ille nec pecunias concupiscit, nec ventri obsequitur. Cum igitur plura in te vitia sint, quam in feris et dæmonibus, responde, quæso, unde te possum hominem nuncupare? Si vero hominem nequeo, quomodo christianum, et fidelem appellabo? O pessimos Christianos, qui tot vitiosis sunt obnoxii, ut non homines, sed feræ, sed ipsis feris, ipsisque dæmonibus pejores videantur! Quod decus, quem honorem, quam utilitatem ex hujusmodi malis Christianis, quorum numerus magnus erat tempore D. Chrysostomi, et nunc major est, percipere potest Ecclesia? Hi sane Christiani, non in deus, in gloriam, et in Ecclesie utilitatem; imo vero in ejus dedecus, ignominiam, et perniciem vivunt. Hi etenim Ecclesiam dedecorant, magnamque ei injuriam inferunt, tum ratione extraneorum, et infidelium, qui etiam scandalizantur, cum vident eam hominibus repleri, qui ob vitia quibus adhærent, plus bruta dicendi quam homines. Indeque sumunt

occasionem eam despiciendi, in eam militandi, eamque variis modis vexandi. O Christiani, attendite, et videte quantum criminibus vestris Deo, cujus estis filii, Christo, cujus estis discipuli, et Ecclesiae, cujus estis membra, injuriam inferatis. Hoc serio perpendite, et a peccatis vestris respicite. Heu! quid proderit vobis christianos extitisse nomine et professione, si moribus Deo, Christo et Ecclesiae infensi fueritis? Non modo hoc vobis nil proderit, majoris vobis erit occasio damnationis. *Ille servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis; qui autem non cognovit, et fecit digna plagis, vapulabit paucis* (Luc. 12, 24). Servi illi, qui non cognoverunt Domini voluntatem, sunt Judaei et infideles, qui Fidei lumine non fuere illustrati, et hi vapulabunt paucis: quia pauca et levia erunt supplicia quae patienter in inferno comparatione eorum quae perferent mali Christiani. Servi vero, qui Domini sui voluntatem agnoverunt, nec secundum voluntatem ejus fecerunt, sunt mali Christiani. Isti autem, quia cum Dei voluntatem cognoscere, eam adimplere, eique obtemperare voluerunt, dirisimae in inferno plectentur suppliciis. Igitur, Christiane, tua detestare peccata, per penitentiam ea dele, et virtutem sectare, ut horrenda inferni supplicia devites, et ut aeternam beatitudinem aliquando assequaris. Amen.

DOMINICA OCTAVA POST PENTECOSTEN.

DE ELEEMOSYNA.

Facite vobis amicos de mammona iniquitatis (Luc. 16, 9).

Divitiis vocantur *mammona iniquitatis* non quod ex sui natura male, inique et exitiose sint, verum quia eas possidentes plerumque ad iniqua declinant, iisque utuntur, ut peccato et iniquitati serviant. Arbitrantur plerique divites, datas

sibi a Deo opes, ut iis adhaereant, iis serviant, iisque ad delicias, ad luxum, et ad mala perpetranda utantur. At errant qui ita sentiunt: vult enim Deus, ut divites, sumptis sibi necessariis, superflua pauperibus erogent, suisque eleemosynis amicos sibi faciant apud Deum: *facite vobis amicos de mammona iniquitatis*. Scio divitibus durum esse duo haec audire verba: *dote pauperibus*; durius autem ipsis videri debet quod pluries dixit Christus: *dote vobis dicitibus*. Vae quidem illis, qui divitis, quibus affluunt, pauperum necessitatibus non occurrunt; *felices* nimis illi divites, qui erga pauperes se liberales exhibuerint; *felices*, si sibi ex mammona iniquitatis amicos fecerint, et largas pauperibus eleemosynas erogaverint: *facite vobis amicos de mammona iniquitatis*. Hanc suam felicitatem agnoscere poterunt divites, si eleemosynae praestantiam, effectus, et merita, quae modo videbimus, serio considerent. Ave.

In qualibet virtute considerari possunt ejus natura, ejus effectus et merita. *Ejus natura* explicatur dicendo, quid sit haec virtus, quantaque ejus excellentia et dignitas. *Ejus effectus* manifestantur aperiendo, quid boni haec virtus operetur. *Ejus meritum* declaratur docendo, quanta sit hujus virtutis potestas apud Deum, et quid ab eo obtinere soleant, qui illius virtutis exercitio sedulo incumbunt. Quod in aliis virtutibus attendi solet, consideremus nunc in eleemosyna, quae a D. Chrysostomo, non virtus solum, sed et virtutum regina appellatur: *Eleemosyna regina virtutum*. Videamus quid mirabilis illa virtus habeat, quid efficiat, et quid obtineat. Inquiramus: 1. quid sit eleemosyna, et ejus naturam, atque excellentiam aperiemus; 2. quid faciat eleemosyna, et ejus effectus, mirabilesque ejus operationes manifestabimus; 3. quid obtineat eleemosyna, et favores quos a Deo impetrat, admirabimur. *Quid est? Quid efficit? Quid obtinet eleemosyna?* En tres quaestiones, quarum solutione tota haec concio perficietur.

I PARS.

Quid est eleemosyna.

Sciunt omnes, eleemosynam esse egregium charitatis et misericordiae actum, quo aliquid indigenti ex compassione datur propter Deum. Jamvero ut virtutis illius praesentia perfectius manifestetur, et quid sit mirabilis haec virtus, latius explicetur, dicam eleemosynam esse tributum, sacrificium et baptismum. Eleemosyna est 1. *tributum*, quod solvitur Christo; 2. *sacrificium*, quod offertur Deo; 3. *baptismus*, quo lavantur animae.

1. Tributa sibi solvi petunt reges et saeculi principes; eaque illis solvere quisque tenetur, dicente Domino: *reddite omnibus debita; cui tributum, tributum* (Rom. 13, 7). Christus autem, qui totius mundi rex est et supremus monarcha superflua a divitibus exigit, tanquam tributum sibi debitum, et pauperes, tanquam legatos suos mittit, ut tale tributum colligant. Pauperes, inquit, Salvator, sunt commissarii, seu legati a me missi, ut meo nomine recipiant quae vobis superflua sunt: hoc est tributum, quod a vobis requiro, quodque iis, ut meis ministris et commissariis a me missis, solvi peto: *quod superest, date eleemosynam* (Luc. 11, 4). Multa terrenis principibus solvi solent tributa, unde quotidie conquerruntur populi, quod tributa onerentur. Unicum ex bonis terrenis tributum rex caelorum Christus a divitibus saeculi sibi solvi postulat, eleemosynam scilicet. Hoc est tributum ante omnia alia tributa solvendum; *hoc ante omnia solvamus tributum*. Solvamus ergo illud tributum Christo, qui propria manu pauperum, tanquam sua manu, illud accipit: *manus pauperis est manus Christi; dante te eleemosynam, non manus pauperis, sed manus Christi illam recipit* (Chrys. ho. 33 ad pop.). O viri divites et potentes in saeculo, hoc tributum solvite Christo, qui Rex, Dominus et Creator vester est; eleemosynae tributum solvite

Christo, qui dedit vobis corpus, animam, et quidquid in hoc mundo possidetis; hoc tributum ne denegatis Christo, qui sanguinem suum dedit pro vobis in cruce, et qui se totum vobis dat in Eucharistia: hoc tributum libenter et prompte solvite Christo, qui temporalia vobis dedit in terris, et a quo aeterna expectatis in caelo. Danda sane pauperibus eleemosyna, cum sit tributum quod Christo solvitur, *ac etiam sacrificium, quod Deo offertur*.

2. In veteri Testamento varia offerbantur sacrificiorum genera: eleemosyna vero quae ex affectu charitatis pauperibus erogatur, recte habetur ut sacrificium omnibus his sacrificiis praestantius: *eleemosyna*, inquit sanctus Chrysostomus (hom. 80 ad pop.), *est sacrificium aliis sacrificiis majus. Dixit enim Deus; misericordiam volo, et non sacrificium*. Scribae et Pharisei de antiquae legis sacrificii gloriabantur; ipsos autem, ut ait sanctus Prosper, Christus docuit singulare aliquod sacrificium, quod majus, Deoque gratius extat, nullum aliud profecto quam eleemosyna, quae propter Deum pauperibus erogatur: *ostendit Christus Scribis et Phariseis singulare sacrificium; date eleemosynam*. Non vult jam Deus ut homines et boves et oves sacrificent; vult, ut ei bona sua in sacrificium offerant, dando ea pauperibus. Eleemosyna est sacrificium, quod ab his expectat et exigit: *Christiani sacrificium est eleemosyna in pauperem* (S. Aug. ho. 29, ex 80). O divites, qui toties criminibus vestris Deum ad iracundiam provocatis! Placate, et propitium illum reddite eleemosynis vestris. Dicite cum Patriarcha Jacob: *Placabo illum muneribus* (Gen. 32, 20); placate eum muneribus, et eleemosynis plurimis. Ecce sacrificium, quod illi offerre, et quod eum vobis propitium reddere debetis. At eleemosyna non solum sacrificium, quod offertur Deo, *verum et est baptismus, quo lavantur anime*.

3. Maxima haec est eleemosynae prerogativa, quod animam ab omni peccato lavet, et purget. *Eleemosyna ab omni peccato, et a morte liberat* (Tob. 4, 11). Et ideo eleemosyna a sancto Hieronymo alter baptismus dicitur his verbis: *hoc praestat eleemosyna*

mosyna, quod et baptisma. Quomodo baptisma nobis peccata dimittit, ita et eleemosyna (in Ps. 133). Baptismi Sacramentum a Deo primario institutum est, ut deleatur in nobis originale peccatum; aliud a Deo nobis datum est baptisma, ut peccata actualia, eo mediante, deleamus; illudque baptisma haud aliud est, inquit sanctus Leo, quam eleemosyna ex charitatis et misericordiae affectu erogata; praeter regenerationis lavacrum hoc remedium infirmitati humanae diuturnus est donatum, ut si quid culpae contrahitur, eleemosyna deleatur (serm. 2 de coll.). O mirabile baptisma, cuius virtutem superexaltat sanctus Ambrosius, dicens, quod maiorem quodammodo vim in peccata habeat, quam Baptismi sacramentum, eo quod istud semel dumtaxat recipiatur, et semel peccata deleat; eleemosyna vero toties quoties animam a peccatis mundare possit; *eleemosyna quodammodo aliud est animarum lavacrum; nisi quod salva, fide dicereim, indulgentior est eleemosyna quam lavacrum, id est baptismus. Lavacrum semel datur, eleemosynam autem quoties feceris, toties veniam promerereberis (ser. 32).* O quam effloax baptismus est eleemosyna! O immundi peccatores tot coinquinati criminibus, eleemosynis peccata vestra redimite; largas pauperibus eleemosynas distribuite, et eleemosynae vestrae erunt sacer quidam baptismus, quo a peccatis vestris mundabimini; non quidem *ex opere operato*, perinde ac si ipsa eleemosyna vestra per se immediate et physice deleant crimina; varum illa delebunt dispositivo, quia si eleemosynam ex affectu charitatis, et ad veniam peccatorum obtinendam largiamini, dabit vobis Deus gratias auxiliares, quibus ad penitendum, et ad peccata per penitentiam delenda movebimini, ut tandem ab his mundi et liberi evadatis; *dote eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis.* Ecce quid sit eleemosyna; videamus nunc quid boni illa operetur.

II PARS.

Quid facit Eleemosyna.

Ut mirabilem Dei potentiam manifestet propheta, ait, eum omnia quaecumque voluit, fecisse tum in inferni abyssis, tum in terra, tum in caelo. *Omnia quaecumque voluit Dominus, fecit in caelo, in terra, et in omnibus abyssis (Ps. 134).* Eleemosyna autem hanc Dei potentiam participat: mirabilia enim facit 1. in inferno; 2. in terra; 3. in caelo.

1. Eleemosynae hic in terris erogatae in infernum virtute sua descendunt, ibique mirabilia operantur, quia tartareum ignem extinguunt: et ad inferni fores stant, ut impediatur, ne in eum mittantur homines in pauperes effusi, qui largas eis eleemosynas erogant. *Eleemosynae peccata delent, et poenam perpetui ignis extinguunt (S. Leo s. 5 de coll.).* Mirabilem hanc eleemosynae virtutem probe noverat Tobias, dicens, quod eleemosyna non solum ab omni peccato et a morte liberet, sed etiam quod non patietur Deus, ut ad inferni tenebras mittantur qui largas eleemosynas ex charitatis et misericordiae motivo erogant. *Eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras (Tob. 4, 11).* Unde videtur, Deum eleemosynae tradidisse inferni claves, ut illum claudat eorum gratia, qui erga pauperes benigni et misericordes extiterunt. Non dico, quod ex his qui aliquam pauperibus eleemosynam dederint, nullus damnabitur et in infernum mittetur; id tantum assero quod omnes misericordes et in pauperes liberales ab inferni suppliciiis praeservabuntur, quia quisvis homo, quamvis multorum criminum reus, si largas pauperibus eleemosynas erogaverit, tantam a Deo, mediantibus suis eleemosynis, gratiarum copiam obtinebit, ut tandem a peccatis resurgat, in statu gratiae perseveret, et infernum effugiat. Et ideo D. Augustinus ait, eleemosynam ante fores inferni stare, ut impediatur, ne in illum ingrediantur, qui erga pauperes fuerint misericordes. *Ante fores gehennae stat misericordia, et nullum misericordem per-*

mittit in illam carcerem mitti (hom. 26 ex 50). Ecce mirabilia quae in inferno operatur eleemosyna; quae facit etiam mirabilia in terra.

2. Mirabilia quidem dicenda quae operatur in mundo eleemosyna, quam divites pauperibus tribuunt, quia, ut ait D. Chrysostomus, ipsa conservat Dei opera, quae perirent, et esse desiderarent, nisi per eleemosynam conservarentur. Pauperes enim sunt Dei opera, quae perirent, nisi per eleemosynam ipsis a divitibus datam conservarentur. *Ipsae namque pauperes, cum non essent, produci; tu vero productos et factos, fame et reliquiis arvensis tabescere non sinis.* Plura dicit Chrysostomus, ut manifestet mirabilia, quae in terra perficit eleemosyna; asserit enim, eam multa miracula facere, ac per eam agritudines prompte et facile sanari. *Per eleemosynam, si volumus, agritudinem licet gravem repellere possimus: nec solum fieri potest, sed et facile* (hom. 35 ad pop.). *Vides* pauperem lethali laborante morbo, a quo illum teis eleemosynis liberas, ita ut qui antea nec manducare, nec loqui, nec ambulare, nec laborare poterat, jam manducet, loquatur, ambulet, et laboret, nonne hoc est miraculum a tua eleemosyna peractum? *Vides* alium carceri mancipatum, ferreis catenis constrictum, et sub dira captivitate gementem; tu vero tuis eleemosynis inde eum eripis, illi libertatem emis, et a miseris, quibus premitur, illum liberas; nonne haec actio mirabilis est et miraculosa? *Vides* alium, cujus corpus ulceribus plurimis foetidum est, magnaque inest ratio timendi, ne gangraena vitietur, quis nullum habet a quo curetur; tu autem, aut illud illi praestas charitatis officium, aut eleemosynis tuis solvis chirurgum, qui ejus vulnera curat et sanat, cumque in hunc statum constituit, quo ab omni infirmitate liber agere et laborare possit, nonne ibi est quaedam species miraculi ab eleemosyna praestiti? Nonne videmus quotidie, quod personae in pauperes beneficae et misericordes eleemosynis captivos redimant, puellas periculo expositas matrimonio copulent, peregrinos alant, miseros sublevant, aliaque his similia opera exercent? Ecce mirabilia quae in terra perficit eleemosyna; attende mirabilia quae facit in caelo.

3. Ibi per manus pauperum aeterna aedificat tabernacula. Multi in casuro mundo et paulo post deserendo, quasi aeternum in eo victuri, domos magnas, multas et superfluas construere satagunt; o quam sapientiores, qui pecunias suas pauperibus erogant! pecunia enim pauperibus erogata, aeterna et sine fine permanentia tabernacula in caelo aedificat. *Aeterna*, inquit S. Chrysostomus, *sunt tabernacula illa finem non habentia; in hanc structuram pecuniam impendamus, pauperum manus hujusmodi domos construunt* (hom. 7 de pen.). Refert Divus Gregorius visionem ejusdam militis, qui in aenosis, virentibusque pratis domum laterculis aureis extrui conspexit, eosque laterculos aureos adferebant pauperes. Laterculi illi aurei, inquit Gregorius, fuerunt eleemosynae aureae, quibus a pauperibus caeleste tabernaculum homini, misericordiae eleemosynae claro, aedificatur. *Qui enim praemia aeternae lucis, eleemosynarum largitate promeribitur, constat, quia auro aedificat mansionem suam in caelo.* O fratres, aedificate vobis domos in caelo, eleemosynas pauperibus date, ut aeterna vobis tabernacula in caelo exaedificetis. *Nemo*, ait S. Joannes Chrysostomus, *in casura urbe aedificat. Dic mihi, si quis tibi praevultariet, post annum ipsam casuram urbem, nam in casura urbe aedificares? Nequaquam. Quare in hoc nos aedificamus mundo? Cadet enim paulo post, et evicta peribunt. Quid dico, cadet? Ante ipsum casum ipsi peribimus. Quid in arena aedificamus? Aedificemus supra petram, quantumcumque impetus fiet, inconcussa quidem erit illa aedificatio* (hom. 33 ad pop.). Non ergo aedificemus in hoc mundo; non in eo nostra figamus corda, sed in caelo. Ibi per manus pauperum firmas et inconcussas aedificemus domos; demus eleemosynam, et aeterna ibi nobis construamus tabernacula, in quibus nos recipient pauperes, cum ex hoc mundo migrabimus. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis; ut cum defeceritis recipient nos in aeterna tabernacula* (Luc. 16, 9). Miramini mirabilia quae in inferno, in terra et in caelo facit eleemosyna. *Admiremur insuper multa, quae eleemosyna obtinet.*

III PARS.

Quid obtinet Eleemosyna.

Declarat Christus, se eleemosynam recipere, quam pauperi largimur: *quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (Matt. 25). In qua verba sanctus Gregorius Papa ait: *ad tribuendam ergo pigri cur estis, quando hoc quod facenti in terra porrigitis, sedenti in celo datis* (hom. 40 in Ep.). Pigri certe esse non debent homines ad dandam eleemosynam, cum Christus se eam recipere asserat. Neque etiam decet eos esse pigros in eleemosyna eroganda, cum eleemosyna, quae propter Deum pauperi datur, danti obtineat 1. bona spiritualia; 2. bona caelestia; 3. bona aeterna.

1. Quicumque in pauperes non sunt misericordes et benefici, a Deo non exaudientur, nec ab eo spiritualia gratiae dona obtinebunt. *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit, et non exaudietur* (Prov. 21). E contra quicumque temporalia bona pauperibus erogabit, spiritualia gratiae bona ab eo impetrabit. *Ex substantia tua facie leemosynam, et noli auertere faciem tuam ab illo paupere: ita enim fiet, ut nec a te aueratur facies Domini* (Job. 4, 7). Qui eleemosynam pauperibus erogant, non simpliciter donant; ea feneratori tribuant; feneratorum enim Deo, qui pro temporalibus bonis spiritualia gratiae bona retribuet. *Fenerator Domini, qui miseretur pauperis, et vicissitudinem suam retribuet ei* (Prov. 19). O fratres, demus ad usuram, non hominibus, sed Deo; creditores et feneratoris simus illius qui ait: *Date, et dabitur vobis*. Sanctum hoc exerceamus fenus, pecuniasque pauperibus erogemus, et Deus eas reddet cum usura, cum pro temporalibus quae dabimus, spiritualia retribuet; sic enim ait sanctus Leo: *Deus*

fide jussor est pauperum, et largissimus redditor usurarum (serm. 6 de jej.). In hoc usurae genere non est locus ingratitude, non iniustitiae, non peccato, nec alicui damno; hanc enim Deus usuram approbat, et pro uno centuplum reddit, quia pro temporalibus hujus mundi bonis spiritualia gratiae dona impertitur, quae comparatione temporalium ita sunt, quasi si parvo numero centenarius numerus comparetur. *Eleemosyna obtinet etiam bona caelestia.*

2. Eleemosynam, artem esse quaestuosissimam asserit sanctus Joannes Chrysostomus: *ostendamus qualiter eleemosyna est ars omnium artium quaestuosissima* (ho. 33 ad pop.). Est quidem ars quaestuosissima, quia saepe auget, et multiplicat temporalia bona eorum qui in pauperes sunt liberales, aut saltem impedit, ne in egestatem et penuriam incidant: *Qui dat pauperi, non indigebit*. Est, etiam ars quaestuosissima, quia pro terrenis bonis, quae pauperibus erogantur, caelestia obtinet: *da modica, accipe magna; da terram, accipe caelum* (Aug. in Psal. 36). Quid sunt terrena omnia comparatione caelestium? Umbra sunt, fumus sunt, vapor ad modicum apparens sunt, nihil sunt, et tamen eleemosyna est ars ita quaestuosiva, ut qui eam norunt, et qui bona temporalia ex affectu claritatis pauperibus largiuntur, pro terrenis et contemptibilibus illis bonis caelestia obtineant. *Da terram, accipe caelum. Thesaurizate vobis thesauros in celo*, inquit Christus. Non thesaurizandum in terra, nec corda nostra ligenda terrenis bonis, quae erugo et tinea demoluntur, et quae fures effodiant et rapiunt: thesaurizandum in celo, ubi thesauri sunt ex bonis caelestibus, quae neque tinea rodere, nec fures auferre possunt. Jamvero quomodo in celo congregari poterant thesauri? *Eleemosinas videlicet erogando*, inquit sanctus Gregorius. Thesauri in hoc mundo sunt, congregandum aurum, argentum, et alia quae pretiosa vocamus; in celo autem thesauri sunt non congregando, sed dispergendo hujusmodi bona temporalia. Cum enim illa dispergimus, et pauperibus ob Dei amorem distribuimus, thesaurus in celo congregamus: quia pro terrenis illis bonis, quae pauperibus ex charitatis motivo damus, caelestium bonorum thesaurus dabit nobis Deus in celo.

Ipsa vero eleemosyna non solum coelestia, *verum et aeterna nobis obtinet bona.*

3. Fugaces sunt hujus mundi opes; facile a nobis ad alios transfugiant; eas aut cum vivimus, amittimus, aut cum morimur, dimittimus. Alii uno, alii quatuor, alii viginti et alii triginta annis illas possident; nullus perpetuam earum possessionem et fructuonem habet. Si vero labiles et fugaces illae divitiæ in eleemosynas distribuuntur, non fugiunt, non pereunt, sed in caelo congregantur, ubi pro terrenis et transeuntibus illis bonis coelestia et aeterna dantur: *da mortalia et recipe immortalia* (Crys. ho. 9 de poen.). Agricola, inquit S. Joannes Chrysostomus si frumenta domi conclusa tenent, a vermibus corroduntur et fugiunt; si vero disperserint in terras, non modo non fugiunt et pereunt, imo etiam augentur. Sic et opes, stantes in area, atque sub sera et vacte defossae, cito transugunt. Si eas autem in ventres disperseris pauperum, serbantur et majores inde resurgunt. Quia fugaces illae opes, quae domi asservatae fugiunt, pauperibus commissa non pereunt; in caelo asservantur, ubi pro fluxis illis bonis aeterna et nunquam peritura bona tribuuntur. Nonnulli ea perire credunt quae pauperibus erogant, et omnia quae in eleemosynas distribuunt, tantquam sibi perita inspicunt. Imovero, ait divus Augustinus, hoc quod pauperibus datur, non perit; quin contra ex omnibus temporalibus hoc solum non perit: *quod dat unusquisque pauperibus, non perit; non dico hoc non perit, sed hoc solum non perit* (hom. 29 in 3 Reg.). Quid factum est de mirabili illo Salomonis throno, de quo dicitur, quod non est factum tale opus in universis regnis? Peritit. Quid de portentosis illis operibus, quae septem orbis miracula olim vocabantur? Perierunt. Quid de Cresi divitiis, de Caesarum gloria, et de famosa Romanorum monarchia? Haec perierunt et omnia pereunt, exceptis iis quae in eleemosynas distribuuntur: *hoc solum non perit*. Haec non pereunt, ait idem Augustinus, quia pro iis Deus alia plura, meliora et aeterna dat bona; *alia dabo, et plus dabo, et melius dabo, et in aeternum dabo* (serm. 149 de temp.). Date ergo eleemosynam ac quantum fas erit, quantumque status

vester patietur, erga pauperes estote liberales: et pro terrenis et transitoriis bonis spiritualia, coelestia et aeterna obtinebitis. *Date*, inquit Christus, *et dabitur vobis*. Date temporalia, et dabuntur vobis spiritualia; date terrena, et dabuntur vobis coelestia; date transeuntia, et dabuntur vobis aeterna. Amen.

DOMINICA NONA POST PENTECOSTEN.

DE FURTO.

Scriptum est: quia domus mea domus orationis est, vos autem fecistis illam speluncam latronum.

Domus Dei est caelum, domus Dei est ecclesia, domus Dei est totus mundus. *Caelum* quidem domus Dei est, in qua ipse speciali modo habitat, seque sanctis suis videndum manifestat. *Ecclesia* est etiam domus Dei, cui speciali modo se praesentem exhibet per auxilia, quae fidelibus praestat, et per beneficia quibus eos afficit. *Totus tandem mundus* est Dei domus, quia totum mundum praesentia sua replet, potentia sua sustentat, et benedictae suae fovet. Certum est autem, quod in caelo nulla perpetrarent latrocinia, quia ibi omnia sunt communia, et quisque tam alterius, quam proprio bono gaudet. Certum est e contra, quod in hoc inferiori mundo innumera committantur furta, quia ibi in hominum cordibus tanta est honorum temporalium concupiscentia, ut innumeri aliena rapiant et furentur. Quod mirum et portentosum est, in ipsa Christi Ecclesia non desunt furta et latrocinia. Et licet haec vera sit Dei domus, illam homines in latronum speluncam convertunt: *Domus mea domus orationis est: vos autem fecistis illam speluncam latronum*. Inde de furto dicendi occasione sumere statui. Ave.

Omnia peccata mortalia sunt communia, gravia et periculosa. Omnia peccata mortalia sunt communia, quia totus mundus

in maligno positus est: et in eo cuiuslibet generis peccata affluunt et inundant. Omnia etiam peccata mortalia sunt ex se gravia, quia infinitam Dei majestatem graviter offendunt, et quia non solum ineffabilibus paradisi gaudiis privant, verum etiam ad aeterna tartari supplicia pertrahunt. Omnia tandem mortalia peccata sunt periculosa, quia qui in ea incidit, in continuo damnationis aeternae periculo versatur. Quod de omnibus mortalibus peccatis dico, speciali quodam modo convenire videtur furto, quod communissimum, gravissimum et periculosissimum est. *Communissimum* quidem in hoc mundo, *gravissimum* in se, et *periculosissimum* respectu eorum, qui aliena furtis auferunt. Aliena furari est 1. quid commune; 2. quid grave; 3. quid periculosum.

I PARS.

Aliena furari, est quid commune.

Non censendum, eos solummodo aliena furari, qui in mediis noctis tenebris domus invadunt, vel quia in ipsis sylvarum recessibus viatores expoliant et mactant. Aliena enim furantur quicumque dolo, vi, fraude, palam vel clam, iniuriam dominis, aliena auferunt. Horumque furum nil in mundo communius, quia a minore usque ad majorem, omnes avaritiam student, et a propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum (Jer. 6, 13). Inter ipsos reges et principes, qui multorum sunt honorum possessores et domini, non desunt, qui aliena rapiant: ex his enim aliqui fures sunt et furum socii; principes tui infideles, socii furum, inquit Isaias propheta (1, 23). Et, ut ait S. Augustinus, quid sunt regna, remota justitia, nisi latrocinia? Fateor, raro inveniri reges et principes, qui iniure subditorum bona rapiant, cum plerumque hi populum patres et protectores esse soleant. Saepe eorum officarii et hi qui rem publicam administrant, fures sunt et latrones, qui populorum bona in propriam utilitatem convertunt, et di-

spendio publico rem familiarem augent, opesque plurimas sibi concervant. Hi quasi sanguisugae, pauperum sanguinem et substantiam sugunt, nec unquam per debitam restitutionem quidquam evomunt. Hi quasi spongiae pauperum sanguinis et opibus madefunt et replentur; qui quidem a principibus comprimuntur, ac de his flet sicut de ministris Flavii Vespasiani, de quo dicitur: *officiarios suos habebat pro spongiis, quod eos veluti spongas et siccos madefaceret, et humentes exprimeret* (Sveton.). Non apud magnates solum, etiam inter pauperes et plebeios communia sunt furta. Inter istos sane multi fures inveniuntur, et in communi faece plebis omnia injustitiis, furtisque referta habentur. Quid enim inter rusticos communius, quam agros mutuo invadere, possessionum suarum transferre terminos, dominos et decimas defraudare, per lites sibi arrogare quae alterius sunt, ac litigiis pupillos et viduas facultatibus spoliare? Quid inter artifices usitatus, quam segniter laborare, cum diurna mercede conducuntur; quam male et imperfecte susceptum opus exequi, quando eis pacto pretio locatum est; quam multa fraude uti in omnibus operibus, quae facienda suscipiunt? Nonne ipsi pauperes et mendici sub specie paupertatis multa perpetrare furta? Nonne hi saepe quae aliorum sunt, necessitatis praetextu vastant et diripiunt? Nonne hi saepe exterius pauperem mentiantur; cumque revera pauperes non sint et inopes, elemosynas fraude obtinent? Nonne saepe absque legitima causa sylvis, agris et hortis damna multa afferunt, et aliena usurpant? Jam quisque vestrum videre incipit, quam commune sit in mundo aliena furari: quod communius esse censebit, qui advertet, quid in saecularium domibus fieri soleat; nulla enim fere domus, in qua non sint aliqui fures; nulla fere domus, in qua aut domini famulus, aut famulus domini, vel parentes filii, vel filii parentibus injuriam non faciant, eorumque bona non iniure auferant. Heu! quot heri domesticorum mercedem injuste detinent, aut tarde persolvunt! Quot parentes hereditatis legitimam portionem nonnullis ex filiis privant, ut unum in aliorum praedivitiis dicit! Quot filii furtim parentum substantiam auferunt, cam-

que in ludos et luxus, imò quandoque in fornicationes et scorta prodigunt et profundunt! Quot filifamilias fratres suos et sorores defraudant! Quot, cum parentes extrema agentes vident ad areas properant et inde aurum, argentum, monilia et alia que possunt, subtrahunt! Quid vero dicendum de famulis et ancillis, nonne hi de rebus dominorum propinquis vel amicis multa largiuntur, vel etiam in proprium usum convertunt cum gravi conscientia suae detrimento! Ex praedictis satis notum videtur, furta esse in mundo communia.

Quo vero magis pateat, quam communia sint, addo, quod furari sit quid commune apud mercatores, apud iudices et apud ecclesiasticos: *apud mercatores*, in quibus summa esse debet aequitas: *apud iudices*, qui furiorum vindices esse tenentur: *apud ecclesiasticos* (1) quibus furta verbis et exemplis damnare inanis et onus incumbit. Quoad mercatores, quis dicat, quot ipsi furta fraudibus suis perpetrent? Nonne hi saepe aliena furantur, mercem unam pro alia vendendo? Nonne illi veris mercibus falsas et alias minoris valoris saepe immiscent? Nonne multi ex mercatoribus habent pondus et pondus, mensuram et mensuram; unam qua ad mercem vendendas, et aliam qua ad eas emendas utantur? Nonne hi saepe monopolio faciunt, ut res majori pretio vendant et minori emant? Nonne hi saepe merces antiquas et corruptas pro bonis et recentibus vendunt? Nonne hi saepe stolidis et ignaris res supra legitimum pretium vendunt? Nonne etiam hi saepe emendo et vendendo contractibus usurariis aliena auferunt? Nil sane communius apud mercatores, quam aliena fraudibus et dolis furari: et hoc ipsum usitatissimum est apud iudices. In judiciario foro inveniuntur caudicij, qui causas injustas propugnandas suscipiunt, et qui,

(1) Furtum esse quid commune apud ecclesiasticos, nescio utrum auctoritas vere dici poterit absque hyperbole valde injuriosa ecclesiastico ordini; nostra aetate potius fatendum ecclesiasticos quam saepissime furta pati, eorumque bona vix non omnes civium ordines depraedari, adeo ut pene furtum non censatur, quod Ecclesiae ejusque ministris auferatur. Quidquid vero sit hac de re, proclibulo auctoris sententiam coram populo afferre non floreat.

ut loquitur S. Bernardus, *deserti sunt aduersus justitiam, eruditii pro falsitate, sapientes ut faciant malum, eloquentes ut impugnent verum* (de consid. 1). In foro procuratores multi, tabularii et tabelliones plurimi falsis scriptis, iniquis consiliis, malignis agendi modis pauperes, pupillos, viduas opprimunt, vendunt et facultatibus spoliunt. Adhuc et in foro multi sunt iudices, *qui condunt leges iniquas, et scribentes, injustitiam scripserunt, ut opprimerent in iudicio pauperes, et cum facerent causas humilium populi mei, ut essent viduae preda eorum et pupillos diriperent* (Is. 10). In foro plurimos reperire est iudices, qui muneribus et pecuniis victi, impios justificant, et innocentes, quasi rei essent, iniique condemnant; de quibus Issias ait: *Vo qui justificatis impium pro muneribus, et justitiam justi auferitis ab eo* (Is. 5). O quot iudices aliorum bona furantur! Verum quod portentosum est, apud ipsos ecclesiasticos fures reperiuntur, qui turpis avaritiae vitio succensi, per fas et nefas aliena auferunt: qui, veluti latrones per ostium ad beneficia non ingrediuntur, qui de patri-monio Crucifixi, et de altari multa bona concervant, vel potius furantur, quia, ut ait S. Bernardus (op. 1), *quidquid proter necessarium cietum ac simplicem pestitum de altari retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est*. Videte, quam communia in mundo sint furta; certe in eo *furtum et adulterium inundaverunt* (Osee 4, 2). Quod si furari sit quid commune, *est etiam quid grace*.

II PARS.

Aliena furari est quid grave.

Licet furtum ratione parvitatís materiæ et aliarum quarundam circumstantiarum leve esse possit, ex suo tamen genere quid grave est et peccatum mortale, cum fures, nisi ablata restituant, et penitentiam agant, celesti regno priventur; *neque fures, neque rapaces regnum Dei possidebunt* (2 Cor.

6, 10). In lege veteri furtum quid grave censebatur, cum juberet lex, ut pro uno bove furtim ablato redderentur quinque, et pro una ove quatuor restituerentur, ac tandem quod vendideretur ipse fur, si minime haberet, quo restitueret. Cujus legis aequitatem explicat Doctor Anglicus, dicens: *cum aliquis ex sua iniqua voluntate sibi attribuit plus quam sibi debetur, justum est, ut diminuat etiam quantum ad id quod sibi debetur, sicut cum furatur quis unam oem reddat quatuor; per hoc enim punitur ejus iniqua voluntas* (2, 49, 9). Si in lege veteri grave censebatur furtum, quam gravius aestimandum in nova et apud christianos, inter quos societatis et charitatis vinculum longe arctius esse debet. Inter istos sane, aliena furari gravissimum iudicatur; et qui aliena furantur, infames reputantur ac societatis et vite communis hostes, nec non et apud Deum et apud homines rei multis suppliciis plectendi. Nec mirum, cum fures Deus maledictione sua feriat; *haec est maledictio, quae egreditur super faciem omnis terrae: quia omnis fur judicabitur, et veniet ad domum furis...* (volimen maledictionis) *et commorabitur in medio domus ejus et consumet eam* (Zach. 5). Ad infernum scilicet, qui est domus ad recipiendos fures parata, nisi convertantur. Furti gravitas inde sane censeri potest. Aliunde etiam deducitur, hoc scilicet, quod nunquam veniam et peccati sui remissionem obtinere queant qui aliena furto rapuerunt, nisi ablata restituerint; quia *non dimittitur peccatum, nisi restitatur ablatum* (Aug. ep. ad Mac.). Qui aliena rapit, *fur est*; qui fraudat in contractibus, in ulna, in pondere, vel mensura, *fur est*; qui mercedem operariis delibant detinet, *fur est*; qui usuras exigit et accipit, *fur est*; qui domino suo negligentia sua nocet, *fur est*; qui cum validus sit, pauperum stipem praeripit, *fur est*; omnia tandem lucra iniqua, furta sunt, et peccata ita gravia, ut a Deo non dimittantur, nisi rerum furto acquisitarum fiat restitutio: *non dimittitur peccatum, nisi restitatur ablatum*. De aliis peccatis facile obtineri videtur remissio; postquam enim perpetrata sunt, ut venia et remissio a Deo impetretur, requiritur solummodo, ut qui ea perpetravit, poenitentiam

agat. Non ita de furto, cujus ut obtineatur remissio, fieri debet restitutio, non solum rei ablatae, verum et damnorum ex ablatione ejus manantium. Et ratio est, quia non dimittitur peccatum nisi legitime disposito: nunquam autem ad absolutionem et veniam obtinendam dispositus accedit qui victus avaritia, non reddit vero domino, quod ipsis est, quum illud reddere valet. Qui aliena rapuerunt, vellent simul et veniam obtinere peccatorum, et ablata non restituere. Unde circumsolent, ut querant confessarium, qui rodentem intus conscientiam sopiat, et qui dicat eos ad restitutionem non teneri. Si hunc non inveniant confessarium, levibus rationibus, quas daemon et avaritia suggerunt, sibi suadere conantur, se ad restitutionem haud teneri. Faciant quod voluerint, remissionem peccatorum nunquam assequantur, qui aliena restituant, voluntate saltem et firmo proposito, si revera statim ea restituere non possint. Ecce quam grave sit aliena furari. Hoc adhuc gravius censetur, qui sciet, quod fures qui aliena abstulerunt, flammis aeternis addicentur, nisi ea restituant cum restituere possunt. Heu! si impii, qui Christum in pauperibus non paverunt, poterant, et vestierant, eum audient dicentem: *discedite a me maledicti in ignem aeternum*, quis dubitet, usurarios, iniquos divites, et alios fures qui Christum in pauperibus et pupillis spoliaverunt, eum audituros eadem verba proferentem et clamantem: *discedite a me maledicti in ignem aeternum?* Si dives Epulo, quia largitus non est elemosynam Lazaro, sepultus est in inferno, quis credat in eo non sepeliri fures et raptores, nisi eos criminum poenitent et ablata restituant? Carte ibi sepelientur fures et raptores. Et ideo propheta Habacuc bona inique acquisita vocat densum lutum, quod supra se fures aggravant: *vae ei, qui multiplicat non sua usquequo! et aggravat contra se densum lutum?* Haec bona inique ablata, efficiuntur quasi densum lutum, cui infinguntur fures, ex quo fere nunquam emergunt, quia nunquam restituere volunt: et ideo post mortem ad aeterna supplicia damnantur, et in inferno sepeliuntur. Non pigebit hic adducere terribile exemplum a Guillelmo Peraldo relatum de usurario quodam, qui cum ex-

trema ageret, adstanti pastori suum quidem non negavit peccatum; cum autem prudens pastor usurarum et furtorum gravitatem, necnon imminens damnationis periculum, in quo versabatur, ei objecit, ni ablata restitueret, ea restituere renuit. Accessere illi hortantes eum ut aliena restitueret, ne æternis inferni supplicii addiceretur. Quibus ille; ego restituere nequeo, quia si superbes forem, non esset quod ederem, mihi que ostiatim mendicandum esset. Si vero e vivis excaderem, ad xenodochium vobis confugiendum foret: nihil enim superesset, cum omnia fenore sint comparata. Cui responderunt illi; pater, ne de nobis sis sollicitus; tuæ solummodo prospice salutem. Ipse vero fædo avaritiæ spiritu semper concitatus, ait: tacete, potius standum ad Dei misericordiam, quam ad hominum voluntatem; illi enim inhumani et immisericordes sunt; Deus autem clementissimus. Sicque propositi tenax ex hoc mundo ad infernum migravit, ubi ab uno ex ejus filiis, qui statum religionis assumpserat, visus est horrendas flammis indesinenter evomens, et formidandos cruciatus perferens. Quod huic misero contigit, hoc et omnibus qui aliena abstulerunt, infallibiliter eveniet, si inique ablata non restituant. Hoc et eveniet filiis et heredibus, si illatæ injustitiæ sint conscii; hoc et accidit omnibus qui furum socii et furtorum participes extiterunt, nisi restituant id in quo aliis damnium intulerunt. Ex quo patet, quam grave sit aliena furari. Hoc sane grave et gravissimum est: ergo a furtis studioso abstinete. Ad quæ præcavenda quisque excitari debet, tum quia nihil turpius, quam aliena furari, furisque nomine notari: tum quia bona furto acquisita cito diffluunt, et veluti fluvius citissime transiunt, nec de illis gaudet tertius hæres: tum quia justo Dei judicio sæpe fit, ut qui aliena rapiunt, semper egestate premantur: *rapiunt non sua, et semper in egestate sunt* (Prov. 11). Ad furta autem vitanda quisque maxime moveri debet, quia furari est quid ita grave, ut qui aliena furantur, veniam obtinere et salvari nequeant, nisi ablata restituant. O miser, cum in mediis inferni ignibus cruciaberis, quid tibi proderit, pupillos et viduas spoliaste, multa usuris, aliisque viis iniquis

bona concervasse, plurimas villas comparasse, ac domos amplas et superbas ædificasse? Quid tibi tunc proderit, filios cum salutis tue jactura ditissimos reliquisse? Quid proderit, quod hæredes bonis tuis impingentur, delicientur, ac forte ad pessima crimina perpetranda utantur? Tunc dices: o utinam aliena nunquam abstulisset! o utinam propria pauperibus erogassem; aut saltem aliena restituissem! Fac nunc, quod tunc fecisse voles; aliena ne fureris, aut si aliqua furatus es, ea quam primum propriis dominis restitue, quia furari est quid grave; ac etiam quid periculosum.

III PARS.

Aliena furari est quid periculosum.

Usurarii, iniqui iudices, et alii multi hujusmodi fures sub fictæ et imaginariæ eujusdam justitiæ velo ita obtegunt facta, ut ob ea ad flagella, ad trirèmes, ad furcas vel ad alia quævis supplicia in hoc mundo damnari nequaquam timeant. Jamvero his et aliis omnibus furibus est, quod alterius mundi tormenta pertimescant: maximum enim vis inest æternæ damnationis periculum: aut quia furta sua nunquam debite confitentur; aut quia ea nunquam vere detestantur; aut quia pro his proximo nunquam perfecte satisfaciunt.

I. Adolescentes multi, exigui assueti furti, pudore quodam circumfusi, ea in confessione reticent, et ideo sensim ad graviora labuntur, quæ nec in confessione aperiunt, vel quia eos pudet; vel quia sibi suadere conantur, furta sua esse parvi momenti, Deumque esse misericordem, qui illis indulget, licet ea confessariis non fateantur. Afii nonnulli, qui usuris, aliisque viis iniquis aliena suffurantur, de his in confessione declarandis nec cogitant, quia supponunt justos esse titulos, quibus ea acquirunt. Mordeat, quantum voluerit, conscientia, intus stimulet et pungat quantum placuerit, nunquam tamen a prudente confessorio consilium petere, vel ei in confessione vias iniquas,

quibus bona temporalia acquirunt, aperire volunt, ut conscientie suae quieti, et propriae saluti consulant. Alii plurimi certo sciunt, se aliena rapuisse et inique abstulisse, tamen furta sua non confitentur, aut quia in iis perseverare volunt; aut quia timent, ne a confessario ad inique ablata restituenda cogantur. Alii sua confitentur furta, sed male. Etenim sic illa confessario explicant, callidisque et artificiosis rationibus sic velant, ut quae inique abstulerunt, juste accepta suadeant. Omnes autem praefati fures in evidentissimo damnationis versantur periculo, quia mortalium peccatorum confessio iure divino et ecclesiastico ad salutem necessario requiritur. Et ut definiuit Concilium Tridentinum, in confessione necessario aperienda sunt omnia mortalia, omnesque circumstantiae speciem mutantis, ita ut qui mortale aliquid voluntario in confessione reticent, sacrilegium perpetrent, nec salvari possint, nisi respiciant; et poenitentiam agant. Videte, et ex jam dictis intelligite, quam periculosum sit aliena furari. Hoc sane maxime periculosum; et qui aliena furantur, in evidenti versantur damnationis periculo; quia furta sua nunquam, aut raro debite confitentur: *ac etiam quia ea nunquam aut raro detestantur.*

2. Omni tempore ad obtinendam peccati remissionem necessaria fuit poenitentiae virtus, seu dolor et detestatio peccati. Nec quomodocumque veniam peccator impetrare potest; prius peccata sua detestari oportet et firmum emendationis propositum elicere: quia talis detestatio est de iure naturali. Dictat enim ratio naturalis, detestandum esse peccatum commissum contra Deum, ut a Deo venia et peccati remissio obtineatur. Unde etiam per absolutionem non remittitur, nec remitti potest peccatum, nisi praevio dolore ex parte poenitentis, et nisi poenitens illud detestatus fuerit, verumque propositum haberit minime illud iterandi. Haec est certa et verissima omnium theologorum doctrina. Jam heu! plerique eorum qui aliena furantur, nunquam vere sua detestantur peccata; nec unquam firmum et verum amplius non peccandi propositum eliciunt. Quis, quaeso, usurarius suas detestatur usuras? Vel potius, quis in contractibus usurariis conficiendis

non perseverat? Quis iudex, quis patronus, quis civis, vel alius quisque, qui viis iniquis temporalia acquirere conservit, sua detestatur peccata, et a viis suis pessimis desciscit? Quis fur ita sua detestatur furta, ut aliena non amplius furari firmissime statuat? Certe paucissimi sunt qui ea sic detestentur: et ideo *paucissimi*, qui criminum veniam obtineant, *paucissimi*, qui salventur, *paucissimi*, qui non damentur. Aliena ergo furari est periculosissimum; et qui aliena furantur, in evidentissimo versantur damnationis periculo, quia furta sua nunquam, aut raro detestantur; *ac propterea quia pro inique ablatiis nunquam, aut raro perfecte satisfaciunt.*

3. Totus mundus plenus est furibus, qui aliena clam vel palam auferunt, et vix aliquis reperitur, qui pro illato damno satisfaciatur. Ubi, quaeso, sunt qui ablata vere, perfecte et prompte restituant? *Alii* nec restituant, nec unquam restituere volunt; *alii* se restituere velle dicant, et tamen nunquam restitunt; *alii* in tempus futurum restitutionem amandant, quod restituendi tempus nunquam venit; *alii* ad haeredes restituendi onus transmittunt, isti vero ad alios; et sic ablatorum nunquam fit restitutio. Quid autem fiet de illis furibus, qui ablata non restitunt, et proximo non satisfaciunt? Hi haud dubie in eternam damnationem incurrent; et ideo periculosissimum est aliena furari. Quemdam litium procuratorem infirmum, qui de marsupio implendo magis quam de cuiusque iure tuendo curaverat, invisit eminentissimus Cardinalis Bellarminus. Cumque eum graviter egrotantem alloqui cepisset de preparatione ad mortem, respondit ille constanti animo, mente tranquilla, et quasi de itinere, quod ad villam vel ad oppidum iiturus esset, loqueretur, dicens: *ego, Domine cupioi alloqui te, non pro me, sed pro coniuge mea, et filiis meis; ego enim propero ad inferos, neque est, quod aliquid pro me agat (de art. ben. mor. 2).* Ecce quo proptere solent fures illi, qui aliena rapiunt, et detinent: quapropter abstineat a furtis, et qui *furabatur, jam non furetur.* Fur eras, qui usuris, iniquis contractibus, fraudibus, dolis et aliis modis injustis aliena abripias, jam noli furari; ablata propriis dominis restitue. Furtum est quid

commune, quid grave, quid periculosum; *si quid commune*, ab eo abstinendum, quia qui communem et latam viam tenent, in æternum peribunt: *si quid grave*, ab eo etiam abstinendum, quia omnia, et præsertim gravia peccata sunt vitanda; *si tandem furtum sit quid periculosum*, ab eo est declinandum, quia qui amat periculum, peribit in illo. Nolite ergo aliena furari; si quædam furto abstuleritis, propriis ea dominis restituite; ex propriis bonis pauperibus largas facite elemosynas, et Deus, qui benignus est et misericors, æterna vobis in cælo bona largietur. Amen.



DOMINICA DECIMA POST PENTECOSTEN.

DE BONIS OPERIBUS.

Dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam ab illo (Luc. 18, 14).

Nec desidiosis, nec otiosis, sed laborantibus et bonorum operum exercitio vacantibus paradusum Deus dare decrevit: paradusum enim est quidem finis omnibus hominibus propositus, verum per media idonea, seu per bona opera acquirendus. Ut æternam beatitudinem quis assequatur, non sufficit quod sanctis affluat cogitationibus, quodque piis ferveat desideriis: nisi enim his cogitationibus, iisque desideriis bona addantur opera, celestem gloriam nunquam obtinebit, quia unicuique Deus æternam dat mercedem juxta bona opera, quæ hac vita perfecit: *reddet unicuique secundum opera ejus* (Matt. 16, 27). O frater, si æternam adipisci velis beatitudinem, bonis indulge operibus, iisque ita incumbere, ut ad eam obtinendam tibi prosint. Ne imiteris Pharisæum, qui licet bona quædam opera egerit, iis tamen justificari et beari non meruit; imi-

tare Publicanum, qui per opera sua bona justificatus et æternam gloriam est promeritus; *descendit hic in domum suam justificatus ab illo*. Vos ad bona opera non instar Pharisæi, at instar Publicani peragenda tota hac concione adhortabor. Ave.

Pharisæus, de quo hodiernum loquitur Evangelium, jejunabat, decimas solvebat, aliæque bona faciebat opera: verum de bonis suis operibus gloriabatur, ea sibi soli arrogabat, eaque ad ostentationem, non ad Deum dirigebat. Vir ille iniqua inflatus superbia, de bonis gloriabatur operibus; et ideo ob bona sua opera aliis se præferebat hominibus, dicens: *non sum sicut cæteri hominum: raptores, injusti, adulteri* (Luc. 18, 11). Ipse etiam bona sua opera sibi arrogabat, eaque sibi tantum non Deo omnium bonorum antiori tribuebat, ajens: *jejuno his in sabbato: decimas do omnium quæ possideo*. Ille tandem, ad pravum finem, non ad Dei gloriam, sua opera dirigebat, et ideo per illa non justificabatur; *descendit hic in domum suam justificatus ab illo*. Superbo huic Pharisæo totaliter dissimilis fuit humilis Publicanus. Iste etenim de bonis suis operibus non gloriabatur, ea abscondebat, et ideo se peccatorem dicebat; *Deus propitius esto mihi peccatori*. Iste bona sua opera Deo soli tribuebat, et ideo nec oculos in cælum levare audebat, quasi ad omne bonum inhabilis esset; *a longe stans, nolebat nec oculos ad cælum levare*. Iste tandem secluso pravo quocumque fine, ad Dei gloriam bonum operabatur, et ideo justificari meruit; *descendit hic justificatus*. Non Pharisæum superbum, sed humilem Publicanum quisque imitari debet: nam, ut jam probabimus, bona opera 1. non sunt perverulganda, sed occultanda, 2. non sibi, sed Deo tribuenda, 3. non ad malum finem, sed ad Dei gloriam dirigenda et referenda. Bona nostra opera sunt occultanda, Deo tribuenda, et ad Deum referenda. En tres hujus concionis partes.

commune, quid grave, quid periculosum; *si quid commune*, ab eo abstinendum, quia qui communem et latam viam tenent, in æternum peribunt: *si quid grave*, ab eo etiam abstinendum, quia omnia, et præsertim gravia peccata sunt vitanda; *si tandem furtum sit quid periculosum*, ab eo est declinandum, quia qui amat periculum, peribit in illo. Nolite ergo aliena furari; si quædam furto abstuleritis, propriis ea dominis restituite; ex propriis bonis pauperibus largas facite elemosynas, et Deus, qui benignus est et misericors, æterna vobis in cælo bona largietur. Amen.



DOMINICA DECIMA POST PENTECOSTEN.

DE BONIS OPERIBUS.

Dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam ab illo (Luc. 18, 14).

Nec desidiosis, nec otiosis, sed laborantibus et bonorum operum exercitio vacantibus paradusum Deus dare decrevit: paradusum enim est quidem finis omnibus hominibus propositus, verum per media idonea, seu per bona opera acquirendus. Ut æternam beatitudinem quis assequatur, non sufficit quod sanctis affluat cogitationibus, quodque piis ferveat desideriis: nisi enim his cogitationibus, iisque desideriis bona addantur opera, celestem gloriam nunquam obtinebit, quia unicuique Deus æternam dat mercedem juxta bona opera, quæ hac vita perfecit: *reddet unicuique secundum opera ejus* (Matt. 16, 27). O frater, si æternam adipisci velis beatitudinem, bonis indulge operibus, iisque ita incumbere, ut ad eam obtinendam tibi prosint. Ne imiteris Pharisæum, qui licet bona quædam opera egerit, iis tamen justificari et beari non meruit; imi-

tare Publicanum, qui per opera sua bona justificatus et æternam gloriam est promeritus; *descendit hic in domum suam justificatus ab illo*. Vos ad bona opera non instar Pharisæi, at instar Publicani peragenda tota hac concione adhortabor. Ave.

Pharisæus, de quo hodiernum loquitur Evangelium, jejunabat, decimas solvebat, aliæque bona faciebat opera: verum de bonis suis operibus gloriabatur, ea sibi soli arrogabat, eaque ad ostentationem, non ad Deum dirigebat. Vir ille iniqua inflatus superbia, de bonis gloriabatur operibus; et ideo ob bona sua opera aliis se præferebat hominibus, dicens: *non sum sicut cæteri hominum: raptores, injusti, adulteri* (Luc. 18, 11). Ipse etiam bona sua opera sibi arrogabat, eaque sibi tantum non Deo omnium bonorum antiori tribuebat, ajens: *jejuno his in sabbato: decimas do omnium quæ possideo*. Ille tandem, ad pravum finem, non ad Dei gloriam, sua opera dirigebat, et ideo per illa non justificabatur; *descendit hic in domum suam justificatus ab illo*. Superbo huic Pharisæo totaliter dissimilis fuit humilis Publicanus. Iste etenim de bonis suis operibus non gloriabatur, ea abscondebat, et ideo se peccatorem dicebat; *Deus propitius esto mihi peccatori*. Iste bona sua opera Deo soli tribuebat, et ideo nec oculos in cælum levare audebat, quasi ad omne bonum inhabilis esset; *a longe stans, nolebat nec oculos ad cælum levare*. Iste tandem secluso pravo quocumque fine, ad Dei gloriam bonum operabatur, et ideo justificari meruit; *descendit hic justificatus*. Non Pharisæum superbum, sed humilem Publicanum quisque imitari debet: nam, ut jam probabimus, bona opera 1. non sunt perverulganda, sed occultanda, 2. non sibi, sed Deo tribuenda, 3. non ad malum finem, sed ad Dei gloriam dirigenda et referenda. Bona nostra opera sunt occultanda, Deo tribuenda, et ad Deum referenda. En tres hujus concionis partes.

I PARS.

Bona opera non sunt perulganda, sed occultanda.

Scribae et Pharisei facturi elemosynam tuba canebant, vel in vicis et Synagogis buccinatores premittebant, qui tuba caneret sub pretextu quidem monendi et colligendi pauperes ad erogandam eis elemosynam, rei autem veritate ad ostentationem et ut a concurrentibus liberalitas eorum videretur et celebraretur. Quem eorum morem non approbavit, imo acriter arguit Christus, dicens: *Cum ergo facis elemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritae faciunt in Synagogis et in vicis, ut honorificentur ab hominibus.* Tuba canebant Pharisei, ut elemosynas suas perulgarent; tuba canunt multi christiani, qui pharisaica inflati superbia, cum jejunant, orant, elemosynas erogant, aliisque bona opera peragunt, ea ab hominibus sciri curant, eaque perulgari satagunt, ut auram populi emendicent, utque ab hominibus iusti censeantur et dicantur. Qui si recte saperent, tuba non canerent, nec opera sua bona arroganter ostentarent, quin potius ea christiana humilitatis velo occultarent, seque serros inutiles, et ad omne bonum inhabiles aestimarent. Videte qualiter se habuerit admirandus Messie precursor, ad quem cum Judaei ab Hierosolymis sacerdotes et levitas mississent, ut interrogarent eum, et ab illo peterent, quis ille esset, *tu quis es?* (Joan. 1) non mox tuba cecinit, non statim dignitatem et merita sua prodidit, ut ab iis honoraretur. Quin contra, interrogatus, an esset Messias, Elias, vel alius quidam propheta a Deo missus, semper respondit, *non sum, non sum.* Homo superbus, ut perpendit sanctus Augustinus, ad sui laudem semper loquitur, semperque dicit, *ego sum, ego sum;* humilis Baptista Christi Judaeis semper respondet, *non sum, non sum.* Qui ab iis iterum rogatus ut manifestaret semetipsum, diceretque quis esset, *quid dicis de teipso?* respondere quidem, tuba canere, et in sui laudem dicere po-

tuisset, se esse Christi praecursorem, se esse angelum a Deo missum, prophetam, plus quam prophetam, eximium potentiae praeconeum, anachoretarum principem et hominem, quo nullus major unquam surrexerat. At humilis ille Christi praecursor non semetipsum praedicavit, virtutes et merita sua non perulgavit; quin contra labilem solummodo, et in momento evanescentem vocam se esse dixit, *ego vox.* Discite a sanctissimo Christi praecursore, superbe non sapere, merita et bona vestra opera non praedicare, eaque humili silentio, vel verbis christianam humilitatem redolentibus velare. Et hanc eandem praxim discite a Christo Domino, qui sicut humilitatem sectari crebro docet, ita bona opera vulgare et ad sui ostentationem facere prohibet. Cum facis elemosynam, inquit Salvator, fuge ostentationem, et quantum ad te attinet, secretum appetere, ne ab hominibus tua videatur et celebretur virtus; *te autem faciente elemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua, ut sit elemosyna tua in abscondito* (Matt. 6). Nec de sola elemosyna hoc docet Christus, verum et de omnibus bonis operibus, quas propalare ac palam ad ostentationem perficere vetat, dicens: *attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* Bona opera coram hominibus facere, non absolute et simpliciter prohibet Christus. Quin contra vult, nos palam peragere bona illa opera, quae ad statum nostrum spectant; ut nos ea facientes aliis hominibus virtutum exempla praebeamus, eosque ad Deum laudandum alliciamus. *Sic luceat lux vestra coram hominibus ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum.* Licet autem velit Christus, nos bona opera, quantum ad nos attinet coram hominibus facere, ut efficiamur iis in virtutis exemplum, non tamen vult nos bonum coram hominibus operari ad ostentationem, seu ut ab hominibus videamur et aestinemur: *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* Cujus rei rationem subdit dicens, eos qui opera sua bona perulgant, et coram hominibus faciunt, ut ab iis videantur, nullam a Deo mercedem accepturos: *alioquin mercedem non habebitis apud Patrem*

vestrum, qui in caelis est. Pollicetur Christus omnes penitus homines laborum et bonorum operum mercedem accepturos, licet vel unicum solum aquae frigidae scyphum pro ejus amore pauperibus erogaverint: *quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquae frigidae tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam* (Matth. 10). Esto quod aliquis toto vitae suae tempore jejuna-verit, omnia sua pauperibus distribuerit, ac portentosa mortificationis et penitentiae opera exploverit; si haec fecerit, ut ab hominibus laudaretur, atque ea ex ostentatione pervulgavit, nullam pro iis operibus in caelo mercedem percipiet, quia tota ostentationis, jactantiae et vanae gloriae merces est plausus et favor humanus; nec credendum, quod Deus in caelo remuneret opera, quae in terra homines ex ostentatione agunt, et pervulgant: hi certe mercedem non habebunt apud Deum: *mercedem non habebitis apud Patrem*. Luculenter dicebat S. Arsenius, quod *qui bona opera facit, ut student hominibus placere, similis est perpatio haurienti aquam, et in canalem perforatum perpetuo insudanti* (Ser. in ej. vita). Sicut enim aquam nunquam congregaret, qui eam in cribrum, vel canalem perforatum projiceret, ita nec operum suorum aliquam unquam colligeret mercedem, qui ea facit, ut ab hominibus videatur, vel qui illa ex ostentatione praedicat. Familiari alia et vulgata utar similitudine, gallinae scilicet. Sicut enim gallina posito ovo glaucitans, prodit ovum suum, et ideo illo spoliatur; ita et superbi qui virtutes suas canunt, et qui opera sua faciunt, ut ab hominibus videantur, eorum omnium fructum, praemium et mercedem perdunt. Ideo S. Basilus inanem gloriam vocat *dulcem bonorum operum spoliaticem*, quia scilicet, qui bona opera ob inanem gloriam praedicant, omni bonorum operum praemio et mercede spoliantur, Narrat S. Gregorius Turonensis de quadam conjugē, quae cum marito, servata utrimque virginitate, vixerat: quod cum ea mortua in sepulchrum deponeretur, et maritus diceret: *gratias ago Deo meo, quod et conjugem meam reddam impollutam*; ipsa de sepulchro vocem edidit, et clamavit: *sile, sile vir Dei, quia non est*

neesse nostrum, nemine interrogante, aperire secretum. Timebat sapientissima virgo pro conjugē, ne meritum perderet, dum illud pandebat. Hoc et timete vos: utque bonorum operum mercedem non perdati, nolite ea pandere et pervulgare: cum bona palam citis opera, quae palam faciendā sunt, ea ita perficite, ut non optetis ea ab hominibus videri et laudari; quin potius ea nesciri et hominibus ignota manere optate. Dum vero cavetur ne bona opera pervulgentur, *curandum quoque ut non sibi, sed Deo sunt tribuantur*.

II PARS.

Bona opera non sibi, sed Deo sunt tribuenda.

Quaeritur bonum quod operamur, a Deo et a nobis simul procedat, principaliter tamen est a Deo, qui omnia opera nostra operatur in nobis. Si movemur, Deus nos movet; si laboramus, ipse vires subministrat; si evigilamus, ipse nos excitat; si surgimus, ipse nos subleat, si currimus, ipse nos portat; *in ipso tandem vicimus, et movemur, et sumus* (Act. 17, 28). Et ut ait Isaias, ipse omnia opera operatus est in nobis; *omnia enim opera nostra operatus es in nobis*. Cur ergo de bonis operibus gloriabitur homo? cur gloriam eorum soli Deo non tribuet, dicens, *soli Deo honor et gloria?* Deus est primum movens, a quo moventur omnia, immobilisque manens dat cuncta moveri. Sine ejus, ut primi motoris, motu et concursu, creatura nec minimum quid agere valet, ita ut si suum Deus subtraheret concursum, oculus non videret, auris non audiret, non loqueretur lingua, intellectus non ratiocinaretur, nec homo aliquid opus quantumlibet parvum et exiguum facere posset. Quod potissimum verum est de operibus bonis et meritoriis: non enim cogitare, vel quodecumque aliud opus supernaturalē, meritorium, et gloria aeterna dignum perficere valemus sine Dei gratia, quae nos praeveniat, inspiret, illuminet, excitet, adjuvet, et nobiscum operetur; *non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis quasi*

ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est (2 Cor. 3, 5). Et ideo non nobis, sed Deo danda est honorum operum gloria, illique, ut primo et precipuo auctori omnia bona opera nostra tribuenda. Prædicabat, corpus suum castigabat, pro hominum salute strenne laborabat, multaque alia sancta opera peragebat D. Paulus: ex tamen soli Deo, ejusque gratiæ tribuebat, dicens: *gratia autem Dei sum id quod sum* (1 Cor. 15, 10). Quasi dicat, si sim humilis, si patiens, si Dei obsequio addictus, et bonis quibusque operibus intentus, hoc a Dei gratia habeo, sine qua nihil sum, nilque bonum et meritorium facere possum. O fratres, hoc idem sentite in vobis; firmiter credite, quod si in grave aliquod peccatum non incidieritis, si a statu peccati ad Deum conversi sitis, si Dei mandatis obtemperaveritis, si de inordinata et vehementi quadam passione triumphaveritis, si ad virtutem propensi, si bonis operibus sitis intenti, hoc a Dei gratia habeatis. Hæc quidem a Deo sunt et a vobis, plus autem a Deo quam a vobis; nec a vobis esse possent, si a Deo prius non essent. Et ideo sunt quasi totaliter a Deo, sine quo nullo modo essent: *omnis virtus, et magna, et parva a Domino Deo est* (Aug. de nat. boni. 12). Propterea bonum quod operamini Deo, ut primo et precipuo eorum auctori, tribuite. Si opera nostra bona considerentur ut a nobis sunt, prava sunt. Imo nihil sunt in ordine ad meritum, quia sine Dei gratia per nosmetipsos nihil bonum nilque meritorium facere valeamus: Dei gratia adiuti, opera bona, supernaturalia, meritoria et cælo digna perficimus. Hedera ita debilis et infucillius est, ut humi reperi solet; si autem muro vel arbori adhereat, sursum plurimum se attollit; sic opera nostra ex se et per se parvi sunt pretii, ac humi quasi repunt; verum per Dei gratiam fiunt bona, Deo placita, et cælo digna; a Deo enim magis quam a nobis habent, quod bona et meritoria sint. Illa ergo Deo, tamquam eorum auctori, tribuenda, ac quæcumque bona operamur, in spiritu humilitatis semper dicendum: *non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* (Ps. 113). Prohibet Deus, ne ad dexteram, vel ad sinistram declinemus: *non declinabitis neque ad*

dexteram, neque ad sinistram (Deut. 5). Ad sinistram declinant, qui in peccata labuntur; et ad dexteram declinant, qui bonum operantes illud tamen non Dei gratiæ, sed sibi tribuunt: *declinare ad dexteram est non Dei gratiæ, sed sibi tribuere velle quod rectum est* (Aug. q. 48 in Deut.). Ad sinistram quidem nullus declinare debet, ut mala opera, seu peccata faciat; verum ne ad dexteram quidem declinare ut bona faciens opera, ea sibi, non Deo, adscribat. Ad omne enim opus bonum, meritorium, et æterna gloria dignum perficiendum a Deo accipimus gratiam, a qua habet illud opus, quod sit supernaturale et meritorium; si autem a Deo habeat opera nostra, quod sint supernaturalia et meritoria, cur Deo, ut eorum auctori, non referimus, cur de iis gloriamur? *Quid habes quod non acceperis? Si autem acceperis, quid gloriaris quasi non acceperis?* (1 Cor. 4, 7). Deus est principale agens in bonis operibus nostris; ipse movet, excitat et allicit ad agendum, ipse opus nostrum ad esse supernaturalitatis elevat, datque ei quod habeat esse supernaturale et meritorium; ipse cooperatur, et manum quasi ducit agentibus, datque vires ad perficiendum; qua ergo fronte homo de sui gloriabitur operibus, quasi totaliter ab ipso sint? *numquid gloriabitur securis contra eum qui secat in ea? Aut cavabitur serra contra eum, a quo trahitur?* (Is. 10, 15). O homo, ne gloriaris adversus Deum; ipsi da gloriam, eique quasi precipio auctori opera tua tribue. Protestatus est Deus, se gloriam suam aliis non daturam; *gloriam meam alteri non dabo*: cave ne operum tuorum gloria tibi, non Deo tribuas. Gloria operum nostrorum anathema est Deo; ideo qui eam sibi tribuit, est quasi fur, qui non sine gravi sacrilegio eam Deo furatur: *fratres, inquit S. Bernardus, nemo vestrum velit laudari in vita ista, quia quidquid hic favoris captas, quod ad Deum non retuleris, ipsi furaris* (serm. 13 in Cant.).

O quot fures in mundo! Quot operum suorum gloriam Deo furantur, sibi quæ totaliter referunt, quasi non a Deo, sed ab ipsis solummodo fiant! Quam multi, sicut Achan, furantur de anathemate, seu de gloria suorum operum, quæ tota Deo

anathema (1) esse debet! Quot cum Pharisæo de propriis gloriantur operibus, quasi ab ipsis solis sint! Quot vano inflati arrogantiae et ostentationis fastu dicunt, non sum sicut cæteri hominum: jejuno his in sabbato, decimas de omnium quæ possideo, pauperibus multa singulis diebus distribuo, orationi mentali pluribus horis quotidie indulgeo? Superbi hujusmodi Pharisæi, qui vane in præsentem se exaltant, in posterum hæud dubie humiliabuntur; non enim operum suorum mercedem in caelo percipient, qui operum suorum gloriam Deo hæc furantur. Re quidam vera, ait S. Chrysostomus, quid a Deo accipient, qui nihil actionum suarum Deo dederunt, easque totaliter sibi arrogarunt: *quid enim a Deo accipies, qui nihil Deo dedisti?* (hom. 13 oper. imperf.). Hi sane nil a Deo accipere merentur. Itaque sicut castissimus Patriarcha Joseph heram suam domino reliquit illibatam (Gen. 39), ita nos totam et integram operum nostrorum gloriam Deo relinquamus et tribuamus. Quæ opera nostra non solum tribuenda Deo, ut eorum auctori, *etiam ad ejus gloriam sunt dirigenda et referenda.*

III PARS.

Bona opera non ad malum finem, sed ad Dei gloriam sunt dirigenda.

Actiones, quantumvis ex natura sua bonæ, ut jejunare, orare, meditationi vacare, largas pauperibus elemosynas erogare, peregrinis hospitio recipere et alia his similia, si fiant ex vana gloria vel alio pravo affectu, malus ille affectus et

(1) Anathema, vox græca, æ exprimator facta mora in penultima syllaba, sc. anathéma, idem est ac donarium Deo dicatum et suspensum in parietibus, vel columnis templi; sæpe etiam eodem vox usurpatur pro quocumque donario Deo sacro, etsi minime repositum vel suspensum in templo. Si vero pronuntietur anathema cum penultima brevi, significat detestationem, execra-

prava hæc intentio fit modicum fermentum, quod totam boni operis massam corrumpit, quodque tantam bonis operibus malitiam infundit, ut bonitatem suam amittant, bona esse desinant et ex bonis mala fiant. E contrario etiam omnia opera, cujusvis naturæ existant, modo ex se mala non sint, bona fiunt per rectam intentionem, prout ait D. Augustinus: *bonum opus intentio facit.* Quævis opera ex se indifferentia, ut ambulare, studere et laborare, imo et opera nobis cum brutis communia, ut comedere, bibere, dormire, audire, videre, ea bona, pretiosa et æternæ vitæ meritoria facit recta intentio. Quæ omnia mirabiliter explicat Christus Dominus, dicens: *si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus lucidum erit: si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit* (Math. 6). Oculi nomine intelligit intentionem; quæ si mala et nequam fuerit, totum boni operis corpus vitiat, malumque et tenebrosum reddit; si autem bona et recta fuerit intentio, totum boni operis corpus bonum efficit. In omnibus igitur in operibus vestris a prava omni præcavete intentione, eaque omnia ad bonum finem, seu ad Dei gloriam dirigite. Juxta Theologorum placitum, actiones specificantur ab objecto, seu a motivo et fine, quem sibi in operando proponit agens. Sic jejunare ad satisfaciendum pro peccatis est actus poenitentiae; jejunare ad vincendas carnis tentationes est actus castitatis; jejunare ad liberandas animas in purgatorio detentas est actus charitatis erga proximum; jejunare ex Dei amore est actus charitatis in Deum. Hi autem omnes fines, quos sibi proponere potest quis in operibus suis, boni sunt et utiles; ast præcipuus finis ad quem quisque suas dirigere debet actiones, est Dei amor, ejusque gloria; ita ut sive quis bibat, sive comedat, sive orat, sive jejunet, sive alia quævis bona opera faciat, ea semper ad Dei gloriam dirigat: *sicce ergo manducatis, sicce bibitis, sicce aliud*

tionem, quo sensu usurpatur ab Ecclesia, cum res gravissimum criminum, præsertim contra fidem, anathemate ferit, et a coetu fidelium omnino abscindit. Hinc patet male pronuntiare eos, qui *anathéma* longum dicunt, cum agitur de ecclesiastica censura. N. E.

quid facitis, omnia in gloriam Dei facite (1 Cor. 10, 31). Piissimus imperator Iovinianus in vita sua scopum, Christum, ejusque unius gloriam sibi præfixerat; ad Christi gloriam et honorem omnem belli apparatus, omnes vigilias, molestias, curas, omnesque actiones referebat, et ideo in symbolum hæc verba assumpserat: *scopus vite meæ Christus*. Hunc scopum sibi etiam præfigere solent viri pii: et nos in eundem scopum omnes orationes, jejunia cuncta, imo et omnes actiones, sive bonas, sive indifferentes collineare debemus. Non de his solummodo loquor, qui religioso cuidam ordini nomen dederunt, verum et de mercatoribus, causidicis, anſicis, iudicibus, plebeis et cunctis utriusque sexus personis, que in omnibus operibus Christum Dominum et gloriam æternam respicere debent, ac ea ad Christi gloriam et ad assequendam beatitudinem dirigere. Cardinalis Farnesius, qui postea papa Paulus III. fuit, pro stemmate sagittam ad scopum directam assumpserat, subjecto hoc lemmate: *sic mitto sagittam*. Scopus ad quem purpuratus ille Antistes sagittas, seu omnes actiones suas dirigebat, Christus erat, ad cujus gloriam omnia referebat: et hic scopus in quem sagittæ, seu omnes actiones nostræ sunt collinande. Ad hunc scopum studia, preces, lites, negotia, ac omnia penitus opera dirigenda; omniaque propter Dei gloriam et ad majorem Dei gloriam peragenda. Ad hunc unum scopum sagittas suas, nimirum cogitationes, verba et opera sua perfecte dirigebat sancta Magdalena de Pazzis, dicens: *si crederem, me uno solo verbo dicto ob alium finem, quam ob amorem Dei, etiamsi non esset ejus offensæ, posse evadere Scraphim, nunquam illud dicerem*. In eundem scopum S. Franciscus Salesius omnia opera perfectissime collimabat, ajens: *o quam bonum est non operari nisi propter Deum, non delectari nisi in Deo! Si vel pilum affectus in me deprehenderem, qui a Deo non oriretur, vel ad Deum non referretur, eum quanticus evellerem* (Introd. 4, 13). Ad eundem tandem scopum, seu ad Christum Dominum ita sagittas suas dirigebat sponsa sacra, ut cor ejus vulneraverit: *vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum* (Cant. 4). Bene

ait, *in uno oculorum*: quia quidquid faceret sponsa, unus erat ei oculus, una erat ei intentio, nempe sponsi sui gloria, ad quam omnes actiones suas dirigebat. Sic unus sit nobis oculus, una intentio, animæ scilicet salus et Dei gloria. O vos iudices, vos jurisperiti, vos patresfamilias, vos famuli et ancillæ, vos omnes qui sæcularibus ita implicamini negotiis, ut vix quolibet die aliquibus momentis orationi vacare valeatis, vestra saltem opera aurea intentione informate, easque omnia ad Dei gloriam dirigite. De malis operibus non loquor, que ad Deum dirigere minime licet; magna enim foret insolentia ad Deum referre mala opera, que illi displicent, queque reprobata, abjicit et severe punit. Illi offerenda sunt alia opera; nec solum vita nostra in communi ad eum est dirigenda, verum et in singulis actionibus respiciendus Deus, ac eorum quolibet divins ejus majestati est offerenda et ad ejus gloriam referenda. Navis quocumque naviget sive ad Orientem, sive ad Occidentem, sive ad Meridiem, sive ad Septentrionem, acus nautica polum semper respicit. Sic, inquit sanctus Franciscus Salesius, sive prospero, sive adverso pulsemur vento; sive in pace, sive in bello; sive odamus, sive bibamus, sive oremus, sive aliud quidpiam faciamus, semper polum, seu Deum nostrum respicere et omnia ad ejus gloriam agere debemus. Polum hunc continue respicere solent viri sancti; ad Deum actiones suas dirigere consueverunt omnes, et præcipue unus e priscis illis eremi cultoribus, qui priusquam quodcumque opus faciendum susciperet, paulisper subsistebat. Rogatus, cur ita? respondit: sagittarum fmitor; qui antequam sagittam suam vibret, prumper subsistit, ut directo oculo eam in scopum collimet: sic ego, inquit, priusquam operi me accingam, aliquantulum hæreo, ut ad Deum, qui omnium operum nostrorum finis et scopus est, illud dirigam. O utinam omnes homines bonis actionibus incumberent, easque omnes ad Dei gloriam, tamquam ad scopum et finem suum dirigent! At vero quot ab hoc scopu aberrant! Quot in omnibus suis operibus et negotiis aliud a Dei gloria intendunt! Patresfamilias magna sollicitudine filios scientiis imbunt, cur hoc? Ut eos ad sæculi dignitates evehant, suamque familiam amplificent.

Juvenes multi noctes insomnes traducunt, magnis expensis rem familiarem absumunt, muneribus munera addunt, ut quid hoc? Ut vili creaturæ placeant, ut ejuſdam nobilis puellæ gratiam et cor sibi concilient. Adolescentula ſingulis et maxime feſtis diebus, in ſpeculo vultum ſuum diu contemplantur; ante cryſtallum ſe pecit, criſpat, ornat; cur hoc? Ut juvenem, cui placere intendit, alliciat, decipiat, illequet. Quid intendit gulofus, niſi crapulam? Hoc ſolum cogitat, hoc curat, ut cibi palato ſapant. Quid intendit ebriofus, niſi optimo ſe ingurgitare vino? In lagenam ſuam collimat ſagittas et nonnunquam totam per hebdomadam deſudat, ut die dominica Baccho incenſa offerat et mero innatet. Quid avarus, niſi pecunias? Quid libidinoſus, niſi carnis voluptates? Quid ambitioſus, niſi dignitates ſæculi? Quid omnes peccatores, niſi vitiiſ ſuis indulgere ambiunt? O quam mala et perverſæ ſunt hujusmodi intentiones! Si ſapiatis, omni peccato valedicetis; et bonis operibus vacantes ea omnia non ad lucrum, non ad vanitatem, non ad placendum hominibus, verum ad Dei gloriam dirigetis. Si ſapiatis, oculi et intentiones veſtre ad Deum ſemper reſpicient; Deusque benigno vos inſpiciet oculo, voſque benefica manu coronabit in celo. Amen.

DOMINICA UNDECIMA POST PENTECOSTEN.

DE CHRISTI OPERIBUS.

Bene omnia fecit (Marc. 7, 37).

In quolibet hujus mundi regno extant quidam viri primarii et magnates, qui altiores poſt regem ſedes occupant, qui ad eminentiora obeunda aſſumuntur, et qui privilegiis multis potiuntur. Hi autem ad hanc ſuam magnitudinem ideo pervenere, vel

quia ex parentibus a rege dilectis geniti ſunt, vel quia ingenio et arte multa polleant ad gerenda regni negotia, vel quia res bellicæ eis proſpere ceſſit, vel quia plurimis divitiis primas dignitates emerunt. Ad has quidem ſæculi dignitates pervenire nequeunt omnes, quia non habent omnes, quo ad illas aſcendant. Ad primas autem regni coeleſtis dignitates evehi cuique facile eſt, cum ad illud regnum obtinendum operibus bonis ſolummodo vacandum ſit, et quo quis plura et meliora opera perfecerit, eo major in regno caelorum erit. *Qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno caelorum* (Matt. 5, 19). In hodierno autem Evangelio, ut primarium bonorum operum exemplar, nobis proponitur Chriſtus, qui *bene omnia fecit*. Quo magis divino huic exemplari conformes fuerimus, eo altiores in celo ſedes aſſequemur: ut igitur quiſque, quantum fas erit, exemplar illud imitari contendat, de Chriſti actionibus et operibus iſta erit concio. Ace.

Juſti in hac vita ſunt arbores bonæ, quæ bonorum operum fructus plurimos dare ſolent: attamen plerique, licet juſti, bonorum operum fructus producant tarde, per intervalla et cum aliqua imperfectione. Eos producant tarde, quia in primis vite ſuæ annis vel rationis uſu non polleant, vel bonis operibus enim ſtatim non accomodant; hos etiam fructus producant per intervalla, et non indies inſenter eo quod mentem bonis operibus ſemper intentam non habeant, nec habere poſſint; eos tandem producant cum aliqua imperfectione, quia licet aliqua interdum opera perfecta et omnibus numeris absoluta perficiant; tamen ſunt bona mixta malis, et nemo tam bonus, qui non aliquid mali faciat; nemo tam perfectus, qui non aliquando a lege deviet, vel ſaltem alicui in ſuis actionibus imperfectioni non ſuccumbat. Hoc ita fieri ſolet apud homines; de Chriſto aliter ſentendum; de illo, ſicut de aliis hominibus, dari nefas eſſet; ipſe enim opera bona et actiones bonas fecit prompte, indies inſenter et perfecte. Chriſtus actiones bonas fecit: 1. *prompte*, ſine ulla retardatione; 2. *indies inſenter*, ſine ulla intermiſſione; 3. *perfecte*, ſine ullo defectu.

I PARS.

Christus bona opera fecit prompte, sine ulla retardatione.

In primis vite nostrae diebus et annis anima nostra, tenebris ignorantiae involuta, in corpore quasi sepulta delitescit; Christi Salvatoris animas nulli unquam ignorantiae subjacuit. Ut enim ait D. Augustinus, *in infantilibus membris nostris anima rationalis miserabili ignorantia pregravatur; quam ignorantiam nullo modo fuisse crediderim in infante illo, in quo Verbum caro factum est, ut habitaret in nobis. Nec illam ipsius animi infirmitatem in Christo parvulo fuerim suspicatus, quam videmus in parvulis (de pecc. mer. et remis. 2, 29)*. Absit, ut credamus, aliquam fuisse ignorantiam in eo, in quo fieri absconditi omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei: non solum cum factus est vir magnitudinis perfectae et completae, verum et cum fuit infans unius diei, et in ipso conceptionis suae momento, ut ait S. Bernardus, *non minoris fuit sapientiae Jesus conceptus quam natus, parvus quam magnus*. Quod adhuc magis mirandum, non solum in primo conceptionis suae instanti Christus perfectam habuit cognitionem et scientiam, jam ex tunc operari et actus bonos elicere cepit: ex tunc enim aeterno Patri se se obtulit, ac propriis actibus mereri incepit. Sicut Christi intellectus nunquam fuit rationis usu privatus, ita et voluntas ejus nunquam fuit otiosa: Christus enim a primo conceptionis suae instanti, propriis actibus semetipsum Patri voluntarie et libenter obtulit, Christus, inquit D. Paulus, *ingrediens mundum*, seu a conceptionis suae momento Patri aeterno dicit: *hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi: holocaustomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: ecce venio* (ad Hebr. 10). Christus, inquam, in conceptione sua Patrem compellens, dixit: Pater mi, holocausta et victimae pecorum, quae tibi a mundi primordio oblata fuere, te

in homines iratum placare non valuerunt; jam corpus quod aptasti mihi, in hostiam vivam, sanctam et acceptabilem, tibi pro totius generis humani salute offero. Suius oblationem in futurum Christus non distulit; ab ipso conceptionis suae instanti se aeterno Patri obtulit; ac ex tunc opera bona et meritoria facere cepit, ut docent D. Thomas, D. Bonaventura et Doctor subtilis (1). Cujus rei ratio est, quia Christus in illo instanti habuit scientiam infusam, ut diximus; ac proinde potuit in eodem instanti liberam voluntatis suae actum elicere circa objecta illius scientiae. Itaque in hoc instanti per hanc scientiam agnoscens Deum ut bonum et beneficium, potuit illum ex charitate libere diligere; et similiter eadem scientia intelligens voluntatem Patris esse, ut ipse in mortem pro hominum salute se Patri offerret, potuit statim obedire et aeterno Patri se pro eorum salute offerre; potuit ergo Christus in illo instanti, aliquo ex his actibus mereri; ergo in illo instanti meruit. Haec ultima consequentia patet ex eo quod Christo Salvatori tribuendum sit id omne quod maxime conducit ad Dei gloriam et hominum salutem, statim ac potuit illud operari; si ergo in primo conceptionis suae instanti Christus mereri potuit, dicendum et quod pro tunc meruerit. Sicut in eodem instanti, quo sol cepit esse, cepit etiam illuminare, ita Christus, cum in primo conceptionis suae instanti haberit intellectum perfectissime illustratum, ac voluntatem paratam et omnibus numeris absolutam ad elicendum actum meritorium, nilque haberit quod eam a tali actu eliciendo retardaret, dicendum, quod talem actum elicerit. Nec mirum, quod illud de Christo asseramus; cum de bonis angelis plurimum sentiant theologi, quod a primo creationis suae instanti ad Deum se per proprios actus converterint, et per hanc sui ad Deum conversionem, gloriam aeternam meruerint. Si enim concedamus, angelos vel ab initio creationis suae meruisse, quanto magis id fatendum,

(1) Joannes Duns-Scotus, sic dictus a loco originis et. a Scotia, et Scoti nomine magis notus, ordinis S. Francisci, propter ingenii singulari acumen appellatur Doctor subtilis. N. E.

Christo, qui est rex et caput angelorum? Miramini Christum redemptorem, qui ingrediens mundum, et vix conceptus Patri se offert, actusque meritorios elicit. O quam prompte Christus bona opera operatus est! E contra quam tarde plerique hominum bonis operibus se accingunt! *Multi enim se mundo, vitis et deliciis millies offerunt, Deo nunquam! Multi Deo se consecrant sero ac deficiente etate; cum scilicet tædet eos vivere, vel cum a mundo despiciuntur et reliquuntur! Multi tandem ad Deum se convertere, illi se offerre et bonis operibus incumbere differunt de die in diem. O homo infelix, convertere ad Dominum Deum tuum; ne tardes converti ad Dominum, nec differas de die in diem; cito bonis operibus vaca, fac secundum exemplar quod tibi monstratum est; imitare Christum, qui sine ulla mora bonum opus operatus est; et quocumque facere potest manus tua, instantè operare* (Eccles. 9, 10). Præcepit Deus Judeis, ut fructum suorum primitias promptè ipsi offerrent: *primitias tuas non tardabis reddere*. Primitiæ hominis sunt primi rationis et voluntatis actus; tales primitias offer libenter Domino. Ne te geras instar impiorum, qui vitæ suæ primitias, totumque adolescentiæ et juvenutis tempus mundo, voluptati et vanitati dovovent; Deo autem aut nihil, aut solas malæ vitæ reliquias reservant. Ne illos imiteris; primo mane, seu promptè te totum Deo offer, bonisque operibus sedulo incumbere. Docet Angelicus Doctor, quod ubi primum rationis usum assecuti sunt homines, ad Deum per fidei et amoris actus se convertere debeant; quodque eo ipso, quo illustrantè rationis et fidei lumine, Deum noverunt ut creatorem, redemptorem et sanctificatorem, ipsum diligere, seque totos ipsi offerre et consecrare teneantur. Jamvero o cæcitatem et intolerandam hominum malitiam, qui non Deo se offerant, nec bonis operibus vacare curant; potius vitis et peccatis misere incumbunt. O fratres, discite bene agere; discite promptè et sine ulla mora honorum operum exercitiis referant vitam ducere, instar Christi, qui bona opera fecit *indesineenter sine ulla intermissione*.

II PARS.

Christus bona opera fecit indesineenter sine ulla intermissione.

Tanta hominum est inconstantia, ut vix reperiat unus, qui in bonis operibus perseveret; mox bene et mox male operantur, ac a bonis operibus ad mala facile declinant. Paucos reperire est, qui similes sint regio Vati, qui a Dei mandatis non declinant: *a iudiciis tui non declinavi* (Ps. 118). Plerique mutant mores sicut natura colores et a Dei mandatis sæpe declinant, ut pravis suis propensionibus indulgeant. Plerique, inquit S. Hilarius, similes sunt arundini; *quia ad omnem ventorum flatum, id est, ad immundorum spirituum flatum vagantur*. Cum fiat ventus Spiritus Sancti, aliquo tempore orant, jejunant, aliisque pietatis operibus vescant; si immundorum spirituum flatu pulsantur, relictis omnibus pietatis exercitiis, ad prava opera cito declinant. Eos etiam luna similes dixerim; *stultus ut luna mutatur*; luna modo est pulchra, modo pallida, interdum rubra et aliquando fusca; luna etiam semper crescit, vel decrescit et nunquam in eodem statu permanet. Sic plerique hominum ut luna mutantur; nunc enim orant et mox blasphemant; hodie jejunant et cras gula inserviunt; hodie pii, cras impij sunt; hodie totaliter Deo et cras totaliter demoni et peccato serviunt; tantaque laborant inconstantia, ut indesineenter a bono in malum, et a malo in bonum migrare soleant. Aliter se gessit Christus Dominus, qui ab instanti conceptionis bonis operibus vacavit, nec ab iis producendis unquam cessavit; indesineenter usque ad ultimum vitæ terminum actiones bonas absque ulla intermissione perfecit. Ad perfectionem enim Christi pertinuit, ut potentia ejus nunquam maneret otiosa, et ideo dicendum, quod semper operarentur, quodque cum ab unius virtutis actu Christus vacaret, ad alium statim trans-

iret. Sicut enim angeli nunquam traiseunt ab actu ad non actum, quia potentie eorum sunt semper in actu, ita Christus, qui illis similis fuit in operando, nunquam transitit ab actu virtutis ad non actum virtutis; semper et sine ulla intermissione, obedientie, patientie, humilitatis, charitatis, vel aliarum virtutum actus elicuit. Hisque actibus exercebatur etiam cum dormiebat, quia quiescente corpore, per scientiam infusam, que ex phantasmatibus non pendebat, intellectus ejus erat in perfecta vigilia, et voluntas ejus tali scientia illustrata amore Dei ardebat, et actus virtutis continue producebat. Et ideo de Christo dicitur, quod *pertransiit benefaciendo*; tota enim vita ejus fuit transitus, et ab ipsius conceptione usque mortem transitit semper et ubique bona opera faciendo. Unde dicunt theologi, quod Christus ab instanti conceptionis usque ad mortem continua et sine ulla intermissione sanctis suis actionibus meruerit. Quod verissimum esse patet, eo quod toto hoc tempore Christus nunquam ab opere vacavit, nullaque ejus actio mala vel indifferens fuit; omnes facte fuere cum plena deliberatione, et summa voluntatis libertate; omnes ad finem bonum, honestum et supernaturalem relate, omnesque tandem omnibus numeris absolutis et complete fuere, ac proinde talibus actionibus semper meruit. In hoc consentiunt Alensis, D. Thomas, D. Bonaventura, Doctor subtilis, et omnes theologi, et precipue doctissimus Isambertus, qui sic ratiocinatur.

Perfecta charitas postulat, ut quandoque intellectus hominis viatoris cognoscat objectum bonum et honestum bonitate et honestate supernaturali, tandem voluntas exerceat actus correspondentes tali cognitioni, ac proinde meritorios; atque charitas Christi viatoris fuit perfectissima, ut constat ex sacris literis; intellectus etiam ejus a primo sue creationis instanti usque ad vite finem habuit semper actum aliquem sue scientie infuse circa aliqua objecta supernaturalia, ergo et voluntas Christi a primo creationis sue instanti usque ad vite finem habuit semper aliquem actum meritorium, ac proinde Christus Dominus continuus actibus meritoris totam suam vitam peregit. Heu! quot actus meritorii in uno homine Christo? Quot etiam actus demeritorii in infi-

nitis hominibus, qui peccatum sicut aquam hauriunt? Heu! quot sunt, quorum multiplicatae sunt iniquitates et peccata? Christus meruit, et ipsi demerentur; Christus continuus virtutum actibus meruit ipsis gratiam et gloriam, et ipsi innumeris suis criminibus milies digni efficiuntur, qui ad tartara precipitentur. Contemplare ergo, o christiane, Christum actibus virtutum indesinenter vacantem, et rubore faciem tuam vela, quod hujusmodi actibus aut nunquam, aut rarissime incumbas. Interroga te de te, pete a teipso, quibus usibus totum vite tue tempus insumperis, et invenies forte, quod vel nihil agendo, vel alii agendo, vel male agendo major vite tue pars pertransierit: virtutibus autem, necnon iis que salutis tue sunt, rarissime et forte nunquam debite vacaveris. Perpende sedulo, quos patientie, charitatis, humilitatis, allarumque virtutum actus ab adolescentia elicueris, et forte nihil invenies in manibus tuis. Erubescere ergo, christiane, qui a Christo nomen habes, et qui Christi virtutes sectari renuis; erubescere, et si nomine et re christianus esse valis, imitare Christum, qui indesinenter bonis operibus vacavit, ac quantum fas erit, bonis operibus insiste. Scis, o christiane, quod in tremendo judicii die Christus reddet unicuique secundum opera ejus (Rom 2, 6). Si multa perpetraveris crimina, si plurimis tunc sceleribus gravatus inveniaris, reddet tibi secundum mala heec opera, teque aeternis suppliciis adjudicabit. Si bona opera studiosa perfeceris, teque tunc inveniat operibus meritoris predivitem, ad aeterna premia te vocabit, tibi que mercedem operibus tuis congruam dabit; Memento, quod ad caelestia regna Deus non vocabit peccatores, nec desides; sed operarios, qui bonis operibus accurate incubuerint; *ecce operarios, et redde illis mercedem* (Matth. 20). Si operarios iniquitatis fueris, si malis operibus incubueris, ac illa die criminibus inquinatus reperiaris, non beatitudo, imo horribiles cruciatus te manent in sempiternum. Si autem benefeceris, et in statu gratie tunc inveniaris, ad mercedem aeternam recipendam vocaberis; tantaque tibi dabitur merces, quot et quanta bona opera in hac vita feceris. Proinde quantum fas erit, bonis operibus vaca: quodcumque poterit manus tua instanter operare,

et imitare Christum Salvatorem, qui in hoc mundo bona opera fecit indesinenter sine ulla intermissione: *ac etiam perfecte sine ullo defectu.*

III PARS.

Christus bona opera fecit perfecte sine ullo defectu.

Hominum aliqui turpi indulgent otio et ab omni opere pleurumque vacant, quibus dicere possemus ut patrefamilias, o viri desidiosi, qui a Deo creati estis, ut indesinenter pro ejus gloria laboretis, *quid hic statis tota die otiosi?* (Matth. 20, 6). Alii non quidem otiosi manent, verumtamen quod pejus est, in vanum et in malum laborant, ac pravis operibus, nec non peccatis multis se dedunt, et hujusmodi a se repellit Deus, dicens: *discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem* (Ps. 6, 9). Alii tandem tepidi, inconstantes et fluctantes sunt inter bonum et malum, quia mox bonis et mox malis operibus incumbunt, Christus autem, qui exemplar erat a Deo nobis propositum, non otio vacavit: non etiam aliquid mali fecit, imo semper bonis operibus adhesit; ac ita perfecte complevit omnia et singula opera, ut nullus in eis defectus fuerit et esse potuerit, quia impossibile erat eum peccare et in via virtutis quomodocumque deficere. Receptissimum est in scholis hoc ex D. Dionysio sumptum axioma: *bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu*, vel, ut loquitur Doctor Angelicus, *bonum ex una integraque causa existit; malum autem ex singulis, singularibusque defectibus* (1, 2, 18, 4). Sicut ad perturbandam corporis sanitatem sufficit vel potus immoderate sumptus, vel cibus minus salubris ingestus, vel frigus insolitum, aut calor vehementior, cruditas in stomacho, unius nervi contractio, ossis unius contritio, vel minimus quisque alius defectus; ita ad hoc ut opus aliquod sit bonum et meritorium, fieri debet tempore et loco debitis, recta cum intentione, et numeris omnibus absolutam, qui requiruntur ad

opus bonum complendum. Unde si vel minimum quodque ex requisitis desit, non opus bonum, sed opus malum fit, quia *bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu*. In Christi autem operibus nullus fuit, nec esse potuit defectus; ejus omnia opera bona, integra et perfectissime facta fuere; *bene omnia fecit*. Deus nos omnes citharados esse voluit, voluitque ut eum lauderemus in cithara: *Confitemini Domino in cithara* (Ps. 32, 3). Si in cithara vel una fides rupta sit, omnis concentus tollitur, omnisque ars et industria frustra desodat. Sic si in virtutum praxi una chorda defuerit, si unicus in actu, aliunde bono, defectus extiterit, actus ille non est bonus, sed malus: *Quomodo cithara non emittit vocalem sonum atque compositum, si saltem una chorda rupta fuerit; sic si una virtutum chorda defuerit, non poterit melos dulce resonare* (S. Hier. in Is. c. 16).

Pharisæus ille, qui in templum oraturus ascenderat, multarum virtutum laude præclarus, non erat raptor, nec adulter; jejunabat, decimas solvobat, aliæque multa opera ex se bona perficiebat; quæ tamen non censebantur bona, sed mala, quia una chorda in ejus cithara deerat, nempe humilitas, ideo omnia inficiebantur ipsius opera tamquam ex affectu vanitatis peracta. Sic multos reperire est, qui bonis vacant operibus, in quibus tamen una corda deest. Orant flexis genibus et oculis ad crucem defixis; mens alio evagatur: ecce chordam quæ deest. Largas tempore opportuno pauperibus erogant elemosynas, easque ex propriis et non ex alienis effundunt; verum eas faciunt ut videantur ab hominibus: ecce chordam quæ deest. Jejunant et arcta abstinentia corpora cruciant; quod ex affectu avaritiæ agunt; ecce chordam quæ deest; ecce defectum unum, quo fit ut opera quæ ex se bona erant, mala evadant. At in Christi operibus nulla chorda deest, nullusque fuit, nec esse potuit defectus; ita perfecta extiterit omnia et singula ejus opera, ut impossibile fuerit in eis vel minimum defectum reperiri. Imo ita perfecte se habuit in suis actibus, ut quodlibet eorum fuerit pretii et valoris infiniti. In tremendo ultimi judicii die discutiet Deus universa hominum opera; *Interrogabit opera vestra et cogita-*

tiones scrutabitur (Sap. 6, 4). Heu! quot opera vana et inutilia; quot nullius pretii et valoris, quotve peccaminosa et mala ab hominibus perpetrata inveniat? Christi Salvatoris opera infiniti valoris, et pretii extitisse fatentur omnes Theologi. Nec de hoc ullatenus ambigendum; quia valor actionum crescit ex dignitate personarum operantis, cumque Christi personam fuerit infinita, omnes etiam ejus actiones valor infinitum attingunt. Et revera actiones Christi, ut loquitur S. Dionysius, fuerunt *theandricæ et Dei viriles*, id est actiones Hominis Dei. Proderunt ejus actiones simul a natura humana et a supposito divino; a natura humana illas elicente, et a supposito divino illas *deificante*, ut fatetur S. Gregorius Nazianzenus; cum ergo suppositum illud divinum seu persona divina Christi, que terminabat naturam operantem, fuerit infinite dignitatis, dicendum, quod omnes Christi actiones fuerint infiniti valoris. Quis ergo dubitare poterit de perfectione actionum ejus? Quis non fatetur, eas fuisse summa perfectas? Quis non deplorabit infirmitatem et malitiam hominum, que tanta est, ut omnia et singula eorum opera plurimis maculis et defectibus scateare soleant. *Facti sumus ut immundus omnes nos*, inquit Isaias propheta (64, 6), *et quasi pannus menstruate universæ justitiæ nostræ*. Nullus quidem diu in hoc mundo vivit, qui peccatis aliquando non inquinetur, et qui in aliquam immunditiam non declinet, fallunturque, qui nullo se peccato inquinari putant: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus* (1 Joan. 1, 8). Nolite errare, fratres, ac firmiter credite quod quantumvis sancti sitis, aliqua tamen in animabus vestris est immunditia: *facti sumus ut immundus nos*. Quod vero magis adhuc legendum est, bona etiam opera et virtutes nostræ plenas sunt immunditias et defectibus; *quasi pannus menstruate universæ justitiæ nostræ*. Jejunia quibus corpora nostra alligimus, orationes et preces, quas ad Deum fundimus, penitentia et mortificationes quas propter Deum assumimus, omniaque nostra opera bona maculis et defectibus referta sunt, ac sæpe coram Deo male et imperfecta sunt actiones, que in oculis nostris bonæ, sanctæ et perfectissimæ videntur. *Sæpe justitia nostræ ad*

examen divinæ justitiæ deducta, injustitia est, et sordet in distinctione justis iudicis, quod in oculis fulget operantis (S. Gregorius). Credis te penitentia Sacramentum debite recepisse, et Deus in hac tua actione aliquid mancum et inordinatum forte inveniet. Arbitraris, te debita cum dispositione ad sacram Synaxim accessisse, et forte Deus te in aliquo deliquisse iudicabit. Humilitatis, patientie, caritatis et aliarum virtutum actus quos elucisti, perfectos et æterna mercede dignos censes, et Deus in iis forte aliquid purgatorii flammis luendum reperiet. Igitur sedulo discutienda, et quantum fas erit, perfecte peragenda sunt opera nostra instar Christi, cujus omnia opera perfecta et sine ullo defectu extitere. Operamini ergo bonum prompte, indesinenter et perfecte sicut Christus; et operibus vestris debitam in celo mercedem percipietis. Amen.

DOMINICA DUODECIMA POST PENTECOSTEN.

DE HOMINIS IN DEUM AMORE.

Diliges Dominum Deum tuum (Luc. 10).

Attendite, fratres charissimi, attendite et videte, qualia præcepta nobis injungit Deus noster, non aspera et difficilia, non gravia et importabilia: non quidem jugulare filios, ut olim crudelissimi demones idolorum cultoribus præcipiebant; non laceras carnes verberibus; non pedibus nudis super ferreos tribulos ambulare. Quid? *Diliges*, inquit, *Dominum Deum tuum*. Nil aliud petit, nihil aliud imponit, nihil aliud a nobis requirit; solum amorem flagitat, hoc solo pro tot nobis impensis beneficiis et donis, contentus est. Nil facilius, quam Deo dare, quod a nobis exigit, nil suavius, nil optabilius, quam illum amare; verumtamen nihil mihi difficilius videtur, quam de

hoc hominis in Deum amore debite loqui; hæc me terret materia, ac totus pertimesco, cum de sancto hoc amore sermonem instituire cogito. Eoquidem de eo disserere nunc conscientia dicit, charitas suggerit, Spiritus Sanctus ingerit, et hodiernum Evangelium invitat. Quia tamen *indigne de amore loquitur, qui non amat* (S. Bern.), cum sancto hoc amore non ardeat cor meum, de eo concionem habere pertimesco, et timerem magis, si Spiritum Sanctum corda vestra ad verba mea debite recipienda paratum non sperarem. Spiritus ille amoris dabit mihi, ut de Dei amore dicam, nostrumque omnium corda sancto hoc amore accendat, si debite ejus auxilium imploraverimus, intercedente pulchre dilectionis Matre. *Aoe.*

Nemo ita obdurus, ita ferreus et inhumanus nemo, qui suos ad cœlum aliquando non elevet oculos, quique aliquem amoris divini actum non eliciat. Hi vero sic exiles et imperfecti esse solent hominum in Deum affectus, ut vere cum Seraphico Francisco dici possit, Deum ab hominibus non amari sicut oportet: *amor non amatur*. Deum quidem amant multi, ac tanta cum tepiditate et in gradu ita remisso, ut nec frigidi, nec calidi sint. Alii amant Deum, non illum solum diligunt: cum illo etenim amant mundum, commoda sua, sæculique voluptates. Deum tandem amant alii interdum solum et per intervalla; nunquæ illum amant, et nunc in illum peccant, eique injuriam irrogant. O quam imperfecti hujusmodi omnes amores! Non sic Deus ab hominibus amandus; ab iis enim optat amari *ardenter*, et non remisse; *unice* et non simul cum aliis; *semper* et non per intervalla. Deus amandus 1. *ardenter*, sine modo et remissione; 2. *unice*, sine socio et consorte; 3. *semper*, sine termino et fine. Deus amandus est *ardenter, unice et semper*: en tres hujus concionis partes.

I PARS.

Deus est ardentè amandus.

Voluntas fertur in objectum bonum vere, vel apparenter; et quo magis bonitas in objecto elucet, eo ardentius a voluntate appetitur et amatur. Deus autem, ut omnes fatentur, est summum bonum, ideo ardentissimè amore prosequendus, et si amore infinito, ac in infinitum accenso diligere possemus, eum infinite amare deberemus. Amas personam aliquam, quia ipsam amabilem et tuo amore dignam judicas, tantoque majore cor tuum ardet amore, quanto eam amabiliorem et tuo amore digniorem censes. Considera autem, quis sit Deus? Quam magnus? Quam bonus? Quam justus? Quam infinite perfectus in omni genere perfectionis? Attende, quis amore dignior, quam Deus? Nullus sane; merito diligendus plus quam pater, plus quam mater, plus quam omnes creature, cum omnibus creaturis sit longe perfectior. Imò et in infinitum amandus esset, si fieri posset, quia infinite perfectus est: *quia ejus excellentia infinita; infinito etiam amore dignissima est* (S. Th. de Vill. serm. de S. Magd.). Creaturas diligimus eo quod in iis aliquid perfectionis perspiciamus, quo ad illas amandas allicimur. Aliquos enim diligimus, quia scientia, alios, quia pulchritudine, alios, quia ingenio, mansuetudine, vel altera quadam perfectione polleant. Dic' mihi jam, obsecro, quid in creaturis tibi placere potest, quod in Deo tuo non reperias? Si delectat te sapientia, sapientissimus est; si potentia, omnipotens est; si pulchritudo, *candor est lucis æternæ et speculum sine macula* (Sap. 7); si divitiæ, et gloria, *gloria et divitiæ in domo ejus* (Ps. 111); si dilectatio et vita, *delectationes in dextera ejus usque in finem; et vita in voluntate ejus* (Ps. 29): ardentissime ergo et infinite, si fieri posset amandus Deus, cum in eo omnes omnino perfectiones unitæ inveniantur et omnes omnino perfectiones in gradu infinito possideant: est enim infinite bonus, infinite sapiens, infinite

justus, et in omni perfectionis genere infinite perfectus: *Deus, sicut æternus, ita et perfectus in omnibus* (Tert. adv. Marc. 1, 24). Deus sano ardentè amandus propter infinitas perfectiones quas possidet, sed et ardentè amandus, quia ipse amat nos, et quia ipse prior dilexit nos: *nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos* (1 Joan. 4, 19). Dilexit nos Deus ab æterno, et antequam mundus creatus esset, quia ab æterno statim omnia nobis bona tribuere, quæ in tempore ab illo recipimus. Dilexit nos Deus, et semper nos diligit amore infinito ex parte actus; cum eodem actu nos diligit, quo diligit seipsum, et quo producit Spiritum Sanctum. Ut autem magis pateat, quam ardentè nos diligit, suum in nos amorem beneficiis maximis, quibus nos cumulât, manifestat et probat. O homo, nonne ipse est qui fecit te, et creavit te? Nonne ex innumeris creaturis possibilibus quas creare poterat, relictis aliis multis, te ex nihilo suscitavit? Nonne tibi dedit intellectum, voluntatem, et alias potentias internas, quibus supra omnes corporeas creaturas emines? Nonne oculos ad videndum, aures ad audiendum, os ad loquendum, manus ad operandum, et pedes ad incedendum tibi contulit? Dic, quæso, quid habes, quod non accepisti? Nihil utique; omnia enim quæ habes, a Deo habes. Quia ratione, qua causa, quo tuo merito illa quæ habes, a Deo obtinuisti? Nullo sane; creavit enim te non propter tua merita, verum quia sic ei placuit, et quia tibi bene facere voluit. O magnum Dei in te amorem? Ad hæc nunquid in hoc solum Deus dilexit te, quia creavit te? Hic certe non hæsit amor ejus in te; multoque amplius te dilexit, cum te perditum, et per peccatum ad nihilum redactum redimere dignatus est. Non Angelum, non Cherubim, non Seraphim, non Thronum, aut Virtutem aliquam misit: ipsemet in mundum venit, humanam carnem assumpsit, dirissima supplicia, et ipsam mortem pertulit, ut te redimeret. O ardentissimum Dei in te amorem; o admirabilem charitatis ardorem. Dic jam, o Christiane, dic, obsecro, debeas amorem huic amori? Tenerisne diligere eum, qui sic prior dilexit te: Nonne redamare debes sic amantem te? Nonne ardentissimum ejus in te amorem ardentissimo tuo amore persolvere debes? Si habens apud te

Æthiopen famulum emptitium et captivum, qui diligit te, tu diligis eum, et ni sis totaliter ferreus et inhumanus, bene erga eum te geris. Quod si quispiam amicus dixerit tibi, cur non dedignaris *Æthiopen* famulum diligere? respondes; diligo eum, quia me diligit, et quia hoc et illud pro me facit. *Heu!* inquit S. Thomas a Villanova, *heu! dic, obsecro; dic, Christiane, amas Æthiopen, et multum amas, et juste amas, quia ipse amat te et amat te; Deus tuus, amore tuo ardet, magno tui amore fecit te, et creavit te, ac pro tuo amore passus et mortuus est, et tu eum non redamabis? Quod scelus isto majus? Que ingratitude pestilentior? Sed dic adhuc, obsecro, si captivus ille Æthiops pro tui redemptione flagellatus, alapis cæcus, sudore sanguineo perfusus, felle potatus, et clavis afflatus esset; si deformis ille Æthiops ea quæ pro te Dei Filius passus est, ut te de morte redimeret, sustinisset; sine dubio eum ut liberatorem tuum ardentissime diligeres, eumque quasi Deum venereris: cur ergo non facis pro Deo tuo, quod pro nigro et despiciabili illo Æthiopo faceres? Cur non ardentissime amabis Deum tuum, qui prior dilexit te: qui fecit et creavit te, quique ut te redimeret, dirissima pati, et crudelissimam mortem obire dignatus est* (Serm. de S. Mogd.). Ama et ardentè ama Deum tuum: quia prior ipse te dilexit, et maximis te beneficiis affect. Quod si infinitæ perfectiones, quas Deus possidet, et innumera pietatis et amoris beneficia quæ tibi impendit, ad eum ardentè amandum te non moveant, moveat te saltem promissa felicitatis gloria, quam suis dilectoribus repromisit Deus. *Diliges*, inquit *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis* (Luc. 10). Ne autem credas amorem tuum sine mercede futurum, statim subdit, quod si eum sic dilexeris, vitam æternam tibi dabit: *hoc fac, et vires*. Quid facilius, quam amare? Quid gloriosius, quam regnare? Deum ergo ardentè ama, et regnabis, et in cælo æternum regnabis. O Christiane, tuum Deo ne deneges amorem; Deum ardentè ama, propter infinitas perfectiones quas possidet, propter innumera quæ tibi impendit beneficia, et propter æterna

præmia quæ tibi promittit. Ama Deum tuum, et ex toto corde dic ei: o Domine, non sum dignus qui amem te; at quia tantopere me amas, et a me amari desideras, te majori quo potero affectu imposterum diligam. Poneat me, quod te tam segniter toto vitæ meæ tempore amaverim; jam omnibus vitæ meæ diebus, quam ardentissime potero, te diligam. Deus non solum ardentem, sed et unice amandum.

II PARS.

Deus est unice amandus.

Dei amore ita flagrare debet homo, ut nihil prorsus in aliquam animæ suæ facultatem irrepere sinat, quod suam erga Deum dilectionem excludat, aut minuat: cum autem amorem suum alio transfert, suum erga Deum amorem semper excludit, aut saltem minuit. Si amat rem illicitam, ex tunc Deum non amat, et ejus amorem a corde suo excludit, quia in eodem corde remanere nequeunt amor Dei et amor rei illicitæ. Si autem simul cum Deo aliquid aliud non ex se malum diligit, tunc Deum minus diligit, si saltem illud propter Deum non amat: *minus, Domine, te amat, qui aliud tecum amat, quod propter te non amat* (S. Aug., Conf. 10., 20). Non ergo bona temporalia quæ transeunt, non vanitates quæ non proderunt vobis, non fallacia et inania sæculi labentis bona quæ ad interitum trahunt; Deum solum unice diligit. Non unice dumtaxat cordis parte Deus ab hominibus diligi vult, verum ex toto corde. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* (Luc. 10). Vis cum Deo et auribus diligere? Deum non ex toto corde, sed ex parte cordis diligis. Simul cum Deo vis et mundum amare, tuumque amorem partim Deo, partim mundo dare? Ex tunc Deum non ex toto corde, tantum ex parte cordis amas. Quotiescumque tandem aliud cum Deo amare vis, Deum ex toto corde non amas: quia ex tunc cor tuum divitis inter Deum et illud aliud, quod amore prosequeris, ut ait S. Gre-

gorius; *si in aliquo amor cordis tui fuerit occupatus, jam ex toto corde Deum non amas* (Mor. 22, 6). Ut ergo ames Deum ex toto corde, utque amoris præceptum perfecte impleas, ama eum unice, ama eum solum; nec aliquid aliud ames, quod propter Deum non ames, et cujus amor ad Deum non terminetur. Deus non vult corda divisa, quæ simul cum ipso aliud diligant, et ideo cum amoris legem hominibus dedit, dixit: *diliges Dominum tuum ex toto corde tuo*. In quæ verba S. Basilus ait: *cum ex toto dicit, divisionem nullam admittit; unde qui amicus Dei perfectus est, ei totam animam tribuit* (hom. 11 in Ps. 44). O frater, cor tuum dividis, cum simul cum Deo mundum, carnis voluptates, et alia illicita diligis; hujusmodi divisiones Deus non admittit; vult enim, ut ei præbeas totum cor tuum, atque cum ita ex toto corde diligas, quod nihil aliud præter eum diligas, quod saltem propter eum non diligas. Uniuicuique nostrum est cor unum, quod Deus et dæmon possidere ambiunt: Deus illud ab unoquoque postulat, dicens: *Fili, probe mihi cor tuum*. Non partem solum, sed totum cor petit, ac præcipit uniuicuique, ut totum ipsi cor tribuat: *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Diabolus etiam ad hominis cujusque cor obtinendum anhelat, illudque cor, Deo toties debitum, rapere conatur. Cor autem hominis non potest simul esse Deo et diabolo; Deum et diabolum simul capere non potest, *suscepto diabolo per peccatum, Deus exiit; suscepto Deo per charitatem, diabolus exiit* (Lir. in c. 6. Matth.). Uni aut alteri totum cor necessario tribuendum est. Dicit tibi forte dæmon, sicut pessima illa mulier, *dividatur, dividatur*: da partem cordis Deo, partem da carnis illecebris, et partem sæculi vanitatibus; Deus autem divisiones hujusmodi rejicit; corda divisa non admittit; pati nequit, ut simul cum ipso aliud sibi contrariam diligatur; totum cor vult, aut nihil: toto corde diligi vult, desiderat et imperat: ideo dilige eum toto corde, seu unice et sine ulla divisione. Sponsa sacra Sponsi sui amore languebat; *amore langueo*. Ita ejus amore flagrabat, ut ipsum solum amaret, nilque ei saperet præter sponsum: *urum anam, unum diligit, unum sitit; nihil dulcescit, nihil sapit, nisi hoc condiatum amore* (Rich. a S. Viet.

de gr. Char.) O Christiane, anima tua est sponsa Christi, quæ indesinerenter ejus solius amore ardere debet. Una sponsa unum tantum sponsum habet; una etiam anima, quæ Christi sponsa est, unicum sponsum suum admittere, amare et venerari debet; nec Deus alios sponso ab animabus nostris admitti patitur. Nonne scitis, Deum in sacra Scriptura cum homine zelotypo conferrî ac zelotem vocari; *Dominus zelotes nomen ejus?* (Ex. 34, 14). Sicut maritus, zelotypia laborans, pati nequit, ut sponsa suum alio transferat amorem; sic Deus, quasi zelotypia laborans, ita animam nostram amat, ut solus ab illa amari velit, nec pati possit, quod illa ad mundum et ad terrena suum quemodocumque detorqueat amorem: *solus cult Dominus amari; et ut solus Dominus est, sic totos nos exigit esse suos* (Lyppom. in cap. 17 Gen.). Ama ergo Deum tuum, ama illum solum, illumque ut animæ tuæ sponsum unice dilige. Velles, inquit D. Augustinus, simul Deum et mundum diligere? Verum sicut idem oculus cælum et terram simul aspicere non potest, ita et idem cor Deum et mundum simul amare nequit, nec Dei et mundi amor in eadem corde habitare possunt: *si mundi amor habitet, non est qua intret amor Dei*. Itaque, ut subdit idem Augustinus, mundi, omniumque terrenorum amorem procul pelle, ut Deum solum unice diligas: *recedat amor mundi, habitet amor Dei*. Si cognosceremus, quanta sit Dei majestas, quam incomprehensibilis ejus sapientia, quam admirabilis pulchritudo, et quam infinita bonitas; mox, spreto terrenis omnibus, eum solum unice diligeremus; non enim cognosci potest, quin statim ametur: *impossibile est ut non amet te, qui vere cognoscit te* (S. Tho. a Vill. ib.). Si cognosceres, quam suavis est Dominus, profecto terrenas et degeneres omnis carnis voluptates sperneres et odio haberes, ut soli Deo adhaereres. Si nosses, quam magnus est Dominus, omnem sæculi magnitudinem pro nihilo haberes, Deumque solum æstimares et diligeres. Si vel tenuissimus pulchritudinis divinæ radius menti tuæ illaberetur, raperet statim ad Deum animam tuam, eamque totam ardore dilectionis ejus inflammaret et accenderet: non enim cognosci potest Deus, quin statim ametur et unice diligatur. O utinam

omnes penitus homines Dei cognitioni acquirenda sedulo incumberebant; si namque Deum perfecte cognoscerent, eum et unice amarent. Plerique oculos claudunt ne videant cælum, Deique magnalia cognoscere nolunt. *Plerique, inquit S. Thomas a Villanova, statuerunt, mentisque proposito et prævia longa deliberatione decreverunt, non Dei, sed creaturarum cognitioni comparando vacare. Plerique dixerunt Deo: recede a nobis, scientiam viarum tuarum nonlubus; sed post desideria nostra curremus, et voluntates nostras perficemus* (in Job. 21). O miseri! si quod adhuc in vobis pietatis vestigium, si quæ salutis vestræ sollicitudo, nolite abire post vanitates, quæ nihil vobis proderunt; coelestibus intendite; perpetuis inhiate; sursum oculos mentis tollite, ut intelligatis, quam magnus est Dominus. Dei perfectionibus investigandis summo affectu vacate, ut illum unice ametis: qui enim Deum perfecte cognoscit, eum unice diligit, *eumque etiam semper diligit*.

III PARS.

Deus est semper amandus.

Antequam nati essemus, et ante mundi creationem dilexit nos Deus: ejusque in nos amor, æternus est: *in charitate perpetua dilexi te* (Jer. 31, 3). Sicut ab æterno Deus amat seipsum, ita et ab æterno eodem actu sibi essentiali amat omnes homines, quia ab æterno eos creavit, etque plurima bona largiri decrevit. Non solum ab æterno et ante omnia sæcula dilexit nos Deus, sed et diligit nos semper; nec unicum inveniri potest vitæ nostræ instans, in quo amoris sui nobis testimonia non exhibeat. Nil odit Deus eorum quæ fecit: *nil odisti eorum quæ fecisti* (Sap. 11, 25); neque solum non odit nos, verum et positive diligit nos, quamdiu in hoc mundo vivimus. Nonne ipse continue nos conservat et protegit, ita ut in momento ad nihilum redigeremur, si suum nobis concursum et auxilium denegaret? Nonne semper *in ipso vicinus,*

*et movemur, et sumus? Nonne toto vitæ nostræ tempore Angelum ad nostram custodiam legat? Nonne usque ad ultimum vitæ exitum auxiliis ad salutem necessariis nos fovet? Hæc quidem, et alia multa continue ob nostri amorem operatur. Sicut ergo ille nos semper amat, et ita nos illum semper amare debemus, debetque sacro amoris divini igne cor nostrum continue ardere; ita ut, quantum fas erit, quisque continue amoris Dei actus eliciat, omniaque ob ejus amorem operetur; argo saltem nihil agat, quod charitati et Dei amori sit contrarium. In veteri Testamento varia diversis temporibus Deus sibi sacrificari voluit: tempore Paschatis, Agnum; post cujuslibet mulieris partum, turtures aut columbas; ignem vero in altari sibi semper offerri postulavit: *ignis autem in altari semper ardebit* (Lev. 6). Veteris Testamenti altaria jandiū diruta sunt; sacer ille ignis hæc amplius in iis nutritur; jam nova nobis eriguntur altaria, novusque in iis ignis semper nutriendus; cujusque enim cor est altare, quod Deo totaliter dicatum sit oportet et in quo semper nutriendus ignis amoris divini: *altare Dei est cor nostrum, in quo jubetur ignis semper ardere, quia necesse est ex illo ad Dominum charitatis flammam indesinenter accendere* (S. Greg. Mor. 21, 7). Cor divi Pauli vero erat altare, in quo sacer hic semper ardebat ignis, nec quidquam erat, quod in eo perpetuam hanc charitatis flammam extinguere valeret. *Certus sum, inquit, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei* (Ro. 8, 38). O mirandum Dei amatorem, qui Deum semper amat, nec ab ejus amore separari potest. A Dei etiam amore nequaquam avelli potuere martyres: occidi potuerunt; a Christi charitate separari minime potuerunt; Deum amore constanti, forti et perpetuo ita dilexerunt, ut quantumvis gravia et acerba patenterentur, ad graviora et acerbiora perferenda semper parati forent. Carceres; ignes, flagella, cruces, alia quævis supplicia non formidabant; ac quo magis torquebantur, eo ardentius Dei amore flagrabant; *seviat tyrannus*, inquit S. Thomas*

a Villanova, *flagret rogos, armetur equuleus, acuat gladius, bestia ad devorandum frendeat, afferatur ungula crucians, plumbata strideant, faeces accendantur, pix et resina liquentur et quidquid terribile excogitare potuit judicis impij diræ crudelitas ad tormentorum cuneum præparetur, superat omnia potissima vis amoris, nulli cedit tormento, nulli subicitur detrimento, nulli obsequitur damno; sed magis ardens pectore beato caminus amoris, veluti aqua tribulationis injecta, dum extingui putatur, fortius ardet; dum magis comprimitur, flagrat uberioris* (serm. in Dom. 17 p. Pent.). O vere beatissimos martyres! O vere felicissimos milites! O constantissimos Dei amatores! quorum ita fortis et constans in Deum amor extitit, ut nullis suppliciis ab eo avelli potuerint: ac semper magis et magis in eis Dei amor creverit. Mirabilia quidem constantis amoris exempla in Paulo et in sanctis martyribus habemus: at in Christo, martyrum principe, quid in hoc genere mirabilius agnoscere quisque potest. Ille qui in hunc mundum venerat, ut sacrum amoris divini ignem mitteret super terram, divino hoc igne supra modum accensus erat; in corde ejus semper sacer hic ignis ardebat, nec unicum vitæ ejus instans exitiis, in quo aliquem amoris actum non eliceret. Imo magna et ardua indesinenter operabatur, ut omnibus notum faceret, se continue amoris divini igne ardere: *ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem* (Jo. 14, 31). O mirandum amoris divini exemplum! quo ad Deum indesinenter et semper amandum allici quisque debet. Si D. Pauli, Martyrum et aliorum Sanctorum exempla ad continuum Dei amorem hos non urgeant, urgeat saltem nos Christi exemplum: *charitas Christi urget nos* (2 Cor. 5, 14). Amemus Deum constanter et semper, sicut Christus. Quod si amoris divini actus continue elicere non valeamus, amemus saltem Deum semper; ita ut semper in nobis remaneat habitus charitatis, nec unquam a Dei amore per mortale aliquod peccatum separemur. Scio, multos reperiri, qui firmiter protestantur, se nunquam a Dei amore separandos; qui tamen sæpe a suo proposito deficient, et a Dei amore declinant, ut pravis suis propensionibus indulgeant. Multi, imminente so-

lemni quodam die, peccata sua confitentur, suoque Confessario dicunt, se millies mori malle, quam in ea reincidere; protestantur ei, se in Dei amore perseveraturos; dicunt cum divo Paulo: *Quis nos separabit à charitate Christi?* Prima autem demonis tentatione adveniente, vel prima peccandi occasione occurrente, in pristina cadunt peccata, et a Dei charitate separantur. Adveniente quodam jubilæo, multos reperire est, qui aliena restituunt, injurias condonant, a peccatis abstant et sacramentorum virtute gratiam divinam recipiunt, ac a Dei charitate se nunquam casuros firmiter statuunt; dicunt et pluries dicunt: *quis non separabit à charitate Christi?* Ast minima superveniente tribulatione, vel peccandi occasione, propositi sui sunt immemores; nec jubilæi, nec gratia a Deo acceptæ recordantur; novisque criminibus a seipsis Dei charitatem procul pellunt. O lacrymis sanguineis flendam hominum inconstantiam, qua nihil in orbe magis commune! o quot fideles, qui Dei charitate ardent, se nunquam ab ea separandos pollicentur! Quot cum Vate regio dicunt: *non movebor in æternum!* (Ps. 29, 7), qui tamen postea a Dei charitate moventur, et in gravia peccata relabuntur. Multi cum Apostolorum principe, Deo promittunt, se nunquam illum negaturos, nec ab ejus charitate quomodocumque recessuros: *etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo* (Mat. 26, 35); verum intra breve tempus, inibi propositi obliviscuntur, iniquorum consortio se immiscent, tentantis demonis vocem audiunt, carnis illecebris non resistunt; ac tandem a Dei charitate decidunt, gravibus peccatis iterum sordescunt. O fratres, procul a vobis hunc inconstantie et levitatis spiritum pellite: Deum amate non solum ardentem et unice, etiam constanter et semper: eum usque ad extremam vite exitum diligite; et post mortem recipiet vos in cælo, ubi eum in perpetuas æternitates diligetis. Amen.

DOMINICA DECIMATERTIA POST PENTECOSTEN.

DE LUXURIA.

Occurrerunt ei decem viri leprosi (Luc. 17, 12).

Arma hodie moveo adversus vitium omnium turpissimum; bellum indico huic peccato, a quo innumera originem ducent scelera, a quo omnia vastantur divinæ gratiæ opera, a quo humana fedantur corpora, a quo quamplurimæ deturpantur animæ; et innumeri homines æternum cremandi ad tartara trahuntur. De luxuria loquor, quæ vitium ita commune est, ut ab origine mundi regnaverit super omnem terram: hæc est lepra foedissima, quæ undequaque effluit, omniumque fere adultorum et corpus et animam inficit. Unde a Clemente Alexandrino vocatur *metropolis vitiorum*, quasi sit vitium alia transcendens, inter homines communissimum, omniumque mater et origo vitiorum. Heu! quot homines in Deum peccant, multisque modis hoc vitio delinquent? Quot obscœnis cogitationibus delectantur et voluntarie adhaerent? Quot fœdis desideris corda sua inquinant? Quot verba scurrilia proferunt alii? Heu! quot intuitus lascivi, quot oscula venerea, quot tactus impudici, quot pollutiones, quot adulteria, quot incestus, quot sacrilegia, quot alia hujus generis in mundo committuntur peccata, quæ vel nominare pudet; certe *mundus totus in maligno positus est* (1 Io. 5, 19); seu totus fere mundus malo luxuriæ igne ardet. Et ideo dixit S. Remigius, omnes fere adultos propter hoc vitium damnari: *ex adultis, propter hoc vitium, pauci salvantur*. Ut tanto occurramus malo, atque pessimam hanc lepram a cordibus hominum tollamus, urgentissimam adducemus motiva, quæ qui serio mente revolvat, ab omni luxuriæ inquinamento haud dubie abstinabit. Ave.

Sicut magna est hominis ad carnalia et ad venerea propen-

lemni quodam die, peccata sua confitentur, suoque Confessario dicunt, se millies mori malle, quam in ea reincidere; protestantur ei, se in Dei amore perseveraturos; dicunt cum divo Paulo: *Quis nos separabit à charitate Christi?* Prima autem demonis tentatione adveniente, vel prima peccandi occasione occurrente, in pristina cadunt peccata, et a Dei charitate separantur. Adveniente quodam jubilæo, multos reperire est, qui aliena restituunt, injurias condonant, a peccatis abstant et sacramentorum virtute gratiam divinam recipiunt, ac a Dei charitate se nunquam casuros firmiter statuunt; dicunt et pluries dicunt: *quis non separabit à charitate Christi?* Ast minima superveniente tribulatione, vel peccandi occasione, propositi sui sunt immemores; nec jubilæi, nec gratia a Deo acceptæ recordantur; novisque criminibus a seipsis Dei charitatem procul pellunt. O lacrymis sanguineis flendam hominum inconstantiam, qua nihil in orbe magis commune! o quot fideles, qui Dei charitate ardent, se nunquam ab ea separandos pollicentur! Quot cum Vate regio dicunt: *non movebor in æternum!* (Ps. 29, 7), qui tamen postea a Dei charitate moventur, et in gravia peccata relabuntur. Multi cum Apostolorum principe, Deo promittunt, se nunquam illum negaturos, nec ab ejus charitate quomodocumque recessuros: *etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo* (Mat. 26, 35); verum intra breve tempus, inibi propositi obliviscuntur, iniquorum consortio se immiscent, tentantis demonis vocem audiunt, carnis illecebris non resistunt; ac tandem a Dei charitate decidunt, gravibus peccatis iterum sordescunt. O fratres, procul a vobis hunc inconstantie et levitatis spiritum pellite: Deum amate non solum ardentem et unice, etiam constanter et semper: eum usque ad extremam vite exitum diligite; et post mortem recipiet vos in cælo, ubi eum in perpetuas æternitates diligetis. Amen.

DOMINICA DECIMATERTIA POST PENTECOSTEN.

DE LUXURIA.

Occurrerunt ei decem viri leprosi (Luc. 17, 12).

Arma hodie moveo adversus vitium omnium turpissimum; bellum indico huic peccato, a quo innumera originem ducent scelera, a quo omnia vastantur divinæ gratiæ opera, a quo humana fedantur corpora, a quo quamplurimæ deturpantur animæ; et innumeri homines æternum cremandi ad tartara trahuntur. De luxuria loquor, quæ vitium ita commune est, ut ab origine mundi regnaverit super omnem terram: hæc est lepra foedissima, quæ undequaque effluit, omniumque fere adultorum et corpus et animam inficit. Unde a Clemente Alexandrino vocatur *metropolis vitiorum*, quasi sit vitium alia transcendens, inter homines communissimum, omniumque mater et origo vitiorum. Heu! quot homines in Deum peccant, multisque modis hoc vitio delinquent? Quot obscœnis cogitationibus delectantur et voluntarie adhaerent? Quot foedis desideris corda sua inquinant? Quot verba scurrilia proferunt alii? Heu! quot intuitus lascivi, quot oscula veneræ, quot tactus impudici, quot pollutiones, quot adulteria, quot incestus, quot sacrilegia, quot alia hujus generis in mundo committuntur peccata, quæ vel nominare pudet; certe *mundus totus in maligno positus est* (1 Io. 5, 19); seu totus fere mundus malo luxuriæ igne ardet. Et ideo dixit S. Remigius, omnes fere adultos propter hoc vitium damnari: *ex adultis, propter hoc vitium, pauci salvantur*. Ut tanto occurramus malo, atque pessimam hanc lepram a cordibus hominum tollamus, urgentissimam adducemus motiva, quæ qui serio mente revolvat, ab omni luxuriæ inquinamento haud dubie abstinabit. Ave.

Sicut magna est hominis ad carnalia et ad veneræ propen-

sio, ita et innumera, eaque maxima sunt motiva, quæ illum ad caste vivendum, et ad abstinendum ab omni luxuriæ inquinamento compellere debent. Ipsa illius peccati turpitudine et feditas cuique frenum esse deberet; magis autem ab illo perpetrando quemque amovere debent magna hujus vitii adversus Deum malitia, infamia qua domos et familias aspergit, morbi quos generat, damna quæ causat et pericula quibus exponit. Hæc qui serio perpenderit, procul dubio a luxuriæ vitio penitus abstineret. At vero efficaciora et urgentiora, meo quidem iudicio, ad abstinendum ab omni libidine motiva sumi possunt ex Deo, qui videt, qui judicat, et qui sævère punit libidinosos. Deus eos videt: cur ergo coram illo peccare non vereantur? Deus eos judicat: cur ergo a terribilibus ejus judiciis non timeant? Deus eos punit: cur ergo pro momentanea voluptate æternis se supplicii exponant? O peccator, 1. Deus te videt; 2. Deus te judicat; 3. Deus te punit. En tria motiva, quæ te ad abstinendum ab omni luxuriæ inquinamento cogere debent.

I PARS.

Primum notandum: Deus te videt.

A plurimis sæculis in sacra theologie scholis dictum est, et in iis quotidie dicitur, Deum ubique esse per essentiam, per potentiam et per presentiam. Ubique est per essentiam, quia infinita ejus essentia omnibus entibus intime illabitur; nec aliqua esse potest creatura, in qua Deus non sit per essentiam suam. Ubique etiam est Deus per potentiam, cum ubique sit locus dominationis ejus, et in omni loco operetur omnia in omnibus. Ubique tandem est per presentiam suam: nam clarissime videt et intuetur quæcumque in cælo et in terra fiunt: omnia, sive bona illa sint, sive mala, patent oculis ejus, ac, ut loquitur Spiritus Sanctus, in omni loco oculi Domini contemplantur bonos et malos (Pro. 15, 3). O peccator, in quo-cumque mundi loco esse possis, ibi te Deus contempletur; ac

quidquid boni vel mali ibi facias, clarissime intuetur. Si virtutem ibi secteris, bonisque operibus incumbas, Deus te videt: si econtra ad peccata declines, fuisset in terra centro latueris, Deus ibi te videt, ac mala bonaque tua ubique adnotat: *bonorum, malorumque nostrorum observator est Deus* (Sen. ep. 41). O peccator, quare, quantum volueris, domus tua latibula, solis lucem fuge, et in mediis noctis tenebris tua, si libuerit, perpetra crimina; remotissimos, si placet, adi sylvarum secessus; antra, si velis, ingredere profundissima: quantumcumque te absconderis, te semper videbit Deus, nec ab ejus vultu unquam te subtrahes; Deus te semper et ubique videt, *ac omnia nuda et aperta sunt oculis ejus* (Heb. 4, 31). Crodis, o peccator, neminem te vidisse, cum toties ex affectu libidinis cogitationes obscenas animo versasti, cum fœda concupiscentia toties intus exarsisti, et cum hanc adolescentulam ad iniqua provocasti? Arbitraris, te a nemine visum fuisset, cum noctu hanc virginem constuprasti, cum nuptam illam adulterio fedasti, et cum Deo sacram ad infanda alexisti (1)? Falleris, o peccator: Deus enim videt omnes cogitationes tuas, omnia desideria tuas, omnes gressus tuos, omnes artes tuas et omnia quæ ad libidinem explendam molitus es; nihil eorum illum latet: *omnia nuda et aperta sunt oculis ejus*. Propterea cum Deus omnes impudicitias et libidines tuas videt, qua fronte illas in conspectu ejus perpetras? Nonne certum est, quod presente patre, presente matre, vel alio quocumque homine probo, illicitis libidinibus vacare non auderes? Cur ergo hoc coram Deo facis, quod coram hominibus agere non auderes? De sancto Ephrem narrat Surius, quod cum eum aliquando mulier impudica ad obscena sollicitaret, vir sanctus, cœlesti illustratus lumine, ab

(1) Sacro concionatori cavendum quam maxime in hoc fœdo argumento tractando, ne dum fideles a turpi vitio avertere conatur, illud doceat, et nimis apertis lectionibus plerum ac innocentium aures offendat; ne, prout aliquando audire contigit, quidam a sermone abscedentes dicant: hujusmodi sermo magis scandalo, quam adificationi fuit.

ea quæsit, an vellet forum publicum adire, ut ibi in conspectu omnium fœdæ suæ concupiscentiæ faceret satis? Cui illa: non utique aptus est ille locus ad hujusmodi negotia: hæc non sunt coram testibus, nec usquam in conspectu hominum ad hæc turpia et infanda declinare audeam. Tunc vir sanctus, ardenti succensus zelo, impudenti huic dixit mulieri; si te pudeat tam turpia perpetrare crimina coram hominibus, qui carnales sunt sicut tu, qui infirmi sunt sicut tu, qui peccatores sunt sicut tu, et forte plus quam tu, non te pudebit ea committere coram Deo tuo, qui omnia videt, qui ipsa puritas est, et qui summe sanctus est? Te sane pudere debet, hæc et alia patrare crimina, non solum in foro, sed etiam in omni loco, quia Deus ubique est, ubique te videt, ac clare intuetur quidquid mali et boni facis; *omnia nuda et aperta sunt oculis ejus*. His verbis sancto spiritus fervore prolatis concussa sunt viscera hujus peccatrici, quæ mox in lachrymas erupit, veniam a sancto Patre petit et mundo valedicens, licentiori vitæ abrenuntiavit, ac in solitudinem secessit, ut præteritorum peccatorum penitentiam ageret. O frater, cum te spiritus libidinis ad fœdâ instigat, cum aliqua peccandi se se offert occasio, oculos sursum subleva, ut divinum postules auxilium, ac mox Deum ubique præsentem considerans, dic tecum ipsa; infandum hæc scelus coram patre, coram matre, coram fratre, coram sorore committere non audeam, quanto minus illud perpetrare debeo coram Deo, qui ubique est et semper me videt! Apud multos moris est hæc verba in cameris, in tabernis, in officinis scripta habere: *peccator, Deus te videt*. Hunc morem nec minimum improbo; plus tamen optarem, omnes homines et hos præcipue, qui ad libidinosa prona sunt, hæc eadem verba in mente semper scripta et exarata gerere: qui enim Deum præsentem semper cogitaret, ad luxuriam nunquam declinaret; imo vix unquam fieri posset, ut qui Deum præsentem et omnia videntem semper cogitat, fœdâ libidine corpus et animam suam coinquinet. Quod probatur exemplo castissimi viri Josephi Egyptiaci, qui dominæ suæ ad adulterium sollicitanti respondit: *Quomodo ego possum hoc malum facere, et peccare in Deum*

meum? (Gen. 39), vel, ut vertunt Septuaginta, *et peccare coram Deo meo?* Quomodo possum hoc malum facere coram Deo, inquit Joseph? Perinde ac impossibile foret, ut in luxuria peccata cadat, qui a Deo se videri cogitat. Ideo enim exiit hortatur nos Chrysostomus, ut castissimum Joseph in exemplum nobis proponamus. Quotiescumque, inquit, prævæ vos conturbant cogitationes mala et fœdâ suadentes, quotiescumque gravis quedam urget tentatio, vel fœdâ libidinis occasio quedam occurrit, Deum præsentem cogitate instar Josephi, et quasi impossibile erit vos peccare: *Quando nos cogitatio perturbat, hoc mente versemus verbum, quomodo faciam malum contra Dominum meum: et statim effugiet omnis illicita concupiscentia* (in Gen. 39). O libidinose, nullibi pecces, quia ubique te Deus videt; cum a tentante dæmone ad obscœna provocaris, dic cum castissimo Josepho: *Quomodo possum hoc malum facere coram Deo meo?* Vel dic cum castissima Susanna: malo mori quam fœdari; malo crudelissimam mortem obire, quam peccare coram Deo meo: *melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini* (Dan. 13, 23). Dic pertinaciter: nolo peccare, quia Deus me videt; ac si mavis, dic cum Martha: *magister adest*. Cum mentem tuam prævæ ad fœdâ allicientes conturbant cogitationes, dic intra temetipsum; nunquam talibus assensum dabo, quia Deus me videt; *magister adest*. Cum prociis et impudicis quidam ad illicita te sollicitat, dic et fugiendo dic; absit a me, ut talibus assensum præbeam, talia nunquam perpetrabo, quia Deus me videt, mihi que præsens est; *magister adest*. Cum quævis occurrit peccandi occasio, resiste fortiter, dicens; non peccabo adversus Deum meum qui me videt, et cui præsens sum. *Deus te videt*: ecce primum motivum, quo ad abstinendum ab omni specie luxuriæ excitari debes. *Deus te judicat*; ecce secundum, et secundam hujus orationis partem.

II PARS.

Secundum motum Deus te iudicabit.

Non soli libidinosi ad formidandum Dei iudicium nota sunt vocandi, verum et omnes penitus homines ante Christi iudicantis tribunal sistendi sunt; *omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi* (2 Cor. 5). Ibi Abel et Cain, ibi Petrus et Judas, ibi humiles et superbi, ibi raptores et benefici, ibi boni et mali, omnes ad Christi iudicium tribunal adducentur, ut recipiat unusquisque, prout in corpore suo gessit, sive bonum, sive malum. Ad terribile illud Christi tribunal stabunt omnis generis peccatores, qui attoniti et trementes formidandam Christi tonantis audient sententiam et aeternis suppliciis ad iudicabuntur: quae fortior ratio ad impellendum peccatores, ut ab omni scelere abstineant, quam ut terribilia Dei iudicia devitent? Prae omnibus aliis viri libidinosi non solum a verbis inhonestis, a tactibus impudicis et ab infandis immodiis, verum et a minima quavis cogitatione inhonesta abstinere debent, quia modo terribili eos Deus iudicabit: *Fornicatores et adulteros iudicabit Deus* (Heb. 13). Quando ad venera homines allicere vult satanas, ab eorum mentibus omnem mortis et terribilium Dei iudiciorum cogitationem procul pellere nititur. Eorum animis magnam obicit voluptatem, quae in luxuria actibus percipitur: eis suadere conatur, luxuriae peccatum non ita esse grave et enorme, ut a concionatoribus praedicator: iis inspirat, Deum ita esse misericordem, ut facile indulgeat his, qui naturae corruptae et delectabilia appetentis propensionibus satisfaciunt: eis intus dicit, Deum compati infirmitatibus hominum, qui ex fragili lato compacti sunt, nec eos ob carnis peccata ita severe iudicare, ut dicitur. Jamvero caveat a veteratore satana, qui fallit et decipit: terribilia enim sunt Dei iudicia adversus libidinosos; ideo abstinete ab omni carnis immunditia et ab omni libidine. Mementote, libidinosi, terribilia futura Dei iudicia adversum vos;

mementote, quod in extremo Dei iudicio audietis formidabilem tubam, ad vallem Josaphat vos vocantem; quod tunc coram formidando iudice apparebitis, qui revelabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium. Tunc quiddam latet, apparebit; tunc Christus pendenda vestra populis nota faciet; tunc enarrabit omnes iniquitates vestras, et quae in tenebris deliquistis, coram omnibus propalabit; tunc commemorabit omnes abominabiles vestras; neque solum in genere dicet, vos fuisse libidini addictos; cuique libidines ejus cum omnibus circumstantiis eorum exprobrabit. O peccator, tunc Christus manifestabit coram omnibus gentibus infandum hunc libidinis actum, quo te coinquasti; indicabit locum, tempus et personam, cum qua illum perpetrasti. Et sicut de impudica muliere Samaritana legitur, quod Christus ei omnia dixerit, *dixit mihi omnia*; ita et cuique libidinoso dicet omnia inhonesta quae patravit cum omnibus eorum adiunctis: *non confuse, aut summatim in iudicio peccata nostra cernentur, sed singula per partes, ut se habent, velut in pictura videntur; scilicet, quando adulterans a lecto surrexerit, quibus passibus incedens usus est, quo habitus, quae ex parte irrumpons, alienam uxorem violaverit et quo etiam ordine mulier viro se abstraxerit* (S. Basil. de ver. virg.). Time, peccator, formidanda Dei iudicia, et ut ea devitare valeas, a solitis abstinere impudicitis, vel, ut melius loquar, meditare terribilia Dei iudicia et a libidinibus abstinere. Dicebat Job, quod Deus omnes ejus gressus dinumerasset. *Tu quidem gressus meos dinumerasti*. Verum specialiori cura et sollicitudine Deus omnes libidinosorum gressus dinumerare et adnotare videtur. O impudice, accurate Deus adnotat quotquot obscenas animo volvis cogitationes, quotquot prava desideria elicit, ac quotquot actus inhonestos et libidinosos perpetras. Haec omnia videt, haec omnia perfectissime novit et in die iudicii haec omnia in speciali coram omnibus populis tibi exprobrabit. Non modo ad aurem tua tibi pendenda insurrabit, sed coram angelis et hominibus dicet tibi, nonne verum est quod illo die, illa hora, eo loco, et cum hac persona hunc libidinis actum commisisti? Nonne verum est, quod a juventute tua cum his et illis

personis toties corpus tuum foedis libidinibus coinquinasti? Sic Deus manifestabit et omnibus gentibus patefaciet pudenda tua: *revelabo pudenda tua in facie tua, et ostendam gentibus nuditatem tuam et regnis ignominiam tuam. Et proieciam super te abominaciones et contumeliis te afficiam* (Nahum 3, 7). O anima christiana, nolebas patrem, matrem et maritum in agnitionem venire infandi hujus peccati quod perpetraveras; nisi vero ejus poenitentiam egeris, illud Deus non patri solum et matri, verum et omnibus populis manifestabit. Erubescis hoc et illud horrendum peccatum prudenti confessario aperire, ut ejus absolutionem obtineas: illi in aure dicere recusas; hac et illa foeda crimina, quibus corpus et animam tuam polluisti, quaeque, ni poenitentiam egeris, Deus in die judicii omnibus angelis et hominibus nota faciet et pudenda tua tibi exprobrabit. Heu! quo tunc non afficeris pudore, cum sordes tuae omnibus panderentur? Quo tunc pavore tua non concutientur viscera? Nunc ergo, si sapias, nunc ab omni abstine libidine, ne tanto tunc pudore afficiaris, nec tanto timore concutiaris. Timebant viri sancti et ab omni prorsus peccato abstinebant, cum de formidandis Dei judiciis cogitabant. *Contremiscit cor meum, inquietabat sanctus Ephrem, et renes mei resoluntur, quotiescumque cogito, quod revelanda sint cogitationes et sermones, atque actus nostri in die judicii (de ver. poen.)*. Et sanctus Chrysostomus contremiscens clamabat: *Quid ergo tunc faciemus, cum in medio, coram mundo, cuncta promentur in theatro jam claro, et illustribus et nobis notis et incognitis cuncta spectantibus?* (hom. 48 ad pop.). Recordare tu similiter eorum quae fient in judicio, cum se se peccandi offert occasio, memorare formidanda Dei judicia; memento, quod tunc pudenda tua omnium oculis panderentur. Haec si serio cogitaveris, contremisces, et ab omni prorsus libidine abstinebis: *si Deum presentem et omnia videntem, homines judicaturum crediderimus, vix aut nunquam peccaremus* (s. Greg. in e. 16 Job.). Cum tentationes ad libidinosam provocantes sancti Hieronymi stimulabant animum, in memoriam revocabat vir sanctus devotissimam et formidandam illam tubam, quae omnes homines

ad terribilia Dei judicia vocare debet, haecque cogitatione ab urgentibus quibusque tentationibus liberabatur. Recogita tu similiter tremendum extremi judicii diem: cum ad libidinosam te satanas, vel natura corrupta provocat, memorare, quod si ad pudenda declines, ea Deus in die judicii omnibus manifestabit, et hac cogitatione praeventus ab omni libidine facile abstinebis. *Deus te judicat, ecce secundum motivum, quod te ab omni carnis immunditia avocare debet. Deus te puniet, ecce tertium.*

III PARS.

Tertium motivum: Deus te puniet.

Variis suppliciis interdum Deus affecit luxuriosos etiam hoc saeculo: nonne enim propter luxuriae peccatum, diluvio generali totum terrarum orbem inundavit? Nonne propter hoc peccatum, quatuor magnas urbes horrendo vastavit incendio? Nonne Her, et Onam, quod rem detestabilem fecissent, a Deo occisi sunt? Nonne filii Heli fornicarii in bello sunt perempti? Nonne alii multi propter infandum hoc peccatum variis suppliciis plexi sunt? Omnia tamen hujus mundi supplicia nihil sunt comparatione eorum, quibus impudicos Deus in alio mundo plectit: etenim nisi in praesenti vita poenitentiam egerint, 1. eos Deus caelesti beatitudine in aeternum privabit; 2. eos aeternis tartari ignibus adjudicabit.

1. Prima poena, eaque maxima, qua Deus impudicos in altera vita plectit, haec est, quod eos aeterna beatitudine privat. Hanc poenam ex parte Dei libidinosus promulgat divus Paulus, dicens: *haec enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus non habet haereditatem in regno Christi et Dei* (Eph. 5, 5). Aeternam beatitudinem pollicetur Deus mundis corde: *beati mundo corde*; e contra, ut asserit D. Paulus, nullus fornicator, adulter nullus, nullusque impudicus, nisi poenitentiam egerit, partem habebit in regno caelorum. Quod

confirmat apostolicus iniquis: *manifesta sunt opera carnis, quae sunt fornicatio, immunditia, luxuria, et his similia, quae praedico vobis, sicut praedixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur* (Gal. 5, 19). Pensate, fratres, quam grave sit illud supplicium, quam durum erit impudicis aeternae beatitudinis regno privari pro volatili voluptate et pro momentaneis carnis deliciis! Refert Plutarchus, quod Lysimachus rex ab amplissimo hostium exercitu circumcinctus praenimia, qua conflictabatur siti, hostibus se dedere, eorumque manibus se committere coactus sit: cui cum ad extinguendam sitim oblatus esset aqua scyphus, morore confectus, exclamavit: *dii boni! quam ob brevem voluptatem regnum amisi et ex rege me servum feci!* Ecce quid accidet libidinosis: hi jam ducunt in bonis dies suos, a voluptate in voluptatem migrant; post mortem vero coelesti regno detrusi lugentes clamabunt: *quam ob brevem voluptatem regnum caeleste amisimus!* Heu! quam terribile tunc illis erit Dei visione privari, a sanctorum consortio arceri et caelestia regna in aeternum perdere pro instantanea voluptate!

2. Haec est prima poena, qua Deus libidinosis in alio mundo plectet. Altera qua plectantur poena, haec est, quod Deus sempiternis tartari ignibus eos adjudicabit. Transibunt ab igne in ignem et quia in praesenti foede concupiscentiae igne exarserunt, in futuro horrendis tartari ignibus in aeternum cremabuntur et, ut loquitur Guericus Abbas, *decorabit eos ignis extremus infernalis, quem accenderunt per luxuriosa opera* (serm. de purif.). Hominis libidinosi cor foedo concupiscentiae ardescit incendio; quod nisi vere poenitentiae lacrymis modo extinguit, ab isto ad tartareum transit incendium: *libidinosum enim hujus vitae incendium ad tartaream fornacem tendit*. Cuius sanctus Zeno formidandis istis verbis impudicos salutat: *valete adulteri detestabiles, ter, quaterque infelices, eos flamma expectat aeterna*. Ecce, impudici, quo pergitis post mortem: non vos expectant immensa paradisi gaudia; aeterna adhibitis inferni incendia. Ibi plorabitis ut pueri; ibi vestras detestabimini impudicitias;

ibi desperantes mordelbitis carnes vestras. Tunc dicetis, o infelices! Cur non credidimus concionatoribus, qui toties nos ad omni libidini abrenuntiandum sollicitarunt? Cur amore profano haec creaturam tantopere dileximus? Cur non potius carnis mortificationi, quam momentaneis voluptatibus adhesimus? Tunc clamabitis, dicentes; o ter, quater, millesque infelices, qui pro instantanea voluptate aeterna passuri sumus incendia cito praeterit quod delectat et permanet sine fine quod cruciat (Aug. tr. de hon. mulier. 3). O impudice, animo saepe versa, quam durum, quam grave, quam intolerabile sit in tartareo rogo non una dumtaxat hora, non uno solum die, sed aeternum cruciari recogita quam voraces sint hae flammæ, quam vehementes hi ignes, in quibus aeternum cruciandus manebis, si concupiscentiae ignem in temetipso non extinguas. Ignem cum igne confer; et ut ignem concupiscentiae in temetipso restinguas, gehennæ ignem crebro meditare: *Gehennæ ignem flammis libidinis opponere, ut ignis igne extinguatur* (Gryssost. de rep. laps.). O libidinosus! oculis mentis tuae saepe obice tartareos ignes, serio considera, quam acerbi, quam perennes sint; ac libimetipsum dic: nonne melius ad modicum tempus a libidinibus abstinere, quam in aeternum ardere? Nonne melius et congruentius, quod hujus creaturae affectum praescindam; quod inordinatum et effrenatum hanc passionem comprimam; quod foetidum hunc libidinis ignem in corde meo restinguam, quam quod aeternis tartarei ignis cruciationibus me exponam? Dic sepe tecum ipse; o quam volatiles et transitorie sunt carnis deliciae! quam perennes vero inferni flammæ! Momentaneae sunt carnis voluptates et aeterni sunt inferni ignes: *momentaneum est quod delectat; aeternum quod cruciat* (S. Greg. Mor. 1); ideo omni penitus libidini abrenuntio, ut aeternos tartari ignes devitare valeam. O homo, omni certe libidini abrenuntias, si cogites, quod te Deus videat et quod te judicet; et ab omni libidine magis adhuc abhorrebis, si serio mente revolvas supplicia, quibus Deus libidinosos punit. Eos coelesti regno privat; quam grave hoc supplicium! eos inferni ignibus aeternum cruciandus addicit: o supplicium formidandum et intolerabile! Timeo ergo

Deum videntem, time Deum judicantem, time Deum patientem. Triplici hoc timore, quasi triplici clavo, animam, passiones et concupiscentias vestras configite. Ita time, ut timor ille vos ab omni impudicitia arceat, et Deus amabit vos, fovebit vos, et in celesti regno vos coronabit. Amen.

DOMINICA DECIMAQUARTA POST PENTECOSTEN.

DE USURA.

Non potestis Deo servire et mammonæ (Matt. 6, 25).

Divitiarum servus est omnis avarus, qui plus quam par est, eas appetit, vel inique eas retinet; divitias namque quasi simulacra venerantur iisque misere serviunt avari: *avaritiam, quæ est simulacrorum servitus* (Coloss. 1, 5). Inter illos autem, quos avaros dicimus, ii magis divitiis servire videntur, qui per turpes usuras aliena diripiunt: etenim huiusmodi divitiarum servi simul et semel Deo et mammonæ servire non possunt; *non potestis Deo servire et mammonæ*. Usurarios illos Deus et Ecclesia, catholici et hæretici, fideles et infideles odio habent et condemnant; eosque damnabit quicumque malitiam illorum probe noverit: quæ tanta est, ut nullus avaro usurario nequior, nullus scelestior videatur: *avarus inter omnium criminum reos, nequiores se invenire non potest, nihil est enim avaro scelestius* (S. Pet. Dam. . ep. 2, 2). Quam magna sit usurariorum malitia, tota hac concione edocere pertentabimus. Ace.

Nihil suavius homini negotiis multis implicato, a creditoribus oppresso, aut gravem necessitatem patienti, quam reperire hominem, qui pecuniam etiam cum usuris repetendam mutuet; et ideo multi hominem usurarium, a quo mutuum acceperunt, *benefactorem, amicum et protectorem* vocant. Eum

appellant *benefactorem*, quia cum ab eo pecuniam, triticum, vel alia mutuo sumpserint, ab eo magnum beneficium accepisse credunt. Illum dicunt *amicum*, quia pecuniam ab eo mutuo acceptam, tamquam ingens vere amicitia signum inspicunt. Illum tandem *protectorem* nominant, quia eo tempore quo ab aliis persecutionem patiebantur, ab eo pecunias acceperunt, quibus se a vexatoribus et oppugnatoribus liberarent. Falluntur sane, qui hominem usurarium, ut benefactorem, amicum et protectorem inspicunt; pecunias enim mutuat, non tam ut mutuatiorum necessitatibus occurrat, quam ut eos facultatibus spoliaret, utque illos prodat et opprimat. Unde ut hominis usurarii malitiam manifestemus, videamus quomodo etsi usurarius vocetur benefactor, amicus et protector, revera tamen 1. *est benefactor*, qui eos quibus benefacere videtur, facultatibus spoliat: 2. *est amicus*, qui eos quos diligere creditur, inique prodat: 3. *est protector*, qui eos quos protegere censetur, crudeliter opprimit.

I PARS.

Usurarius est benefactor, qui eos, quibus benefacere videtur, facultatibus spoliat.

Pietatis quamdam speciem preseferunt usurarii, seque beneficos proclamant, dicentes, quod spiritu charitatis magis quam spe lucri ad mutuum inoveantur. Ast maligni potius, quam benefici hi dicendi sunt: nam usuris suis quiddam honorum et facultatum mutuatariis superest, crudeliter auferunt et eorum calamitates sublevare et egestatem lenire videntur, illos facultatibus spoliari, eosque ad extremam egestatem redigunt. Unde divus Basilius sic hominem usurarium astatur: *officium tuum fuerat, hominis depressi egestatem lenire, consolari, sublevare; tu contra, potius eam auge, fructum ex homine destituto acquirens: veluti si medicus ad ægrorum introgressus, loco restituendo sanitatis, id quod eis virium restabat,*

aufferret (in Ps. 14). O malignos benefactores, qui illos erga quos se beneficos dicunt, facultatibus spoliant! Hæc sunt beneficia usurariorum, quos alloquens sanctus Ambrosius, ait: *talia sunt vestra beneficia: minus datus et plus exigitis. Talis humanitas, ut spoliatis etiam dum subcœntis* (ep. 70). Licet homines sint omnes ejusdem nature, omnes ab eodem primo parente oriundi, omnes ab eodem Christo redempti et omnes ab eodem Deo creati, ex his tamen Deus alios voluit facultatibus abundare et alios penuriam pati. Utrumque fecit Dominus et divitem et pauperem: in diversa hæc pauperum et divitum conditione lege sua Deus divites ligavit ad subveniendum pauperibus, voluitque ut superflua divitem essent patrimonium pauperum. O divites! vestra non sunt bona, quæ in domibus vestris superfluum; vestra non sunt, sed pauperum; eaque gravem necessitatem preferentibus largiri tenemini. Ad hoc sane tenentur divites; et tamen divites usurarii de danda pauperibus pecunia non cogitant, verum de mutanda sub usuris; quod non est dare, potius est aliena artificiose auferre et eos quibus dare videntur, facultatibus, si quæ his supersint, spoliare; *qui sub usuris mutuum dat, in prima quidem facie, sua videtur dare; revera autem suum non dat, sed alterius tollit* (hom. 11 in Matt. op. imp.). O portentosum benefactorem, qui dum dare simulat, aliena rapit; eosque bonis spoliat, quibus benefacere videtur! Simulata hæc mutuatarios facultatibus spoliat, dum his benefacere videntur, mirabiliter explicat divus Bernardinus, dicens, quod quælibet res, quam mutuo dat usurarius, videtur habere dentes, quibus usurariorum beneficia, qui mutuatiorum bona rodit et comedit. *Usura, inquit, est inquietus cancer: quolibet enim die, quælibet hora et quolibet puncto et momento, pauperum substantiam fœnus usurarii rodit. Et quod mirabilis est, cuncta hominis usurarii bona dentes videntur habere: nummi etenim ejus dentes habent; similiter frumentum illius, quod ut ab hominibus comedatur factum est, dentes habet et cuncta illius bona dentes habent, quibus comedunt egenorum domos, vineas, vestes, denarios, segetes, arva et cuncta illorum bona consumunt. Imo, quod horribilius est, comedunt pauperum chri-*

stianorum carnes et ossa; proinde solet a quibusdam pauperibus lamentabiliter dici; heu me quia habeo ab usurario centum duceatos mutuo, qui mihi quotidie rodunt ossa. Hinc a quibusdam usura merito vocatur morsura; quia continue mordendo, consumit substantiam egenorum (serm. 44, de usur.); et sic tandem usurarii omnibus bonis spoliant eos, in quos se beneficos profitentur. Quod author operis imperfecti (1) similitudine fermenti egregie explicat, dicens: *sicut fermentum medicum quod mittitur in multam farinam, totam conspersionem corrumpit et trahit illam et facit illam totum fermentum; sic cum usura in domum alieujus intraverit, totam substantiam ejus ad se trahit et convertit in debitum* (hom. cit.). Ecce quid faciant denarii illi usurarii, quos mutuo fonerator; hi denarii sunt quasi quoddam fermentum, quod corruptit, destruit et ad se trahit omnia mutuatarii bona; illa omnia convertit in usuras, quas accipit usurarius et sic mutuatarium bonis suis exiit. Alia similitudine ad idem explicandum et probandum utitur prefatus author ajens, quod cum usurarius mutuo dat sub specie beneficii, gratum aliquod venenum infundit, quod per omnia mutuatarii bona discurrit et illa convertit in debitum: *similis est pecunia usurarii morui aspidis; percussus enim ab aspide, quasi delectatus pergit in somnum et per suavitatem soparis moritur. Sic et qui accipit sub usuris, pro tempore delectatur, quasi qui beneficium accipit. Sed sicut venenum aspidis latenter per omnia membra discurrit et corrumpit; sic usura per totas facultates ejus discurrit et convertit eas*

(1) Quoniam penes scriptores rerum ecclesiasticarum sæpe fit mentio hujus authoris operis imperfecti, invenit brevem ejus notitiam exhibere. Est hic auctor incertus, qui cecit sæculo quinto vel sexto, et scripti eruditam commentarium distributum in 54 homilia super 25 capitula S. Matthæi de scriptis quibusdam intermedii; unde nomen operis imperfecti. Antiquitus hæc homilia censentur conscripta a Chrysostomo; at evidentè sive quoad stylum, sive quoad sententias longe distant ab auctore illo S. Doctoris eloquio; ad hæc ipse auctor operis imperfecti se proflit infectum Ariarum et Anomorum labe, illos caute legendos. N. E.

in debitum (hom. 14 in Matt.). Et sic per usuras ita spoliatur mutuatarii, ut nihil proprium iis remaneat; omnia eorum bona mutuantiibus fiant debita. Hugo cardinalis ait, pecuniam quam usurarii mutuo dant, esse quasi serpentem, qui omnes facultates mutuatarii devorat. *Usurarii, inquit, sunt magi Pharaonis, qui virgas, sive baculos in serpentes converterunt. Sicut enim baculo sustentatur homo; ita mutuo sustentantur pauperes et pupilli, sed usurarii convertunt illum in serpentem usurae, quae eos devorat* (in Psal. 14). Cum usurarii pecunias mutuant, videntur mutuatariis praestare baculum, quo sustententur; eis beneficium impendere videntur; verum hic baculus convertitur in serpentem, a quo devorantur omnia mutuatariorum bona, ita ut intra breve tempus bonis suis orbi et spoliati inveniantur. Ecce malitiam usurariorum, quae tanta est, ut cum beneficium praestare videntur, eos tamen quibus mutuo dant, pauperiores reddant, ad extremam redigant necessitatem, omnibusque facultatibus spolient. Si mutuatariis aliquis hortus, pratum aliquod, vel virgultum supererat, usurarius brevi ea omnia auferit; imo et conqueritur de illis quos facultatibus spoliat, dicens, quod haec non sufficiant ad solvenda quae sibi sunt debita; quod injuriam patiatur et quod pro pecunia, quam libenter mutuo dedit, ad fundum sibi inutilem sumendum cogatur. O quam magna haec usurariorum malitia! quam magna etiam eorum erit poena! Nunquam enim vitam aeternam obtinebit usurarius, nisi restituat; aeterna morte morietur et supplicii sempiterni in inferno plectetur: *ad usuram dantem et amplius accipientem: numquid vivet non vivet; cum universa haec detestanda fecerit, morietur* (Ezech. 18, 13). O usurarie, quam melius tibi esset dare, quam accipere! Quam male fecisti, cum sub pretextu beneficii mutuasti, ut mutuatarios spoliasses! Quam parum tibi proderunt omnia bona, quae inique coaccervasti, cum in inferno cremaberis! Euge detestare nunc malitiam tuam et ablata restitue, ut inferni supplicia vitare valeas. Cum autem magna sit usurarii malitia, eo quod illis, quibus bene facere videtur, facultates surripiat, magna etiam ejus est malitia, quia eos inique prodit, quorum se amicum dicit.

II PARS.

Usurarius est amicus, qui eos quos diligere creditur, inique prodit.

Homo usurarius, eorum, quibus pecunias mutuo dat, se amicum profitetur, multique eum verum amicum esse erronee credunt; quia cum necessitatem patiuntur, proprium illis marsupium aperit, illisque pecunias, cum fenore restituendas, ad tempus libere mutuat. Jamvero, o pessimum amicum! o proditorem et non amicum! Si tamen hunc amicum vocare liceat, dicendum, hunc esse amicum, qui eos quos diligere simulat, inique prodit. Ut enim ait D. Bernardinus, *usura proditio dici debet: quia sub pallio pietatis atque servitii, aliena praedatur*. Quemadmodum is, qui precibus victus, febricitanti, quem vehementissimus calor, sitisque nimia exagitat, vinum bibendum porrigit, exhilarat quidem egrum brevi tempore, dum poculum exhaurit; et exinde paulo post acerbissimam et decuplo graviorem febrem misero parit; sic et qui pecuniam egeno sub fenore commodat, ejus amicus esse videtur; est autem verus proditor dum necessitatem illius ita sublevat, ut calamitatem postea augeat: *usurarius videtur necessitati succurrere; ropera autem in majorem mittit necessitatem*. Sanctus Gregorius Nyssenus in praecara illa oratione, quam adversus usurarios composuit, usurarios vere proditores esse ostendit, cum ait, eos sub pretextu amicitiae et necessitatis sublevandae, miserorum inopiam, curas et dolores augere: *opitulator, inquit, vertitur in hostem: non enim necessitatem patienti opem fert, ut ex illa qua premitur inopia, eandem; sed serit afflictio mala, nudum exuens, vulneratque denovo vulnerans, cura curis accumulans, dolores doloribusque addens*. O malignum proditorem, qui cum pecunias mutuat, mutuatariorum egestatem, curas et dolores non minere intendit, imo augere. Usurarios, veros esse proditores manifestat et probat D. Bernardinus, eorumque mali-

tiam tantam esse dicit, ut et propinquos et alienos prodatur. Quod, inquit, usurarius propinquos prodatur, ipsa experientia manifestat; sepius enim contingit, quod usurarius conspiciens proprium uterinum fratrem, aut alium attinentem sibi, pulchram habere domum, vel aliam aliquam possessionem plurimum gratiam, tractus concupiscentia oculorum, subvenire nititur illi aliquo mutuo; quo quidem inito contractu, paulatim crescere permittit fenus. Cumque fenus excreverit, cernens, fratrem suum non posse sibi solvere debitum, accepta occasione, occulta cautela et quadam justitia simulata juridice domum, vel possessionem ingreditur et sic quasi inadvertenter fratrem suum illis possessionibus privat: ecce proditio impia in propinquos. In alienos autem hæc proditio clarius patet; nam comedendo et bibendo cum eis, molitur per usuram bona eorum rapere, more proditoris Juda, qui cum Christo comedens et bibens, inimicis suis tradidit eum. Ecce varias usurariorum proditioes: quos proditores esse potissimum edocet S. Ambrosius, cum illos demoni similes dicit. Nostis, demonem esse proditorem, qui homines prodere et perdere indisenter satagit. Præcipue vero in illos proditoris artem exercoet, quando se transfiguratur in angelum lucis; tunc enim sub angeli boni specie, bona exterius sanare videtur, cum tamen nil nisi mala, hominumque ruinam et damnationem quaerat. Instar autem demonum, proditores sunt usurarii, hi enim ut hominum bona rapiant et ut illos ad aegestatem redigant, se erga ipsos, bonos, beneficos et quasi angelos lucis exhibent. Divitibus suadet usurarius, ut ludis vacent, convivis se dedant, opulentam suppellectilem habeant et alias multas expensas vanas et inutiles faciant. Qui si pecunia indigere assentant, mox usurarius suam offert: *neganti se habere pecuniam, injerant suam, dicentes, utere, ut tua* (S. Amb. de Tob. c. 6): ecce angelum lucis. Pauperibus etiam, quibus aliquid pratium, aliquis ager, vel aliqua domus superest, suadet usurarius, vel ut aliquid commercium suscipiant, vel ut aliquid acquirere pertentent, quod sine pecunia flori nequeat: et cum respondent hi, se ad hæc negotia ineunda non habere pecuniam, mox usurarius suam eis offert: *neganti se habere*

pecuniam, ingerunt suam, dicentes: utere ut tua; ecce angelum lucis: ecce hominem qui exterius verus amicus videtur, reuera proditor est illa suadendo et pecuniam offerendo non ut beneficiat, sed ut eos prodatur, eorumque bona rapiat. *Intendit per usuram bona eorum rapere*. O quam magna hæc usurariorum malitia! O quam magna eorum etiam in inferno erit poena! Magna quidem erit, quia cum hominum benefactores se esse simulent, eos bonis spoliant: major adhuc erit, quia cum hominum amicos se esse fingant, eos decipiunt et proditorie bona eorum auferunt. Si enim in inferno graviter torqueantur hi, qui pecunias suas pauperibus necessitatibus patientibus non dederunt, quanto magis usurarum, qui proditorie aliena rapuerunt? *si illi qui Christum esurientem non aluerunt, cum diabulo igni inextinguibili addicuntur, quanto supplicio afficiuntur hi, qui fame Christum necant, per id quod rapiunt?* (Crysost., or. de acar.). Certe gravissimum eorum erit supplicium; ac dum divitibus eorum in hoc mundo fruuntur hæredes, gravissimis ipsi in inferno torqueantur suppliciis: *laboribus et facultatibus eorum fruuntur alii; ipsi vero in cruciatu erunt et in malis extremis* (ib.). O usuarie, quid tibi proderit, si universum lucraris mandum, anime vero tue detrimentum patiaris? Quid tibi proderit, multa coacervasse bona, et usuris tuis unius domum, alterius villam rapuisse, si his relictis, ad tartara graviter plectendus mittaris? Quid tibi proderit, in morte tua illis, nepotibus, vel amicis multas reliquisse facultates, si dum illi his fruuntur, tu in inferno gravissime crucieris? O quam molus tibi fuisset, si nunquam natus esses, quam si æternis suppliciis addicaris? O quam melius tibi fuisset, in hoc mundo tua pauperibus erogasse et dirissimam paupertatis incommoda pertulisse, quam aliena usuris rapuisse? O usuarie, hæc cogita, hæc serio mente revolve, et ut non graviter torquearis in inferno, pessimum usura spiritum in temetipso extingue; contractus usurarios quos in conclavi servas prompte conscinde, inique ablata propriis restitue dominis, in pauperes te liberalem exhibe, penitentiam age; et usurarum, vel potius proditoris pravis exercitationibus penitus abrenuntia. Sciendum vero quod dum

usurarii sunt amici, qui eos, quos diligere profitentur, inique produnt, *sunt etiam protectores qui eos, quos se protegere dicunt, crudeliter opprimunt.*

III PARS.

Usurarius est protector, qui eos, quos protegere censetur, crudeliter opprimis.

Eo hominum dementia venit, ut benignum, beneficium et protectorem vident hominem usurarium, eo quod hominibus necessitatem patientibus, triticum, vinum, pecuniam, vel alia, cum usura rependi mutuet. At protectoris nomine indignus est usurarius; tyranni potius, vel vexatoris nomen ei convenit; nam eos opprimunt, quibus ad usuram mutuo dat; eosque ita opprimunt, ut 1. *in servitutem redigat*; 2. *suffocet*; 3. *trucidet*.

1. Mutuatarios, quos protegere videntur, ita opprimunt et vexant usurarii ut eos ad dicam servitutem redigant, illosque non solum debitores, verum et servos suos efficiant. Unde tanquam magnam et memorabile beneficium Dei erga Judaeos ore prophetico predicatur, quod eos ab usurarum servitute esset liberaturus: *ex usuris et iniquitate redimet animas eorum* (Ps. 71). Id est, ut explicat S. Ambrosius, *ex servitutis vinculo ereptos reddet libertati, quia usura inferunt servitutem*. Unde idem S. Ambrosius usurarios, qui usuras exigunt ab eo, qui pecuniam sibi mutuo dari petit, sic increpat: *Ille medicamentum querit, vos offertis venenum: panem implorat, gladium porrigitis. libertatem obsecrat, servitutem irrogatis* (de Tob. 4). O malignos protectores, qui eos quibus mutuo dant, sibi servos efficiunt, et qui tot habent servos, quot debitores. Eos quippe vexant, tanquam servos, illosque ita usurariis contractibus ligant, ut ab ipsorum manibus se extricare nequeant, ac veluti servi et diris vinculis constricti sub gravi illorum dominatione gemant. O gravem oppressionem? Ad hac usurarii dum mutuatarios opprimunt eos in servitutem redigendo, eos etiam

opprimunt, quia illos suffocant, illosque ita gravant, ut illos nec respirare sinant.

2. Prohibet Deus creditoribus, ne usuris debitores opprimant. *Si pecuniam mutuum dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes* (Ex. 22, 25). In versione septuaginta Interpretum legitur: *si pecuniam foeneraveris orphano et pauperi, non suffocabis eum*. Quae verba exponens D. Ambrosius, ait: *suffocare, id est, usuram imponere*. Et revera pauperes et alios quibus pecuniam ad usuram dederunt, ita vexant et suffocant usurarii, ut illos respirare non sinant. Eos enim continue premunt et modo ab iis munera exigunt, modo annuum redditum postulant, mox sortem impertune petunt, mox iis intentant litem, apparitores et satellites mittunt, ut omnia, quae in domibus eorum reperiuntur, violenter auferant: eos uno verbo ita vexant et opprimunt, ut suffocent, nec respirare sinant. In quo tales usurarii mihi similes videntur crudeli illi servo, qui cum invenisset unum ex conservis ipsi centum denarios debentem, ut cogeret illud ad modicum illud debitum persolvendum, *tenens, suffocabat eum, dicens: redde quod debes* (Matt. 18, 26). Sic se habere solent usurarii erga mutuatarios, cum enim aliquem ex debitoribus suis stricte usurariis contractibus ligatum et intricatum teneant, ita illum vexant, ut eum quasi suffocent, et apud huiusmodi usurarios unica haec vox auditur, *redde quod debes*. Debitor voce humili et tristi accentu usurarium deprecatur, dicens: *patientiam habe in me et omnia reddam tibi*; respondit ille: *redde quod debes*. Debitor gemens orat usurarium, ut saltem misereatur familiae suae in extrema necessitate degentis; ille autem respondet, *redde quod debes*. Omnis expertus consilii debitor indurato creditori representat, dies esse malos et pecuniam ita raram, ut sibi impossibile sit habere, quo debitum persolvat; ast idem semper responsus audit, *redde quod debes*. Et velit nolit, possit vel nequeat, ut solvat necesse est; secus usurarium eum ita suffocabit, ut nec respirare permittat. O magnam usurarii malitiam! Postremo usurarius ita etiam mutuatarios opprimunt, ut *si sic loqui fas sit, illos aliquo modo trucidet*.

3. *Usurarius*, inquit S. Bernardinus (serm. 44, a. 2), *est pauperum homicida*. Vere quidem eos ense, vel gladio non occidit; eos tamen trucidat, quia ab iis aufert quæ eis ad vitam sustentandam necessaria sunt; *usurarius est pauperum homicida, quia pauperi aufert vestimentum, calceamentum, domum, agrum, lectum, cibum, potum et omnem victum: et per consequens aufert eis vitam*. Dicunt sancti patres, quod hi occidunt pauperes, qui eos esurientes non pascunt; *si non pavisti, occidisti*. Quanto magis dicendum, quod eos trucident usurarii, cum non solum eos non pascant, verum et ab iis auferant quæ ad victum necessaria habent? Hi certe viri sanguinum et homicida dicendi, qui defraudant proximum et ab eo panem et alia ad victum necessaria auferunt: *panis egentium, vita pauperum est; qui defraudat illum, homo sanguinis est*. Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum (Eccli. 34, 25). O quantus ergo est usurariorum iniquitas, qui cum mutuatorum protectores videantur, eos tamen ita opprimunt, ut illos in servitutem redigant, suffocent et occidant. Ipsi autem prægrandis criminis rei maximas etiam penas dabunt in inferno, ubi cum hæredibus suis in æternum gravissima patientur tormenta, si inique per usuras ablata non restituant. In inferno, inquit S. Bernardinus, habitabunt, et dirissime cruciabuntur usurarii et eorum hæreses, qui aliena non restituerint; *ibi habitabunt et sibi invicem maledicent; dicit nempe pater filio cum eo insimul condemnato; maledictus tu sis, fili mi, quia propter te crucior his tormentis; fuit enim usurarius: ne tu esses egenus; propter carnem tuam perdidisti animam meam; quia injuste te ditavi, me juste damnavi; ut tu esses in mundana consolatione, sum ego in æterna damnatione. O maledicte fili, ut quid inquam te genui! Utinam nunquam fuisses in mundo, ne ego essem in hoc tormento. Respondet filius patri; imo maledictus sis tu, pater mi, quia nisi me implicasses in tuis impiis lucris, nunc non essem in iis æternis tormentis. Quia nimis amasti me et te, quia non timuisti Deum pro te et pro me, ideo juste damnasti*

te et me. Idem faciunt uxores usurariorum maritis suis et quibuscumque propinquis; et econtra, si injuste participaverint impia lœra usuræ. O usurarius, non te decipiat vana divitiarum ambitio: non te seducat carnalis filiorum amor; si usuras acceperis libenter eas restitue, ut æterna inferni supplicia devitare et in cælo æternum habitare merearis. Amen.

DOMINICA DECIMAQUINTA POST PENTECOSTEN.

DE OFFICIIS FILIORUM IN PARENTES.

Ecce defunctus offerebatur filius unicus matris suæ
(Luc. 7, 12).

Cum adolescentem, matris suæ filium unicum, ad sepulchrum hostis ferri intueor, mox in mentem venit, mortem quam celesterrime ad nos properare. Cum ad matrem afflictam, flentem et filii sui resurrectionem a Christo impetrandem me convertito haud possum non admirari amorem parentum in filios et ingratitude filiorum, qui parentibus officia sua ex animo non impendunt. Videte, quid pro unico filio suo ista mater fecerit; ei his vitam dedit, bisque mater ejus fuit; *primo*, cum eum genuit: *secundo*, cum amarum suis lachrymis resurrectione illius a Christo impetravit. O quantis beneficiis *matr* adstrictus erat hic adolescens! o quanta pro tot beneficiis ei rependere tenebatur officia! O quantum etiam quilibet filius parentibus debitor est beneficiorum! Tantorum quidem, ut filii parentibus nunquam reddere possint æquivalentes: *diis, parentibus et magistris non potest reddi æquale* (Aristot.). Filii ideo prout possunt, sua parentibus officia rependere tenentur: ad quod ut illos hortemur, videamus, quæ filii parentibus prestare debeant officia. Ave.

Vult Deus, ut cuique quod suum est, fideliter reddamus: *Reddite ergo omnibus debita*; ac specialiter præcipit, ut sua parentibus filii officia impendant. Nec sine gravi ratione hoc a filiis Deus exigit. Ut enim, ait doctor Seraphicus, tria a parentibus beneficia accipiunt filii, esse scilicet, educationem et nutrimentum. Ab iis recipiunt esse: *pater generat filium*; ab illis habent educationem, *instruit; ipsum* et ab illis sumunt nutrimentum, *et nutrit ipsum*. Pro tribus autem his beneficiis, quæ a parentibus percipiunt filii, tria eis officia præstare tenentur, ut subdit sanctus Bonaventura, reverentiam scilicet, obedientiam et amorem. Filii parentibus debent 1. reverentiam: *honorem reverentia*; 2. obedientiam: *honorem obedientia*; 3. amorem: *honorem beneficentia*. Reverentia, obedientia et amor, en tria officia, quæ parentibus filii præstare debent.

I PARS.

Filii parentibus debent reverentiam.

Præclare dixit Seneca, quod sicut nivem esse candidam negari nequit, ita nec inficiari quisquam potest, honorandos esse parentes, cum hæc sit obligatio, quam in omnium filiorum cordibus natura insculpsit. Quid filios hæc in parte natura doceat, non inquiram; id tantum asseram, filios ad reverentiam parentibus præstandam teneri, quia Deus præcipit, præmiat et punit. Deus 1. *præcipit* filiis, ut honorent parentes; 2. *præmiat* filios, qui parentes honorant; 3. *punit* filios, qui parentibus reverentiam non præstant.

1. In novo et in veteri Testamento filii præcipit Deus, ut parentes honorent. In novo hæc verba legimus: *Deus dixit: honora patrem et matrem*; et in veteri ista leguntur: *honora patrem et matrem tuam*. Ecce legem impositam, non a Solone, Lycargo, vel aliis hujus mundi legislatoribus, sed ab ipso Deo, qui omnibus filiis præcipit ut parentes honorent:

ideo humiliter et religiose eos venerari, debitamque iis reverentiam præstare debent. Ut Lycergus Lacedæmones ad leges, quas illis imposuerat, admittendas et servandas alliceret, iis suadere conatus est, a summo celo descendisse et a Deo optimo maximo datas fuisse; probe sciens nullum motivum potentius et efficacius ad populos legibus datis subjiciendos, quam si a Deo factas et datas esse credant. Fingebat ille, leges suas a Deo manasse; non autem fingimus nos legem de honore parentum a Deo datam fuisse: certum enim, Deum præcipisse, ut filii parentibus reverentiam exhibeant, et ideo hanc legem accurate servare debent quique filii, cum a Deo sit. Ut protervi nonnulli filii a reverentia parentibus debita se liberare conentur, dicunt nonnunquam, patrem suum non fuisse sapientem, rebus domesticis non vacasse et suam dissipasse substantiam: dicunt etiam aliquando, patrem suum esse senem, ignarum, delirum, ad temporalia negotia gerenda minime idoneum et suæ salutis parum sollicitum. Jamvero, rebelles filii, audite vocem Dei, præcipientis, ut filii parentes honorent: *Honora patrem tuum et matrem tuam*. Non præcipit Deus, ut filii honorent solummodo parentes, cum sapientes, divites et benefici erunt; absolute omnibus filiis præcipit, ut parentibus reverentiam exhibeant. Quapropter sive parentes sint sapientes, sive insipientes, sive sint pauperes, sive divites, sive benigni, sive severi, eos filii semper venerari tenentur, quia Deus id præcipit. Honorate ergo parentes, quia Deus præcipit: honore quoque illos prosequimini, *quia Deus præmiat filios, qui parentes honorant*.

2. Omnes quidem legem suam custodientes magnis proculdubio in celo præmiis Deus donabit; speciale vero etiam in præsens filii parentes colentibus mercedem promittit et impertitur, temporalis scilicet vite diuturnitatem: *honora, inquit, patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super terram* (Exod. 20, 12); quasi dicat: si parentes haud honoros, diu in hoc mundo non vives; si autem eos debite venereris, in præmium reverentia, quam illis prestabis, vitam quam ab illis habes, diu possidebis. Hoc longævitatatis præmium, quasi lege quadam naturæ, filiis bene moratis competit: unde experimentis pluribus constat,

parentibus debitam detrectantes reverentiam non diu vivere; eos vero qui eos debite reverentur, tarde mori. Hoc idem primum, quod Deus filiis parentes honorantibus imperitur, equitati etiam et recte rationi consonum demonstrat doctor Angelicus; æquum est, inquit ut qui accepti beneficii sunt memores, eo beneficio diu fruantur: cumque filii parentes honore colendo, acceptæ ab iis vitæ grati sint et memores, æquum est, ut diu vitæ beneficio fruantur. Ecce præmium speciale, quod Deus dat filiis, parentes honore debito prosequentibus. Aliud adhuc etiam in hac vita dat eis præmium: nimirum eos benedictionibus et in vita et in morte replet: *honora patrem tuum, ut supercœnial tibi benedictio ab eo et benedictio illius in novissimo maneat* (Ecl. 3, 10). In vita benedicit eos Deus in bonis nature, in bonis fortune, in bonis familiæ et in bonis gratiæ. In morte eos domo perseverantiæ remunerat et tandem hæc audire mereantur verba: *venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi* (Matt. 25). O filii, parentes honorate, ut tanta consequi mereamini præmia: verum et illos honorate, quia Deus *severe punit filios, qui parentes non honorant*.

3. Filios protervos, qui parentes debito non prosequuntur honore, diris sæpe etiam in hoc mundo Deus plectit supplicis. Videte, quid acciderit Absaloni, qui David patri suo bellum indixerat; nonne in arbore suspensus ac tribus lanceis confossus interiit? Mementote Cham, qui parenti fuit injuriosus et ipse et tota ejus progenies maledictioni subjacuit: *maledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus suis* (Gen. 9). Nonne Ruben, quia patrem dedecorarat, iuribus primogenituræ et paterna benedictione privatus est? Alia his similia, verum et terribiliora ingratis multis aliis filiis acciderunt: quid autem hæc omnia respectu ponarum, quibus plectuntur in inferno? Heu, inquit sanctus Bernardinus, si Deus his qui debita officia extraneis non præstiterunt, dicturus sit: *discedite a me maledicti in ignem æternum* (Matt. 25), qua pena afficiet filios, qui propriis parentibus debitam reverentiam denegarunt? Si Deus ita severus erit in die iudicii his, qui ex-

straneis pietatis debita non solverunt, quanto magis iis, qui erga parentes impij extiterunt? Certa erga eos maxime severum se ostendet, ac gravissimis eos suppliciis plectet. Ideo parentes suos honorare tenentur filii, et ut Deo præcipienti parent, et ut promissa a Deo præmia obtineant, et ut supplicia declinent, quibus pœniantur filii, qui parentibus debitum honorem non impendunt. His quidem et innumeris aliis rationibus, parentes suos honorare debent filii: quam pauci tamen debito eos honore prosequuntur! Filii parentes suos venerari solent, quamdiu eos timent, vel ab iis bona temporalia expectant; cum majores, ac paternorum bonorum hæredes et possessores facti sunt, eos sæpe contemnunt, pro nihilo habent, et quasi onera importabilia respiciunt. O filii, semper et ubique parentes honorate. Filios hortatur Salomon, ut parentes verbo, opere et patientia sua veneretur. *In opere, et sermone, et omni patientia honora patrem tuum* (Ecl. 3, 9). O filii, honorate parentes operibus, primum semper eis locum dando, domesticos qui illos non venerantur corripiendo; ab iis consilium petendo, aliæque externa reverentia testimonia eis exhibendo: *in opere*. Eos etiam honorare debetis sermonibus vestris, alloquendo eos humiliter; nec aliquid verbum proferendo, quod eis offere, vel displicere possit: *in sermone*. Tandem parentes honorare debent filii patientia sua, infirmitatibus eorum compatiendo, correptiones et monita illorum benigne accipiendo: imo verba eorum, quamvis dura, patienter sustinendo. O filii, honorate parentes, *in opere, in sermone, et in patientia*. Denique filii parentibus *obedientiam præstare tenentur*.

Filii parentibus debent obedientiam.

Parentibus obedire debent filii in omnibus, quæ mala non sunt: *filii, obedite parentibus per omnia* (ad Coloss. 3). Jamvero filii parentibus specialiter obedire debent in his quæ spa-

ctant 1. Dei gloriam; 2. suam salutem; 3. œconomiam, seu rei familiaris administrationem.

1. Parentibus obedire debent filii in his, quæ ad Dei gloriam spectant: *filii*, inquit D. Paulus, *obedite parentibus* (Eph. 6, 5.); in quo iis obediunt? In his quæ ad Dei gloriam spectant: *in Domino*. Filii parentibus obedire nunquam debent, si precipiant eis ut furentur, pejerent, de inimicis vindictam sumant, aut alia hujusmodi faciant, quæ Dei gloriæ adversantur; sed iis obedire tenentur *in Domino*; quando scilicet, quæ precipiunt, ad gloriam Dei pertinent. *Filii*, ait S. Hieronymus, *obedias patri; si te a vero Patre non separet* (s. Hier. *ad Furiam*): sciunt omnes, quod verus et primus Pater noster sit Deus; cum autem terrenus pater ea jubet, quæ a Deo nos separant, ejusque gloriæ contraria sunt, non ei obedire tenemur; tunc solummodo ei obedientiam præstare debemus cum ea jubet, quæ Deum non offendunt, ejusque honori et gloriæ non adversantur. Memoria dignum habemus exemplum in jutene illo Machabæo, de quo refert sacra Scriptura, quod suadente matre, ut pro gloria Dei mortem pateretur, durum hoc genitricis consilium strenue adimpleverit et mortis acerbæ cruciatus constanter passus sit. O filii, inquit S. Hieronymus, *imitamini filium Machabæorum, qui matri suadenti mortem obediit, et durum imperium gratanter agressus est (de honorand. parent.)*. O filii, quamquam parentes mortem pro Dei gloria obire præcipiant, eis obedire quemque oporteret, sicut ille Machabæus: iis saltem obtemperato, cum minus dura pro Dei gloria adimplere jubent: eis obedite, cum prohibent, ne improborum consortio vos immisceatis; et cum sacris adstare, nec non alia quæ ad pietatem et ad Dei gloriam spectant, pericere imperant. *Insuper filii parentibus obedire tenentur in his quæ ad salutem spectant.*

2. *Filii*, inquit D. Paulus, *obedite parentibus per omnia*; seu, ut explicat Alexander Alensis, *per omnia quæ honesta sunt, et salutis vestræ consona*. Si parentes saluti contraria præcipiant: si v. g. Deo pœnum ad statum religiosum vocante, prohiberent parentes, non eis obtemperare teneretur filius;

quin potius eos in monasterii foribus obvios conculcare deberet, ut Deo vocanti obediret: *si pater in limine jaceat: si mater ubera quibus te lactavit, ostendat; per calcatum perge patrem, per calcatum perge matrem et ad vexillum crucis evola* (s. Hier. ep. *ad Heliod.*). Sic loquitur S. Hieronymus, ejus verbis exponi potest locus ille sacræ Scripturæ, quo jubet Christus, ut parentes odio habeamus, declarans discipulum suum esse non posse eum, qui parentes non odit: *qui non odit patrem suum et matrem, non potest meus esse discipulus* (Luc. 14, 26). Vult enim Christus Dominus, ut parentibus non obediamus, sed potius eos odio habeamus et tamquam inimicos inspicimus, cum contraria salutis precipiunt; ipsis vero obtemperare tenemur, cum quæ salutis nostræ prosunt, imperant: *debemus*, ait Doctor Seraphicus, *obtemperare parentibus in exercitatione actuum virtuosorum sive salubrium*. Vult Deus, ut quisque, quantum fas erit, proximi salutis consulat: *mandavit unicuique de proximo suo* (Eccli. 17); hæc cura parentibus potissimum incumbit respectu filiorum, quorum salutis invigilare tenentur, ac animæ illorum Deo rationem reddere: ideoque cum ad hoc teneantur parentes, tenentur et filii iis obedire in iis quæ profectus spiritualis et salutis suæ sunt. Nec minore studio illis obedire tenentur in his, quæ ad œconomiam seu ad rei familiaris administrationem pertinent.

3. Parentes sunt filiorum suorum superiores et quasi prælati, quibus quasi superioribus et prælatis obedire debent filii. Non minus se extendit obedientiæ debitum in filiis, quam jus prælationis in parentibus. *Ad illa*, inquit Doctor Angelicus, *se extendit debitum obedientiæ, ad quæ se extendit jus prælationis*; jus autem prælationis in parentibus se extendit ad rei familiaris administrationem; etenim, ut ait idem Doctor Angelicus, paterfamilias est in domo, *sicut rex in regno*, et ideo sicut omnes regi subjecti ei obedire tenentur in his, quæ ad civilem regni administrationem spectant; ita et filii parentibus obedire tenentur in his, quæ ad rei familiaris administrationem attinent. Obedire debemus, inquit Alexander

Alensis, prelati ecclesiastici, magistratibus et parantibus: *prelati* quidem, cum nonnulla festa celebrare, crimina a reis perpetrata sub excommunicationis poma revelare, et alia quae juri eorum spirituali subsunt, facere præcipiunt. *Magistratibus*, in his quae ad civilem et politicam disciplinam attinent. *Parentibus* vero, in his quae ad domesticam disciplinam et rei familiaris administrationem spectant. Quod et confirmat Doctor Seraphicus, dicens: *debemus obtemperare parentibus in dispensationibus temporalium*. Et revera si famuli dominis obedire teneantur, quia quaedam ab eis emolumenta percipiunt, cur parentibus obedire non teneantur filii, qui ab eis omne quod sunt, et omne quod habent, acceptent? Eis quidem obedire tenentur, nec lex aliqua inveniri potest, nec ratio quaedam adduci, qua a tali debito solvantur. Attamen quot filii et filiae parentibus obedire recusant? Quot sunt, qui inordinata duce passione contra parentum voluntatem nubunt? Quot habentur qui mandata eorum violant, sive ad Dei gloriam, sive ad propriam salutem, sive ad rei familiaris administrationem pertineant? O filii, parentibus obedite in his quae Dei sunt, quae vestrae salutis sunt, et quae regimen domesticum attingunt. Scitote, filii, quod omnis potestas a Deo est, et quod necesse est, omnem hominem potestati superiori subditum esse: *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit* (Rom. 13. 1): ideo cum Deus vos parentum potestati subdidit, eis obtemperetis necesse est. O filii, diabolo, pravis propensionibus, tentationibus, et peccato resistite: verum parentibus cavete ne obsistatis, quin contra eis fideliter et humiliter obedire satagite. *Demum, filii, debent parentes amare.*

III PARS.

Filii parentibus debent amorem.

Deo primum cordis et amoris nostri debitores sumus; post Deum nullus est, quem ita diligere debeamus ut parentes nostros: *post Deum omnium Patrem, pater magis est diligendus* (S. Hier. comm. in c. 42 Ezech.). Norunt omnes, quod

filii ad parentes amandos teneantur *tum* ratione naturali, quae hoc dicat: *tum ipsa natura*, quae ad hoc inclinat: *tum* exemplo Christi, qui Josephum et Mariam summo amore prosecutus est: *tum* tandem lege divina, quae eos ad parentum amorem adstringit. Ut autem filios ad parentes diligendos indueam, velim solummodo, ut inspiciant, quantus in ipsos fuerit parentum amor. Parentes enim eos amaverunt amore ardenti, patienti et benefico: vicissim filii, penitus humanitatis sensum exnerint, parentibus reddere debent amorem, eosque redamare tenentur 1. amore ardenti; 2. amore patienti; 3. amore benefico.

1. Probe adnotavit Alexander Alensis, nullam unquam ab hominibus legem fuisse factam, qua ad diligendos filios parentes adstringerentur. Haec enim lex inutilis fuisset, cum parentes ex nativa propensione tam ardenti filios prosequantur amore, ut nullum affectum illo ardentem lex judicet: *Nullus affectus vincit paternum, nec etiam maternum* (L. cum furiosus, c. de cur. fur.). Quanto fervore filii a parentibus diligantur, patet ex hoc, quod saepe filios magis quam seipsum diligant: parentes enim persepe videmus, qui ob filiorum amorem, quiete sibi necessaria, omni humano solatio, mundi voluptatibus, ac etiam iis quae ad victum requiruntur, se privant ac sui quaeque obliviscuntur. O quam fervidus hic parentum in filios amor. Quem adhuc ardentem agnosco ex hoc quod nonnumquam morti adjudicari optarent parentes, ut filios a morte liberarent. Cujus rei aeterna dignum memoria exemplum nobis sacre suppeditant paginae in rege Davide. Norunt omnes quod illum dire insectatus esset ingratus filius Absalon: cum tamen benignus ille pater audivit, occisum fuisse Absalon, torrentem profudit lacrymarum, clamans: *filii mi Absalon; Absalon filii mi: quis mihi iribuat, ut ego moriar pro te!* (2 Reg. 18, 33). Mori optasset David, ut filium a morte liberaret: quod et multi alii patres faciunt, qui mori cuperent, ut filios a morte praeservarent. O quam ardentem a parentibus diligantur filii! Quo quidem amore allici debent ad illos fervide redamandos et ad illis vicem reddendam: *filii, parentes redde amoris vicem: sitque tibi grata vita ipsorum,*

quibus charior est vita tua, quam propria (S. Hier., de hon. par.). Amor, ut ait philosophorum princeps, debet esse reciprocus: ideo cum parentes diligant filios amore ardenti, debent et filii eos amare amore ardenti. Ad hæc filii debent etiam amare parentes amore patiente, quia parentes eos amant amore patiente.

2. Qui bene amat, gravia pro persona amata libenter patitur: quia veri amoris character est, quod sit patiens: *charitas patiens est* (1 Cor. 13, 4). Præclaro autem hoc characterè fulget parentum in filios amor, quos amant amore patienti: quanta enim in filiis et propter filios patiuntur parentes? Quanta passa est mater tua cum te peperit, cum te nutrit? Quanta passus est pater tuus, ut te doceret, ut te educaret, ut facultates tibi compararet? Quot vigilias, quot labores, quot dolores uterque perpressus est, ut te in hoc mundo felicem redderet? Nullus ignorat, quam multa et quam gravia ob filiorum amorem pati soleant parentes. Propterea filii, omnino ingrati nisi sint, parentes reclamare debent amore patiente, eisque vicem rependere teneatur. Accepta a parentibus amoris testimonia filii retribuere debent: *retribue illis, quomodo et illi tibi* (Eccli. 7, 30). Cum igitur parentes multa ob amorem filiorum passi sint, filii etiam suos amore patienti debent diligere parentes, ac quæcumque dura ab illis et propter illos perpeti. Quid enim magis insanum, iniquum magis, quam quod filius in parentibus et a parentibus nihili perferre velit? O filii, ne obliviscamini gravia quæque a parentibus perferenda in spiritu lenitatis et charitatis: hoc est debitum, quod ab infantia contraxistis. Cum enim hi tunc infirmitates vestras æquo animo passi sint, debetis et vos eis rependere vicem. Sicut infantie vestre infirmitates hi perpressi sunt, ita et senectutis eorum incommoda patienter vos perferre debetis: *foveatur parentum senectus et factis eorum vicissitudo reddatur* (S. Hier. ib.). De Ciconiis refert S. Ambrosius, quod parentes senes, nec volare valentes, in nido nutrant, eosque pennis nudatos, tegmine alarum suarum dulciter foveant. Ab irrationabilibus hisce animalibus discite, filii, parentibus senio confectis subvenire, eos fovere, eorumque tum animi, tum cor-

poris infirmitates in spiritu charitatis perferre. Eos amore patiente diligite, sicut et hi amore patiente dilexerunt vos. Simul etiam filii debeant parentes amare amore benefico, quia *parentes amore eos benefico amaverunt*.

3. Quis dicat quanta amoris beneficiâ filii impendant parentes? Quia non faciunt matres ut eos primis vite diebus et annis alant, et ab omnibus temporum injuriis incolumes custodiant? Quid non patres ut eis acquirant, quo nutrantur grandiores facti, et quo in sæculo feliciter vivant? Quid non agunt et patres et matres, ut eis bene sit, et ut eos honoribus et fortunæ bonis amplificent? Nunquam satis dici possent, quot beneficiis parentes filios suos afficiant. Filii autem tot ab his beneficiis percipientes, illos amore benefico diligere debent, iisque amoris beneficii vicem rependere teneatur. Non si vult Christus, ut amore benefico diligamus inimicos; *benefacite his qui oderunt vos* (Mat. 5, 44), quanto magis vult, ut filii diligant parentes, a quibus tot amoris testimonia, totque beneficiâ perceperunt? *Easote filii quod debes*, inquit S. Hieronymus: quia parentes dilexerunt te amore benefico, debes eos et amore benefico diligere. Hoc debitum vere solvit quadam filia, de qua Plinius refert, quod *supplicii causa carceri inclusam matrem, cum impetrasset aditum a janitore, semper excussa, ne quid inferret cibi, deprehensa est uberibus suis aletis. Quo miraculo matri donata salus filie pietate est*. Hoc debitum solvit filia Cimonis Ducis, quæ, ut narrat Valerius Maximus, patrem consimili fortuna affectum, parique custodiæ traditum, jam ultimæ senectutis velut infantem pectori suo admotum aluit. Hoc debitum solvunt et omnes pii filii: hi enim erga parentes se beneficos præbent, sicut et erga ipsos benefico existere parentes. Quot tamen inhumanos et ingratos filios reperire est, qui parentes amore ardente, patiente et benefico non amant! Multi quidem eos amore ardente non amant; quin contra, frigide eos alloquuntur, frigide eos salutant, ut sæpe plura amoris sui testimonia uni famulo, imo et uni cani exhibeant, quam parentibus. Multi etiam amore patiente parentes non amant; quin contra, nec unicum debite correctionis

verbum audire, nec minimum incommodi ab his perpeti volunt. Multi tandem eos amore benefico non prosequuntur; quin contra, beneficia de necessitate salutis debita eis solvere recusant. O filii, audite Spiritum Sanctum, qui vos parricidas vocat, cum parentibus necessaria subtrahitis: *qui subtrahit aliquid a patre suo et a matre, et dicit hoc non esse peccatum, homicida est* (Prov. 28, 24). O filii, qui parentes, ut famulos alitis, quique eis debita officia non impenditis, audite Spiritum Sanctum ore sanctorum Patrum Concilii III Turonensis dicentem: *ad se pertinentes non alere et vegetare, impium est et Deo odibile*. O quot impii filii! o quot ingrati filii, qui patres induunt ut famulos, nutriunt ut canes! o quot inhumani filii, qui quidem parentes senes non jugulant, ut facere solebant populi quidem barbari, de quibus D. Hieronymus: erga illos tamen ita dire et crudeliter se habent, ut non eos vivere patiantur, sed continue mori cogant! O filii, si quid adhuc vobis humanitatis superest, parentes humiliter honorate, iis obedite, eos diligite. Hoc si prastetis, debita eis officia impenditis; et Deus debitam filiis parentes religiose colentibus mercedem in celo vobis tribuet. Amen.

DOMINICA DECIMASEXTA POST PENTECOSTEN.

DE AMBITIONE.

*Cum incitatus fueris ad nuptias, non discumbas
in primo loco* (Luc. 14, 8).

Ambitionis virus ubique se diffundit, per omnia officia et gradus discurrit; neque solum magnates, qui aulas regias sequuntur, verum et sacerdotes, qui Dei obsequio consecrantur: imo et claustrales qui monasteriorum septis clauduntur, toxicat, et veneno suo nonnunquam interimit: *ambitionis vitium*

singulos occupat. Pessimum illud vitium in caelum olim ascenderat, ubi fastu ambitioso deliquerunt angeli. A caelo in paradysum terrestrem descendit, ubi protoparentes ambitiose divinitatis similitudinem appetiere: nunc totum per orbem diffusa est ambitio, quae non solum in regum, principum et aliorum magnatum cordibus residet, verum et in clericorum, monachorumque sicut aliquando dormitat: ibi sub umbra recubat, et sub vilibus vestibus se fraudulenter occultat. O infelix seculum, in quo tam regulares, quam seculares primum locum ambiunt, ac altioribus dignitatibus inhiant! et quod pejus est, in quo tam mali et indigni, quam boni et digni ad eas stulose anhelant: *ad dignitates*, inquit D. Eucherius Lugdunensis Antistes, *promiscue cum bonis mali ambitione conscendunt*. Ut tam subtili, tam exitioso, tamque universali malo occurramus viros ambitiosos nunc insectabimur. Ave.

Homo ambitiosus se prudentem credit, se justum arbitrat, seque felicem aspicitur. *Se prudentem*, alisque prudentiorem et sapienterem credit, et ideo iis praferri et praefici cupit. *Se justum*, alisque sanctiorem arbitrat, ed ideo iis praesse, et in virtutis exemplum proponi optat. *Se felicem* aspicitur, solum dignitates assequi possit, et ideo ad eas tanquam ad felicitatis suae complementum adspirat et anhelat. Haec sane sunt hominis ambitiosi cogitationes, qui tamen plurimum fallitur. *In eo* enim nulla est prudentia: aut si quaedam in illo sit, non quidem haec christiana et spiritualis, sed carnis et sanguinis prudentia est. *In eo* etiam si qua virtus et sanctitas, non vera et realis haec est, sed ficta solum et apparens. *In eo* tandem si quae sit felicitas, non solida et firma haec est, at solum imaginaria et transitoria. Haec omnia patebunt, cum probaverimus, virum ambitiosum non prudentem esse, sed stultum; non esse justum, sed malignum; non esse felicem, sed miserum et infelicem. Homo ambitiosus 1. stultus est; 2. malignus est; 3. infelix est.

verbum audire, nec minimum incommodi ab his perpeti volunt. Multi tandem eos amore benefico non prosequuntur; quin contra, beneficia de necessitate salutis debita eis solvere recusant. O filii, audite Spiritum Sanctum, qui vos parricidas vocat, cum parentibus necessaria subtrahitis: *qui subtrahit aliquid a patre suo et a matre, et dicit hoc non esse peccatum, homicida est* (Prov. 28, 24). O filii, qui parentes, ut famulos alitis, quique eis debita officia non impenditis, audite Spiritum Sanctum ore sanctorum Patrum Concilii III Turonensis dicentem: *ad se pertinentes non alere et vegetare, impium est et Deo odibile*. O quot impii filii! o quot ingrati filii, qui patres induunt ut famulos, nutriunt ut canes! o quot inhumani filii, qui quidem parentes senes non jugulant, ut facere solebant populi quidem barbari, de quibus D. Hieronymus: erga illos tamen ita dire et crudeliter se habent, ut non eos vivere patiantur, sed continue mori cogant! O filii, si quid adhuc vobis humanitatis superest, parentes humiliter honorate, iis obedite, eos diligite. Hoc si prastetis, debita eis officia impenditis; et Deus debitam filiis parentes religiose colentibus mercedem in celo vobis tribuet. Amen.

DOMINICA DECIMASEXTA POST PENTECOSTEN.

DE AMBITIONE.

*Cum incitatus fueris ad nuptias, non discumbas
in primo loco* (Luc. 14, 8).

Ambitionis virus ubique se diffundit, per omnia officia et gradus discurrit; neque solum magnates, qui aulas regias sequuntur, verum et sacerdotes, qui Dei obsequio consecrantur: imo et claustrales qui monasteriorum septis clauduntur, toxicat, et veneno suo nonnunquam interimit: *ambitionis vitium*

singulos occupat. Pessimum illud vitium in caelum olim ascenderat, ubi fastu ambitioso deliquerunt angeli. A caelo in paradysum terrestrem descendit, ubi protoparentes ambitiose divinitatis similitudinem appetiere: nunc totum per orbem diffusa est ambitio, quae non solum in regum, principum et aliorum magnatum cordibus residet, verum et in clericorum, monachorumque sicut aliquando dormitat: ibi sub umbra recubat, et sub vilibus vestibus se fraudulenter occultat. O infelix seculum, in quo tam regulares, quam seculares primum locum ambiunt, ac altioribus dignitatibus inhiant! et quod pejus est, in quo tam mali et indigni, quam boni et digni ad eas stulose anhelant: *ad dignitates*, inquit D. Eucherius Lugdunensis Antistes, *promiscue cum bonis mali ambitione conscendunt*. Ut tam subtili, tam exitioso, tamque universali malo occurramus viros ambitiosos nunc insectabimur. Ave.

Homo ambitiosus se prudentem credit, se justum arbitrat, seque felicem aspicitur. *Se prudentem*, alisque prudentiorem et sapienterem credit, et ideo iis praferri et praefici cupit. *Se justum*, alisque sanctiorem arbitrat, ed ideo iis praesse, et in virtutis exemplum proponi optat. *Se felicem* aspicitur, solum dignitates assequi possit, et ideo ad eas tanquam ad felicitatis suae complementum adspirat et anhelat. Haec sane sunt hominis ambitiosi cogitationes, qui tamen plurimum fallitur. *In eo* enim nulla est prudentia: aut si quaedam in illo sit, non quidem haec christiana et spiritualis, sed carnis et sanguinis prudentia est. *In eo* etiam si qua virtus et sanctitas, non vera et realis haec est, sed ficta solum et apparens. *In eo* tandem si quae sit felicitas, non solida et firma haec est, at solum imaginaria et transitoria. Haec omnia patebunt, cum probaverimus, virum ambitiosum non prudentem esse, sed stultum; non esse justum, sed malignum; non esse felicem, sed miserum et infelicem. Homo ambitiosus 1. stultus est; 2. malignus est; 3. infelix est.

I PARS.

Homo ambitiosus stultus est.

Omnis peccator stultus et rationis expertus est: nam Deum suum, cui omnis debetur honor, criminibus suis offendit. At inter hos stultos, quorum infinitus est numerus, non ultimum locum tenet vir ambitiosus, qui cum se prudentem et sapientissimum arbitretur, revera tamen insipiens et stultus est, ac ita fatuus, ut 1. pondus dignitatum non sentiat; 2. terrenas celestibus dignitates præponat; 3. Deum præire contendat.

1. Plurima stultitiæ et fatuitatis suæ signa edit vir ambitiosus: inter quæ illud adnotavit Doctor mellifluus, quod dignitatum pondus non sentiat, ac semper magis et magis onerari appetat: *videmus illos qui jam proprios humeros cupite sarcine submiserunt, non solum non genere tanquam sub onere, sed insuper appetere plus onerari* (ep. 42 ad Henr.). Ex mente D. Bernardi et omnium Doctorum, quolibet beneficium, quælibet prælatura, et quævis dignitas est onus portandum ab illo qui eam exeret, totque onera portat, quot dignitates possidet: homo autem ambitiosus præ cordis duritia et animi stultitia hæc onera non sentit: et quo magis beneficiis et dignitatibus oneratur, eo magis iis onerari cupit. Cum habet unam præbendam, quam ob imperitiam suam vix portare valet, hoc onus suis humeris importabile deponere non satagit; potius alia et alia lucæ similia, imo et graviora sine numero et sine fine semper appetit. Cum evectus est ad aliquam dignitatem, vel ad aliquod beneficium curatum, cuius munia obire non valet, hoc pondere non se exonerat, aliud et aliud etiam gravius, idque sæpe per fas et nefas obtinere satagit. Non gemit sub onere beneficiorum et dignitatum, semper appetit plus onerari. O quam magna hæc est hominis ambitiosus stultitia! Nonne omnium iudicio stultissimus censeretur, qui grave onus, quo opprimeretur, nullatenus deponere vellet, atque iterum aliis

multis sarcinis, iisque longe gravioribus, onerari appeteret? Is quidem omnis expertus rationis ac stultus judicaretur. Talis autem est hominis ambitiosus stultitia: cum enim aliqui gravatur dignitate jam satis humeris ejus importabili, tantum abest, ut illud onus deponat; quin aliis et aliis in infinitum onerari optat: *non gemit sub onere, sed insuper appetit plus onerari*. Ecce magnam hominis ambitiosus stultitiam; qui etiam stultus est, *quia magis parvas hujus mundi, quam magnas et æternas cæli dignitates ambit.*

2. Honores, deliciae, dignitates et omnia hujus mundi bona nihil pendenda sunt respectu celestium et æternorum; et qui æternis terrena anteponit, mente captus est et insanus: *animus nullo modo sanus existimandus est, qui temporalibus æterna postponit* (Aug. ep. 121 ad Probam). Talis autem est fatuitas et insaniam hominis ambitiosus, qui speretis inæstimabilibus cæli dignitatibus, terrenis inhiat, istasque aliis longe præponit. Unde illum cæcum et stultum D. Bernardus merito nuncupat, dicens: *o cæca ambitio, magis imis, quam summis dignitatibus delectaris* (ep. 78). Certum est, quod sicut in domo Dei mansiones multe sunt, ita et in ea throni sunt multi, dignitatesque multe et diversæ. Quisque in cælo honoratur juxta propria merita, et dignitate meritis suis conformi quisque præmiatur: minima tamen et ultima paradisi dignitas, regias, imperatorias et maximas quasque hujus sæculi dignitates in infinitum excedit, *tum* quia cæli dignitates constantes sunt et æternæ: *tum* quia omnis laboris, periculi et anxietatis sunt expertes: *tum* quia gaudium sine merore, quietem sine labore, consolationem sine afflictione conferunt, et hominem in statu felicitatis et beatitudinis æternæ constituunt. Hujus verò mundi dignitates sunt vanæ, labiles, fluxæ, caducæ, ærumnose et ad innumera pericula, imò ad peccata multa, ac sæpe ad æternas miseras trahunt. Quis ergo non censet stultum virum ambitiosum, qui, contemptis cæli dignitatibus, terrenas venatur, ad eas anhelat, iis inhiat, sollicitè illas inquirat, et magis nostris, quam cælium dignitatibus delectatur, ac ut loquitur Chrysologus, *parvis incubans, perdit magna, et in-*

hians temporalibus, deserit sempiterna? O magnam hominis ambitiosi stultitiam, quæ magis adhuc patet eo quod Deum, quo nil majus, nilque dignius esse et excogitari potest, præire contendat.

3. Pugnatorum cum leone Lysimachus, non ensibus et hastis armatus adversus eum incescit, sed pulvarem, quo erat munitus, oculis ejus injiciens, eum obcæcavit et facile debellavit. Ad eandem plane modum astutus satanas, ut de ambitiosis triumphet, non assumit tormenta bellica, nec alia militiæ nostræ arma; vanitatum et dignitatum sæculi pulvorem oculis eorum injiciens, eos ita mente excæcat, ut non solum Deo similes esse appetant, verum et ipsam Deum præire contendant. Non solum dicunt cum Lucifero, *similis ero Altissimo*; imo tam insanunt, ut Deum, quo nihil altius et majus esse potest, præire appetant: enimvero ait D. Bernardus, *quoties hominibus præesse desidero, toties Deum meum præire contendo; de ipso namque dictum est: et erat subditus illis* (ho. 1 *super Miss.*). Christus Dominus, qui est Deus immensa majestatis, hic in terris noloit præesse at subesse; non appetit dominari, sed subijci, *non venit ministrari, sed ministrare* (Matt. 20, 28); et tu, o vir ambitiose, nominari, ministrari, et summo affectu præesse cupis? Deus tuus vult subijci, et tu dominari ambis? Dominus tuus ministrare venit, et tu ministrari inquiris? ille subesse optat, ac revera subest, et tu præesse desideras? Deum ergo tuum tibi postponis, illo altius ascendere conaris, illumque antecedere contendis: *quoties hominibus præesse desidero, toties Deum meum præire contendo*. O portentosas hominum ambitiosorum stultitiam! E converso quam sapientes sunt, qui imitantur Christum, qui verbo et exemplo docet honores fugere, et humilitatem sectari. De Christo ait Evangelista, quod Mariæ et Josepho erat subditus: *et erat subditus illis*. Quem locum sic expendit Bernardus: *erat subditus illis: quis? quibus? Deus hominibus: Deus, inquam, cui angeli subditi sunt, cui principatus et potestates obediunt, subditus erat Mariæ: nec tantum Mariæ, sed etiam Josepho. Mirare utrumlibet*. Hoc sane mirandum est. Jamvero, ut

subdit idem Doctor, hoc exemplo moveri quisque debet, non ad ambiendas dignitates, sed ad alios obtemperandum: *disce, homo, obedire; disce terra, subijci; disce, pulvis, obtemperare. De autore tuo loquens Evangelista, ait, quod erat subditus Mariæ et Josepho: erubescere, superbe; Deus se humiliat, et tu te exaltas? Deus se hominibus subdit, et tu dominari gestiens hominibus, tuo te præponis auctori? Erubescere, o ambitiose: hunc ambitiosus spiritum in temetipso extingue; Christum imitare, et ne in posterum ita desipias, ut ad sæculi dignitates sublimari ambias. Dum autem viri ambitiosi stultitiam suam produnt, se quoque malignos ostendunt.*

II PARS.

Homo ambitiosus malignus est.

Ambitio, cum sit appetitus inordinatus honorum et dignitatum, est semper mala, Deo displicens et criminosa, ejusque malitiam perspicue delineavit Doctor mellifluus, dicens, quod *ambitio est doli artefacta, mater hypocrisis, licoris parens, vitiorum origo et criminum fomes* (in Ps. *qui habitat*, 6). Ex quo quisque facile auspicari potest, quam malignus sit vir ambitiosus; ego autem tripliciter ejus iniquitatem detego, nempe ex eo quod 1. fraudulentus sit et dolosus; 2. ferox et crudelis; 3. audax et impudens ad omne malum.

1. Ambitiosi similes sunt Romulo, de quo Tertullianus ait, quod ad Romanorum imperium *ascendit mendacii scalis*; ipsi pariter fraudibus et mendaciis ad honores et dignitates ascendere conserverunt. Unde V. Beda, explicans hæc libri Proverbiorum verba, *non inveniet fraudulentum lucrum*; per *fraudentum* intelligit hominem ambitiosum, qui ut honores et dignitates assequatur, innumeris dolis et fraudibus utitur. Varias hominis ambitiosi fraudes recensent sancti Patres. D. Cyprianus ait, quod ambitiosus hostem suum aliquando flicte et dolose adorat, ut vel eum occidat, vel ei dominari valeat: *suos etiam ho-*

stes ambitiosus adorare simulat fraudulentem, ut incautos occidat, eisque dominetur (ep. 2 ad Donat.). D. Bernardus dicit, quod cum ambitiosus dignitatem aliquam obtinere desiderant, blanditiis, flecta benevolentia, variisque fallacis amicitiae signis eam acquirere conantur: postquam vero illam adepti sunt, timore sibi subiciunt, quos antea amore allexerant: *cum honorem adipisci desiderant, ceteros sibi prius per amorem acquirunt; cum vero adepti fuerint, elati potestate, eos ipsos per timorem sibi postmodum subiciunt, quibus prius privati, non terrorem, sed amorem exhibuerant* (serm. 3 ex paro.). Aliam viri ambitiosus artem et fraudem aperit S. Ambrosius, dicens, quod fraudulentem se humiliat, seque palam omnium dignitatum indignum profitetur, ut simulata hac humilitate, honore dignus videatur et dignitatem quam ambit, assequatur: *curcatur obsequio, ut honore donetur; et dum vult esse sublimior, fit demissior* (in Luc. 4, 4). Ecce aliquis hominis ambitiosus fraudes et astutias; huius autem vulpis ingenium et dolos mirabiliter delineat S. Pontifex Innocentius, dicens, quod nulla est forma, nulla figura, quam non induat ambitiosus, ut votorum suorum finem consequatur et ad praeminentias subleuetur. *In hunc finem, inquit, humilitatem simulat, honestatem mentitur; affabilitatem exhibet, benignitatem ostendit, subsequitur et obsequitur. Cunctos honorat, universis inclinat, frequentat curias, visitat optimates, assurgit et amplectatur, applaudit et adulatur. Promptus est et ferocis, ubi placere cognovit; remissus et tepidus, ubi putaverit displicere. Improbat mala, detestatur iniqua, alia cum aliis probat et improbat, ut iudicetur idoneus, ut reputetur acceptus, ut laudetur ab omnibus, ut a singulis approbetur* (de cont. mund. 3, 26). O pessimas viri ambitiosus fraudes! Oh quanta iniquitas in illo, qui simul fraudulentus et dolosus, ac etiam ferox est et crudelis.

2. Quod patet in *Romulo*, qui Remum fratrem suum occidit, ut solus potiretur regno: in *Abimelech*, qui ut majore cum potestate et libertate regnaret, et populo dominaretur, septuaginta fratres interemit: in *Athalia*, Ochoziae matre, quae ut regnum adipisceretur, interfecit omne semen regium: et in

altis innumeris ambitiosis, qui per caedes et mortes ad altos dignitatum gradus conscenderunt. Unde praclare dixit Cryostomus, ambitionem homines in feroces et crudeles belluas transformare. *Amor principatus, ut homo fera esset, effecit* (in Ps. 7), ambitio enim ferinam indolem et crudelitatis belluinae mores ambitionis infundit. Imo et ambitiosus ipsis brutis animantibus finit crudeliores; illa siquidem progenitores suos non occidunt, ambitiosus vero dominandi libidine moti, propriis parentibus nonnumquam necem machinantur, et eos a quibus esse et vitam accipere, crudeliter interficiunt; *ubi solatium patres et progenitores invenire debent, inveniunt mortem; cum bruta pecudes pietatis in parentes jura conservent* (Cryost. hom. de Absol.). In huius rei exempla adduci possent, *Tullia*, quae patris corpus equorum pedibus conculcans, ad solium ascendit; et *Abalon*, qui in patrem suum David insurrexit, ut illum a throno destitueret, regnumque solium intraderet. Herodem et Judam, tamquam horrenda hujusce crudelitatis exempla, hic solum adducam; hi siquidem adversus Christum Dominum, patrem et creatorem suum, impudenter insurrexerunt, eique mortem moliti sunt. De Herode sacrum testatur Evangelium, quod odio et regnandi cupiditate ductus, Christum puerum adhuc in cunis vagientem occidere et perdere conatus sit: *futurum est enim, ut Herodes querat puerum ad perdendum eum* (Matt. 2). De Juda etiam certum est, quod Christum prodiderit: unde ei animus prodendi et perdendi magistrum? Ex ambitione. Et ideo postquam revelavit Christus, se ab uno ex discipulis prodendum, mox ab invicem petierunt apostoli, *quis eorum videretur esse major* (Luc. 22). Petierunt hi, quis ex eis honores et dignitates ambirot, scientes, quod nonnisi vir ambitiosus Christum prodere, eique mortem moliri posset; et quod illa futurus esset Christi proditor, qui inter illos erat ambitiosus; *arbitrati sunt, ait Augustinus, quod ille qui major esse appetit, ut dominari possit, magistrum prodere procurat* (serm. ad fr. de er.). Ille autem ambitiosus, qui Christum prodidit et morti tradidit, fuit Judas. Ad haec quis hominis ambitiosus crudelitatem non horreat? Quis eum iniquum non fateatur? Iniquus qui-

dem est, cum sit fraudulentus et crudelis; atque iniquiorem adhuc se prodit, *cum sit audax et impudens ad omne malum.*

3. D. Bernardus hominis ambitiosi intolerabilem iudicat impudentiam, quia inflatur et intumescit, dum Christus, cuius majestas est infinita, se humiliat et exinanit; *intolerabilis impudentia est, ubi se exinanivit majestas, vermiculus inflatur et intumescat* (serm. in Nat. Dom.). Hominis ambitiosi impudentia est etiam magna, quia audax est et impudens ad omne malum perpetrandum: cum enim ei dominatur appetitus dominandi, pietatis, religionis, et omnis virtutis obliviscitur, omnia audenter subit pericula et omnia perpetrat peccata, ut ascendat superius, et dignitates majores assequatur; *propter ambitionem paratos eos videas, omnia pericula subire, suscitare scandala, sustinere odia, dissimulare opprobria, negligere maledicta.* Quod præclare docet nos Spiritus Sanctus, cum ambitiosos illos homines vocat, *fluctus feri maris, despumantes suas confusiones* (Ep. Jud. 3) Sicut enim irati maris fluctus spurcitiis quaslibet evomunt, et in litus magno cum fragore projiciunt, ita hominis ambitiosi cor passionum multarum fluctibus agitato audent iridiam, vindictam, sacrilegia et plurima alia evomit scelera, ac in sui ipsius confusionem impudenter simonias perpetrat, in iras erumpit, fraudes molitur, insidias parat, hypocrisis plures decipit, et infanda quævis crimina ad assequendas dignitates perpetrat. O infandam ambitiosi malitiam! o quam iniqui viri ambitiosi! Iniqui sane, cum fraudulentis, crudelibus, ac ad omne malum audentes et impudentes evadant. Ambitionem ergo exhorrescite, fugite et procula vobis pellite. Intra vosmetipsos dicite; homo ambitiosus ita scelestus est, ut fraudibus multis in altum ascendere conetur; ita iniquus, ut crudelitate sua viam ad dignitates sæpe sibi sternat; ita tandem malignus est, ut impudenter ad quodcumque malum et ad quævis peccata declinet; ideo ab ambitionis vitio summopere cavendum. Quisque autem prudens ab ea sibi suadet abstinendum, *quia viri ambitiosi sunt infelices et miseri.*

III PARS.

Homo ambitiosus infelix est.

Divites avaros Doctor Mellifluus semper infelices arbitrat, et antequam divitias acquirat, et cum eas possident, et cum illas amittunt, quia scilicet *divitiae cum labore acquiruntur, cum timore possidentur, cum dolore amittuntur.* Non dissimili modo viri ambitiosi semper miseri et infelices censendi sunt 1. antequam dignitates assequantur; 2. cum eas possident; 3. cum eas amittunt.

1. Antequam dignitates assequatur vir ambitiosus, tanto cordis affectu ad eas anhelat, ut vix sufficientem somnum capere queat. Tunc coangustatur cor ejus vili illa dominandi passione; tunc innumeris agitatur curis et suspicionibus; tunc sollicitudinibus, timoribus et angustiis mens ejus turbatur; tunc semper timet, ne aliquid dicat, vel agat, quod oculis hominum valeat displicere; tunc tandem injurias, contumelias, repulsas, et quoscumque labores libenter patitur, ut quod ambit, obtinere possit: *glorie cupidus videmus, ut ad desiderata perveniant, soles, imbres, glacies, fluctus, et procellosissimas tempestates, aspera et incerta ballorum, immanium plagarum ictus, et vulnera horrenda calpabili voluntate perferre* (S. Avg. de patient.). O quam infelices ambitiosi, qui per tot labores ascendunt ad honores! Tanta eorum est infelicitas antequam dignitates assequantur, ut merito vanitatis et glorie martyres dici possint: non enim minus gravia sunt, quæ pro transitoria quadam dignitate obtinenda perferunt, quam quæ multi martyres pro æterna beatitudine adipiscenda passi sunt. Heu! quanta passi sunt Romani terra, marique, dum arma sua adversus externas gentes moverunt! Hi, non secus ac D. Paulus, fuerunt in itinibus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis

fratribus: in labore et arumna, in vigiliis multis, in fame et siti (2 Cor. 11, 26). Hi omnia hæc perpessi sunt, vitæque suam, honorem, et omnia fortune bona discrimini commiserunt, non ad alium finem, quam *ut magnum esset imperium* (Aug. de Cic. D. 10, 9). Hi pro volatice inanis gloriæ incremento, et pro dilatando imperio, dolores corporis, animi anxietates, pericula multa, et plures subiere labores quam ipsi martyres, qui fuso sanguine cælestia regna adepti sunt. Illis autem similes sunt plerique ambitiosi, qui ad vanos non ascendunt honores, nisi per angustias et labores; et ideo miserissimi, ideo infelicissimi: *miserissima omnino est ambitio, et honorum contentio* (Cic. de Off.). Ambitiosi infelices antequam dignitates assequantur, *infelices etiam sunt, cum eas possident*.

2. Suetat ambitiosus astutus satanas, quod si hanc vel illam dignitatem obtineant, ab omni labore et anxietate erunt liberi; aliis, nomine adversante, dominabuntur, profunda gaudebunt pace, et quæcumque desiderabilia possidebunt. At cum dignitatem aliquam assequuntur, infelices esse non desinunt; potius eorum mutatur et augetur sæpe infelicitas: *finis miseriarum non obtinetur, sed substantia mutatur*. Quod et ipsi ambitiosi multis experientis noverunt: plerique enim cum dignitates, quibus inhæbant, obtinuerunt, mox ad honoris et felicitatis culmen ascendisse arbitrantur; verum non multo post se infelices, miseros, aliis onerosos, sibi graves, totque miseris gravatos experiuntur, ut persepe dignitates accepisse, illos pœniteat; et si humani respectus vinculis, spiritu superbia, vel diabolica quadam fascinatione non detinerentur, iis se facile spoliarent, ut in novissimo loco recumberent. Ut enim ait Boetius, *dignitatum possessio est plena poenitentia*. Bonum vinum a sitiente avide desideratur; homini jam ebrio fastidium et nauseam parit: *eadem vina posteriori usu depretantur* (Tertull. de anim.). Simili modo dignitates ab ambitiosis ardentur desiderantur et sitiuntur; cum eas possident, earumque fumo et vanitate sunt inebriati, eas fastidiunt et parvipendunt. Antequam quis solum vel locum excelsum obtineat, in eo sibi omnatur pacem, quietem, et omnem felicitatem, dicitque in corde

suo: *in pace in idipsum dormiam et requiescam*; postea vero dignitatem quam ambiebat, assecutus labores, anxietates, amarissimam amaritudinem et miseriam sæpe invenit, ubi dulcedinem, pacem et felicitatem auspicatus erat. Unde non semel in corde suo dicit: *in pace amaritudo mea amarissima*. Denique viri ambitiosi infelices sunt, cum dignitates possident, *infelices etiam cum eas amittunt*.

3. Quandi viri ambitiosi dignitates possident, felices sunt simul et infelices: gaudent sæpe, flent sæpius, vita illorum bonis et malis, deliciis et mœroribus mixta decurrit. In morte autem, cum suas amittunt et relinquunt dignitates, omne gaudium, omnisque eorum cessat consolatior, et in cordis sui amaritudine ex hoc mundo exeunt: *Gaudent principes et dominantes in populo, et qui mundi obtinent dignitates, super dominio, honore et gloria quæ nascitur inde. Aderit quamprimum mors, et cessabit cum gloria gaudium* (S. Bern. in oct. Epiph. 4). Cum mortis eorum appropinquat hora, eorum et augetur miseria; et quo illorum fuit vita felicior, eo mors instat durior, quando voluptates et dignitates relinquendæ sunt: *multo violentior mors, quæ tunc mori offert, cum jucundius vivere est in exultatione, in honore, in voluptate* (Tertull. de an. 52). Mors quidem non terribilis, potius amabilis est et desiderabilis humilibus mancipiis, rusticis, et plebeis, qui modo omnium sunt peripsea; qui vivunt in fame et siti, in frigore et nuditate; quorum labores sunt continui, paupertas onerosa, conversatio rudis, et mores agrestes. E contra instante morte hominis ambitiosi supra illa sedentis; cum cadit a dignitate et a vita homo superbus, quem omnes colebant et venerabantur; cuique cuncti ridebant, adlabantur, applaudebant et obsequabantur; tunc dolor et tremor artus ejus invadunt; dolet propter dignitates quas amissurus est, et tremit propter durissimum iudicium quod subituras est. Tunc viri ambitiosi se infelicissimos arbitrantur propter honoris columnam quod ambierunt, et propter rationem quam supremo Judici de omnibus culpis in officiorum suorum exercitio commissis redditari sunt. Tunc dolentes et amara emittentes suspiria, clamant; o quam felices

fuere Antoinus, Paulus, et alii viri sancti, qui in locis solitariis inhabitaverunt! quam fortunati religiosi, qui humilem et abjectam pro Christo vitam sunt amplexi, dum nos miseri honorum culmen anima bibula et nimio affectu exquisivimus. Tunc optarent, silvas incoluisse cum solitariis, eremos habitasse cum anachoretis, intra foetentem latitasse tumulum cum Athanasio; ludibria, et opprobria pertulisse pro Christo cum innumeris viris sanctissimis. Tunc quilibet ambitiosus, nisi sit mente captus, hæc aut similia in corde suo verba proficeret, quæ Leo undecimus, instans morte, suo dixit confessario: *quam melius fuisset mihi, si monasterii, quam cæli clavem tenuissem!* Tunc tandem infelices se arbitrantur ambitiosi ex hoc, quod ad dignitates evecti fuerint, suamque deplorant infelicitatem cum Adriano sexto summo pontifice, qui illud sepulchro suo sculpti curavit epitaphium: *Adrianus sextus hic situs est, qui nihil sibi infelicius in vita, quam quod imperaret, dixit* (Plat. in vit. Pont.) (1). Et revera nihil infelicius homine ad dignitates evecto, cum, morte adveniente, omni felicitate mundique gloria spoliatur, et honores quos nimio studio exquisierat, amittit. Adhuc longe major erit hominis ambitiosus infelicitas, si antequam esset animam, ad Deum non convertatur; si illius placare non valeat iram, ejusque gratiam non obtineat. Itaque, viri ambitiosi, convertimini ad Dominum Deum vestrum, ut gratiam et gloriam obtineatis. Amen.

(1) Cum autem hi duo Pontifices nullo ambitiosus vitio Petri cathedram ascenderint, et maximis virtutibus toti Ecclesie effluerint, quæ ingenuè eos tam cito et vita ereptos, ideo eorum in morte suspiria, si quæ fuerint, potius ex humilitate et sancto Dei timore, quam ex conscientie angore propter dignitates adeptas, proficere credimus: idque ex eorum exemplo arguere licet: si ipsi timent, qui dignitates legitime obtinent et sancte assument, quanto magis, qui eas imprudenter vel inique ambiant et possident? N. R.

DOMINICA DECIMASEPTIMA POST PENTECOSTEN.

DE IGNE INFERNI.

Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur (Matt. 7, 19).

Sicut nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ preparavit Deus iis, qui diligunt illum, ita, inquit S. Chrysostomus, *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt tormenta, quæ offendentibus se preparavit Deus in inferno, qui est status omnium malorum aggregatione pessimus* (de rep. laps.). Ibi, ut ait Doctor Angelicus, *affligentur reprobi ab omnibus quatuor elementis: affligentur a terra, in cujus centro, veluti in teterrimo carcere æternum claudentur: ab aère, cujus pestiferus continuè afflabant odores: ab aqua, in qua intolerabile frigus perferent; ab igne, cujus ardoribus perpetuis cruciabuntur.* Gravissima quidem, quæ reprobi in inferno a quibuslibet elementis perpassuri sunt supplicia; at omnium tormentorum sensillum haud dubie majus est illud, quod ab igne patientur. Quid enim durius, quid acerbius, quam in medio voracium tartari flammarum in æternum manere, vivere, uri et cruciari? Hæc sane omnium sensibilibus poenarum est maxima: *summam ignium poenam.* O peccatores miseri, certi estote, quod hæc poena vos maneat in inferno, nisi in hoc mundo poenitentiam, et fructus æternæ vitæ dignos egeritis: *quia omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.* Ut formidandam tartarei ignis poenam quisque vitare satagat, qualis sit ille ignis, tota hac concione explicabo. Aæ.

Hic noster ignis, quo in hoc mundo utimur, et quem requirit usus vitæ humanæ, urit, devorat et torquet. Urit quidem, quia sicut proprium est aquæ refrigerare, ita et ignis proprium est urere. *Decorat* etiam, quia tanta vi in objecta

sibi corpora agit, ut ea facile destruat, et ea nonnumquam in sui naturam convertat. *Torquet tandem*, quia ex omnibus supplicii ad reos torquendos adinventis, nullum igne gravius, intolerabilius nullum. Ignem nostrum urere, devorare, et torquere fatentur omnes; ast velim, ut quisque advertat, quod si ignis noster urat, urendo lucet; si devoret, devorando consumit; torqueat, torquendo dat iis qui torquentur aliquid intermissionis, illosque cito torquere desinit, aut quia ignis extinguitur, aut quia illi extinguuntur et moriuntur. En qualis sit ignis, quo in hoc mundo utimur; ab hoc autem nostro igne haud parum differt ignis tartareus, de quo jam dicturi sumus. Verum quidem, quod ignis inferni non sicut ac noster, urat, devoret et torqueat, id vero probandum suscipio quod ignis inferni 1. *urit*, et non lucet; 2. *devorat*, et non consumit; 3. *torquet*, et torquere nunquam desinit. En tres hujus concionis partes, quibus qualis sit ignis inferni, clarissime constabit.

I PARS.

Ignis inferni urit, et non lucet.

1. Si verum sit, ut ait sanctus Anselmus, quod *ignis inferni sic istum materialem ignem vincit, ut iste pictum*; certo certius tartareus ignis, qui a Deo accensus est, ut in peccatores impios serviat, multo ardentius urit, quam noster iste ignis ad usum vite humane creatus. Et hoc clarissime docet sanctus Gregorius Magnus, dicens, ignem inferni non arte humana accendi, non patridis lignis nutriri, sed ex divine providentie ordinatione, in aeternum reprobos urere; *gehennæ ignis, ut in se missos reprobos exurat, nec studio humano succenditur, nec lignis nutritur; sed creatus, semper durat inextinguibilis* (Dial.). In hoc mundo, cum a justitia seculari reus quidam igni adju dicatur, ille qui rogam parat, homo est; in inferno vero non ab hominibus, verum a Deo paratur ignis ad comburendos reprobos, *nec studio humano*

succenditur. In hoc mundo ad comburendos reos, lignis uti solent carnicifex; in inferno autem accendit Deus ignem in furore suo, qui non lignis, sed Dei opera nutrietur, *nec lignis nutritur*. In hoc saeculo, cum quis in ignem comburendus injicitur, ignis non illum semper et in aeternum comburit; in inferno accensus a Deo ignis reprobos semper et in sempiternum comburet, *sed creatus semel durat inextinguibilis*. S. Chrysostomus, ut suadeat tartareo ignem nostro longe acrius et ardentius urere, ait in inferno esse ignis magnum mare: *reprobi, inquit, in ignis fluvium, atque pelagus intrudentur, pelagus impertransibile, atque magnitudine acerbissimum, in quo ignei fluctus instar montium eriguntur*. Lactantius docet, ignem inferni instar aque esse fluidum: *ignis ille est purus, et in aqua modum fluidus*. Sanctus Joannes Evangelista ait, in inferno tantam esse fluidi illius ignis quantitatem, ut ex eo fiat lacus et stagnum quoddam igneum, in quod mittentur reprobi. *Pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure* (Ap. 21, 8). Sanctus Joannes Chrysostomus asserit, in inferno non solum esse stagnum, lacum, vel fluvium ignis, *sed ignis pelagus impertransibile, atque magnitudine acerbissimum, in quo ignei fluctus instar montium eriguntur*; o quam acriter ergo, o quam ardentius urit ille ignis! Vidistis forte, quod, cum ad campanas, vel machinas bellicas metalla liquantur, e fornace egrediatur quasi rivulus liquati metalli, quod simul et fluidum esse velut aqua, et rubrum velut ignis; liquatis autem iis metallis quodammodo similis est ignis inferni, qui in terra centro undequaque collectus, est quasi igneus fluvius, aut *pelagus impertransibile, in quo ignei fluctus instar montium eriguntur*. Imaginamini nunc, et animo fingite mare aliquod, vel magnum hujusmodi ignis stagnum, et cogitate, quantam urendi vim haberet ille ignis; nonne certum, quod quasi in ictu oculi, magnam lignorum struem, domos integras, et quidquid in illum injiceretur, combureret? Quid ergo sentiendum de tartareo igne? Quid de ignis illius pelago? Nonne credendum, quod reprobos quam potentissime et ardentissime exurat? Certum sane, quod

illos ita exurat, ut nisi per Dei potentiam ad majus supplicium conservarentur, mox ab illo igne destruerentur, et quasi ad nihilum redigerentur.

2. Urit ergo, et ardentissime urit ignis inferni; hac de re nullus dubitandi locus; quod mirabile simul et horrendum est, licet ignis ille tam acriter urat, *non tamen lucet*. Ignis noster ardet simul et lucet, ignis vero inferni ardet quidem et urit, sed non lucet; *ardet et non lucet*, inquit S. Anselmus: et ut ait S. Basilii, ignis ille dum urendi vim habet, luce caret, *ignem urendi vim habentem, sed privatam splendore*. Deus in inferno virtutes ignis dividit, et interdidit: *vox Domini intercedentis flammam ignis* (Ps. 28, 7). Ignis ex sua natura virtute duplici polere solet; habet enim virtutem urendi, et virtutem lucendi; Deus autem in inferno duplicem hanc virtutem dividit, quia ab igne auferit lucendi virtutem, relicta ei virtute urendi. Unde facta a Deo hac divisione et separatione, ignis ille tartareus urit et non lucet: *huc flamma comburit, sed nequaquam tenebras discutit*. In fornace Babylonica ignis lucebat et non ardebat, lucebat ad oblectandos pueros, et non ardebat ad illos torquendos. In inferno vero o contrario, ignis ardet, et non lucet; ardet ad cruciandos reprobos, et non lucet ad illorum oblectationem: *nequaquam lucet ad consolationis gratiam, sed comburit ad doloris augmentum*. Certum est, quod tenebrosus sit inferni ignis, quia in inferno sunt tenebræ; dicunt tamen nonnulli Doctores, quod tenebrosus ille ignis aliquid lucis emittat, qua mediante damnati vident ea, quorum visio tormenta illorum augere potest: *ignis*, inquit sanctus Isidorus, *lucet miseris ad augmentationem pœnæ, ut videant unde doleant, et non ad consolationem, ut videant unde gaudeant* (de sum. bon. 5). Ultrix illa flamma aliquid lucis emittit, qua mediante reprobis videbant objecta, quorum conspectu pœnæ eorum augeri poterunt. Mediante hac luce videbunt horrenda incendia quibus addicti sunt, videbunt innumeros demones a quibus in sempiternum torquentur, et videbunt scelerum suorum socios, a quibus maledicentur. Pater videbit filium, pro cuius amore a justitia de-

flexit; avunculus nepotem, quem licet ineptum ad dignitates sublimavit, et mater filias, quibus non christianæ religionis, sed vanitatis et voluptatis documenta dedit. Illic juvenes ad majus supplicium in mediis ignibus vociferantes videbunt adolescentulas quas deperierunt: illic spectra, monstra horrenda, tetros demones, et alia his similia ad majus tormentum videbunt omnes reprobi. Et ut ait Doctor angelicus: *ignis ille habebit aliquid luminis, quantum necessarium est ad videndum ea, quæ animam torquent* (2, 2. 16, 2). O quam grave, o quam durum reprobis, a tenebrosus hoc igne indesinenter uri, et in mediis tenebris semper vivere! Postquam cæcus factus est Tobias, nullum in hoc mundo solatium et gaudium se habere posse credidit, quia aliquibus annis in tenebris vivere cogebatur: *quale gaudium mihi erit, qui in tenebris siedo, et lumen cœli non video*? Heu! quam durius damnatis in medio tenebrosi ignis in æternum vivere, et semper uri? Horrescit animus, cum ignem illum urentem recogito; horrescit cum ignem hunc non lucentem, et tenebrosicum mente volvo. Heu! si noctis unius tenebræ tedium generant, si vel una nocte dentium, aut alvi dolore premeris, amare fles, crebrosque edis genitus, ita ut te tædeat vivere, quomodo in medio ignis urentis et non lucentis non unica dumtaxat nocte, sed annis plurimis, et in æternum manere poteris? O mulier delicata, quæ pro Christi Domini amore, vel minimum quid pati recusas; o adolescens dissolute, qui illicitis carnis voluptatibus indulges; o peccator, in qualisquisque sis, quomodo in medio tenebrosi illius ignis semper remanere et vivere valebis? Hoc sæpe cogita, hoc animo versa, ut hac cogitatione ad omnia peccata vitanda exciteris. De igne inferni docendum quoque, quod urit et non lucet, *simulque decorat, et non consumit*.

II PARS.

Ignis inferni decorat et non consumit.

1. Hæc est differentia nostrum inter et tartareum ignem, quod noster hic ignis quem usus vite requirit, agat solummodo vi sibi innata; ignis tartareus, quo Deus veluti justitiæ suæ vindictivæ instrumento utitur, non ex nativa solum vi agit, verum Dei flatu et virtute modo extraordinario succenditur, et ad potentius agendum elevatur: *flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam* (Is. 30). Hic autem ignis, sic a Deo succensus et elevatus, ita acriter et fortiter agit in reprobos, ut non solum eos urat, sed etiam devoret: *decorabit eos ignis*. (Ps. 20). Ut aliquam tartaræi ignis ideam habeamus, in mentem revocare et animo volvere solemus maxima quævis incendia, quæ unquam in hoc mundo excitata scimus; jamvero, ut ait Hugo cardinalis, hæc omnia incendia sunt veluti ignis scintilla respectu tartaræe fornacis. Ignis ille qui Nadab et Abiu filios Aaron subito devoravit, *est veluti ignis scintilla*. Ignis ille egressus a Domino, qui interfecit ducentos quinquaginta viros, ut narratur in libro Numer., *est veluti ignis scintilla*. Fornax illa ardens, in quam missi sunt tres pueri, ejus flamma sursum ascendebat cubitis quadraginta novem, *est veluti ignis scintilla*. Magnum illud incendium, quo urbs Sodoma, simul cum incolis suis, quam citissime in favillam fuit redacta, *est veluti ignis scintilla* respectu tartaræe fornacis. Quid ergo fiet de reprobis in medio tartaræi ignis existentibus? Hi ab igne devorabuntur: *devorabit eos ignis*. Ab igne quidem devorabuntur; non tamen consumentur, quia ignis inferni reprobos ita devorat, ut non absumat.

2. Non parvum foret solatium impiis in tartarum projiciendis, si prævidere, se ab inferni igne totaliter consumendos et ad nihilum brevi redigendos, quia sic certi essent, tormenta sua cito finem habitura, nec diu duratura. Hæc tamen non fruentur

consolatione; quin contra, Deo sic ordinante, ab igne tartaræo continue devorabuntur, nec tamen unquam ab eo absumentur. Ut enim dicitur in libro Job (20), impius severe punietur ob cuncta quæ in hoc mundo perpetravit scelera. nunquam tamen ab igne consumetur; *luet quæ fecit omnia, nec tamen consumetur*. Impius in medio voracium inferni ignium sepultus optabit non amplius vivere, ut non ultra patiatur; mortem milles desiderabit, ac annihilari toto cordis affectu appetet, ut torqueri desinat; verum frustra id optabit, quia Deus flatu suo succendet ignem, a quo indesinenter devorabitur impius; *nec tamen consumetur*. In seculo Deus impium conservabat, ad hoc ut poenitentiam ageret et converteretur; quia poenitentiam agere recusavit, cum Deus in inferno conservavit, ut semper vivens, semper moriatur, semperque crucietur. In hoc mundo impius malignis usus est adventionibus, ut in Deum peccaret; in inferno mirabili et terribili adventionem faciet Deus, ut semper devoretur ab igne, nec unquam absumatur: *luet quæ fecit omnia, nec tamen consumetur; iuxta multitudinem adventionum suarum, sic et sustinebit*. Refert Plinius, olim prohibitum fuisse corpora fulmine percussa igne consumeri et in cineres redigere: conservabantur, ut essent publica indignationis et justitiæ divinæ exempla. Quod et adnotasse videtur Tertullianus, dicens: *qui de celo tangitur, salvus est, ut nullus jam igni decinescat* (Apol. 48). Terribilior erit Dei justitia in damnatos, quos in inferno, tanquam in formidando vindictivæ justitiæ suæ altari semper conservabit, eosque ita ab igne urbi faciet, ut nunquam absumantur: *ignis hic non absumit, cum exurit*. Nunquam absumentur ab igne, ut sint æterna justitiæ et indignationis divinæ monumenta. Cassiodorus ait, tartaræo igni datam à Deo virtutem quandam servatricem, ita ut damnatorum corpora semper devoret, nunquam tamen absumat; atque ea semper ad poenam et tormentum mirabiliter conservet; *servabit ut cruciet, dabiturque miseris vita immortalis, et poena servatrix*. O portentosum ignem, qui devorat et servat; torquet devorando, et ita devorat ut adhuc servet ad ulteriorem poenam et ad prolixius supplicium! Sicut lapis, *Albeston* nunc-

patius, semper ardet et nunquam consumitur, ita reprobi in medijs tartari flammis semper ardebunt, urentur semper, et nunquam absumentur. Sicuti in Sicilia mons *Ætna*, in regno Neapolitano *Vesuvius*, et alibi sunt alii quidam montes, qui semper ardent, qui flammam sæpissime emittunt, nec tamen unquam consumuntur: ita et damnati in inferno ab igne devorabuntur, et conservabuntur, *ignis ille sœvit, et parci, cruciat, et reservat* (S. Aug. Serm. 127 de tem.). O quam immane illud supplicium! quam durum et intolerabile ab igne semper devorari, et nunquam consumi! Heu! quis ex vobis habitare poterit cum igne semper devorante, et nunquam consumente: *quis poterit habitare de vobis cum igne decorante?* Quis ex vobis, principes, nobiles et divites, qui epulamini quotidie splendide, qui induimini purpura et bysso, quique in lectis mollibus decumbere soletis? Quis ex vobis, juvenes dissoluti, qui Veneri, Baccho, et omni vittiorum generi licentius indulgetis? Quis ex vobis, adolescentula, qua vanis vestris ornamentis, vestrisque inmodestis gestibus homines ad peccandum allicitis? Quis tandem ex vobis, peccatores miseri, *poterit habitare cum igne devorante?* Heu! si quadragesimale jejunium vos terret; si transitoriam hujus mundi penitentiam reformidatis; si noctem unam in molli lecto insomnem ducere supplicium reputatis, quomodo in medijs tartari flammis decumbere, et habitare poteritis? Quomodo in hoc igne devorante, et non consumente remanere valebitis? Piam hanc cogitationem sæpe animis vestris versate. Dicat unusquisque vestrum, et crebro dicat: heu! quomodo habitare poterit cum igne illo devorante? Hoc dicite; hoc recogitate: talisque cogitatio vos ad penitentiam, et ad meliorem vitæ frugem inducat. Ignis inferni damnatos devorat et non consumit, hoc terribile est. Ulterius ignis ille *eos torquet, atque torquere nunquam desinit*: hoc adhuc terribilius.

III PARS.

Ignis inferni torquet, et torquere nunquam desinit.

1. Ex his quæ jam diximus, clare constat reprobos in inferno ab igne gravissime torqueri: cum enim ignis eos continue urat et devoret, optime inde sequitur, quod eos etiam graviter torquet et cruciet. Eos quidem gravissime torquet et omnium sensibilibus tormentorum quæ perferunt damnati, nullum igne gravius. Imo, ut ait S. Hieronymus, in uno igne omnia alia tormenta videntur esse collecta: *in uno igne omnia supplicia sentiunt in inferno peccatores* (ep. ad Pam.). (Ut quisque sibi facile suadeat, reprobos ab igne tartareo dire torqueri, audiat divos avarus, qui in medijs inferni ignibus clamat, dicens: *crucior in hac flamma* (Luc. 16). Sic clamat epulo, et sic clamant omnes reprobi, qui, ut ait S. Fulgentius (*de fid. ad Pet.*), *intolerabilia in gehenna patiuntur ab igne supplicia*. Heu! si, ut dicunt sancti Patres, supplicia quæ in purgatorio a piacularibus flammis perferunt fideles defuncti, graviora sint, quam quicquid unquam in hoc mundo perpessi sunt martyres, quid sentiendum de igne tartareo? Quanta et quam gravia sunt tormenta, quæ ab eo patiuntur damnati? Tanta equidem, ut penitus intolerabilia censenda, Heu! si nonnunquam intolerabilem dictius diurnæ febris ardorem; si intolerabilia credimus, quæ S. Laurentius, et alii quidam martyres ab igne passi sunt tormenta; si intolerabile quisque censeret vel ad unius horæ quadrantem prænas manu gestare, vel dexteram intra fornacem accensam habere, quanto intolerabilius est reprobi ardentibus tartari flammis immergi, ibique incessanter ab igne devorari? Hoc certe omnium sensibilibus tormentorum maximum: *ignis suppliciorum ultimum est*.

2. Torquet ergo, et dirissime reprobos torquet ignis inferni. At quod gravius et intolerabilius est, eos ita torquet ignis, ut nunquam torquere intermittat et desinat; semper et in æter-

num absque ulla intermissione et interpolatione eos torquet. Non parvum accedit solatium infirmis febricitantibus, cum aliquid intermissionis et remissionis habent. Aliquod similiter solatium inesset damnatis, si in tormentis quæ ab igne patiuntur, aliqua interdum adveniret remissio; hoc autem eis non dabitur solatium, quia ignis ille eos semper et in æternum absque ulla intermissione torquet. Hic ignis ita eorum inflgetur caribus, ut nil unquam quietis sit eis daturus; eos in sempiternum sine ulla remissione cruciabit: *dabit enim ignem et vermes in carnes eorum, ut urantur, et sentiant usque in sempiternum* (Judith. 16, 12). In hoc mando dicimus et tanquam certum supponimus, quod *nullum violentum perpetuum*: nam quo quis violentius torquetur, eo citius ei sensus et vita auferuntur: *hoc solatium casti doloris est*, inquit Romanus Philosophus, *quod nemo potest valde dolere et diu* (Seneca, ep. 78). In hoc mundo hæc duo simul reperiri non possunt, *dolere valde et dolere diu*; in inferno damnati ab igne torquentur *valde et diu*: etenim ibi tortores nunquam lassantur, anima nunquam moritur et ignis nunquam torquere desinit: *sic ignis ibi consumit, ut semper reseruet: sic tormenta aguntur, ut semper renoventur; ardebunt miseri in igne æterno in æternum* (S. Bern. medit. c. 4). Hæc, quæso, animo expendite: damnati torquentur *ab igne æterno in æternum*. Quid est hoc? Quamdiu durabit illud *in æternum*? Creditis forte quod ibi damnati lento igne assabuntur aliquibus tantum horis vel quibusdam diebus? Arbitramini forsitan, quod in medio flammarum, aliquot solummodo annis torquentur et vociferabuntur? Erratis: quia transactis mille et centum mille annis, adhuc cruciandi remanebunt, non solum ad alios mille et centum mille annos, sed in æternum. O quam intolerabile est ab igne hoc torqueri continue et torqueri semper, absque ulla intermissione et absque ullo termino. En, peccator, supplicia quæ paravit Deus, ut vindictam sumat de peccatis tuis. Quamdiu hic in terris remanes, demon et peccata velant faciem tuam, ne videas et ne cogites de formidandis inferni ignibus; in morte vero auferetur illud velamen malitiæ. Tunc

cognosces tarde nimis, quam immania sint inferni tormenta, tunc audies Christum tibi et aliis dicentem: *discedite a me maledicti in ignem æternum*. Nisi modo penitentiam egeris, tunc ad inferni rogos æternum cruciandus mitteris. O peccator, contremisce ad illa verba, *in ignem æternum*. Mitti in ignem, quid terribilius? Mitti in ignem æternum; quid formidabilius? Equus ita ferreus et adamantinus est, ut ad hæc verba, *in ignem æternum*, non contremiscat? *O mi frater*, inquit D. Augustinus, *numquid ferræ sunt carnes nostræ, ut non contremiscant; vel etiam sensus noster adamantinus, ut non emollescat ad illa Dei verba: Ite maledicti in ignem æternum*? Heu! si tremimus, cum reum aliquem, ad rogam in quo comburendus est, duci videmus; quanto magis contremiscere debes, o impie, qui a peccatis et a demonibus ad tartareum rogam, æternum cruciandus, traheris. Contremisce et totis conatibus labora, ut æternos hos tartarei ignis cruciatus devites. Labora ut bonus Christi miles: labora et indesinenter bonis operibus incumbe, ut Deum tibi propitium reddas, et æterna hæc supplicia evadas. Audi Spiritum Sanctum dicentem: *quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* (Isa. 33, 14). Hæc verba animo tuo versa; ac tibi metipsi sepe dic: *habitare non possem* cum igne illo, qui urit et non luget, ergo ab illo præcavebo; *habitare non possem* cum igne illo, qui devorat et non consumit, ideo pravos meos eradicabo habitus, ut ignis illius supplicia non incurram; *habitare non possem* cum igne illo, qui torquet, et nunquam torquere desinit: ideo pie, religiose, et quam perfectissime vivam, ut ignis illius tormenta evadam, et æternam felicitatem aliquando obtinere valeam. Amen.

DOMINICA DECIMAOCTAVA POST PENTECOSTEN.

DE BLASPHEMIA.

Quidam de Pharisæis dixerunt intra se: Hic blasphemat (Math. 9, 3).

Blasphemia directe laudi Dei opponitur: et propria significatione nil aliud est, quam *verbum convicii, seu contumelie adversus Deum*; sive id fiat attribuendo ei quae illi non conveniant: sive id fiat negando ei quae illi conveniunt: sive fiat, tribuendo creaturis quae Deo soli debentur. Christum blasphemie accusarunt Pharisæi, cum illum audierunt dicentem paralytico: *remittuntur tibi peccata tua*. Cum enim Deum ipsum non crederent, illum in hoc blasphemasse censuerunt, quod sibi tribueret potestatem remittendi peccata, quae potestas ad homines, sed ad Deum tantummodo, non attinet. Falebantur Pharisæi: non enim blasphemabat Christus, qui Patrem suum continue glorificabat: *ego honorifico Patrem meum* (Joan. 8, 49); blasphemii erant ipsinet, qui Christo et divinitatem et potestatem remittendi peccata denegabant. De Christo dici nequibat: *hic blasphemat*; quia cum Deus esset, nec blasphemare, nec minimum quodque peccatum perpetrare poterat; de Pharisæis dici debebat: *hi blasphemant*, Christum blasphemie accusando. O maxima Pharisæorum blasphemiam! Quot etiam hoc ævo blasphemii Pharisæos imitantur! Quot blasphemant in Deum suum, quem indesinenter laudare debent! Blasphemorum sane magnus est numerus. Et ideo utilissimum fore videtur, si de blasphemiam dicamus, et in homines blasphemos prædicemus. *Ave.*

Errant multi circa nomen blasphemie, idque sæpe blasphemiam nominant, quod nullo modo blasphemiam est. Verum quidem, quod qui de blasphemiam proprie sumpta loquuntur, blasphemias

solum vocant verba contumeliae, quae adversus Deum dicuntur. Alii autem licet minus proprie, blasphemiam nomen juramentis etiam, et imprecationibus tribuunt: eos enim qui jurant, et qui mala precantur, blasphemos appellant, eosque ut blasphemos inspicunt et detestantur. Itaque ut ab improprie sumpta veram et proprie sumptam blasphemiam discernam, simul de blasphemiam in vero et proprio sensu accepta, ac de blasphemiam improprie sumpta, seu de juramentis et imprecationibus disseram. Quod ut cum legitima partium distributione fiat, dicam: 1. quod juramentis nullus debeat assuescere; 2. quod ab imprecationibus omnes abstinere debeant; 3. quod blasphemiam cuncti abhorrere teneantur. Abstinentiam a consuetudine jurandi, ab imprecationibus et a blasphemiam. En tres hujus concionis partes.

I PARS.

Abstinentiam a consuetudine jurandi.

Certissimum est, juramentum, si debito modo fiat, esse licitum: imo et esse actum religionis, quo Deus honoratur. Quia vero ex mille juramentis quae fiunt, vix unum est, quod debito modo fiat, ideo ex mille vix unum est, quo honoretur, vel potius, quo non offendatur Deus. Offenditur quidem graviter, cum quis contra veritatem jurat; et qui sic jurant, in Dei maledictionem incurrunt: *maledictio veniet ad domum jurantis in nomine meo mendaciter* (Zach. 5). Offenditur etiam graviter Deus juramentis, quae fiunt contra justitiam, seu cum quis jurat se interfectorum aliquem, vel, se rem aliam mortaliter malam facturum. Offenditur tandem graviter his juramentis quae ad blasphemias declinant, et quae totam blasphemiam malitiam includunt: a quibus omnibus juramentis sedulo abstinendum. Nec minori cura abstinendum ab aliis juramentis quae passim a multis fiunt, seu a jurandi consuetudine, quam quisque a se tollere et procul pellere debet. Audite sanctum Apostolum

Jacobum, qui ut turpem et pravam hanc jurandi consuetudinem e cordibus hominum eradicet, ait: *ante omnia autem, fratres mei, nolite jurare, neque per caelum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum; Sit autem sermo vester: est, est, non, non* (5, 12). His etiam verbis Apostolus non prohibet omnino juramentum, solummodo jurandi consuetudinem: *ante omnia*, ait, *ut attendatis prae ceteris et vigiletis, ne subrepat consuetudo jurandi* (S. Aug. de verb. Ap. 8). Praeclare dixit Doctor Angelicus, quod *juramentum est sicut medicina, quae non semper accipitur, sed in necessitate* (op. 7). Plerique haece temporibus, non certis dumtaxat horis, nec debitis adjuactis, singulis fore momenti jurant, quin curent de circumstantiis et conditionibus ad juramentum requisitis. Pueri, nondum habuitire scientes, in arte jurandi dacti reperiuntur; antequam prima fidei iuramenta sciant, omnes jurandi modos calant, ac ita frequens fit in ore ipsorum juramentum, ut pene dixeris esse eorum *Credo*, eorum *Ave*, eorum *Pater noster*, eorum aspirationes pias, eorum orationes jaculatorias. Tanta tandem multorum est jurandi consuetudo, ut semper jurant, sive illis credatur, sive non credatur: sive juramentum ab iis exigatur, sive non exigatur; sive horrescant audientes, sive non horrescant: *cum tibi creditur*, inquit Augustinus, *juras, et cum nemo exigit, juras, et horrentibus hominibus juras*. O exitiosam consuetudinem! Utere juramento sicut medicina. Non sumitur medicina sexties, septies, vel pluries in die, solum in necessitate et cum cautela; sic ne assuescat jurationi, ne pluries singulis diebus jures; solummodo cum jurandi necessitas subest, et tunc conditiones ad juramentum requisitas adhibe; tunc jura in veritate, in judicio et in justitia: *jurabis; vixit Dominus in veritate et in judicio et in justitia* (Jer. 4, 2). Varias adducit rationes Chrysostomus, quibus quisque induci debet ad abstinendum a vana et exitiosa hac jurandi consuetudine. Si, inquit, servus non audet Dominum nominatim, et sine quadam honoris praefatione appellare, quam absurdum est; Angelorum Dominum temere et contemptum ubique pronuntiare et jactare? Si, inquit idem Chrysostomus,

apud Judaeos tam venerandum erat Dei nomen, ut in lamina ex auro purissimo scriberetur, et nemini litteras hujus nominis ferro liceret, nisi sacerdotum principi, qua fronte Dei nomen, super omne nomen venerandum, in omni terra admirabile, quod audientes daemones horrent, passim juramus et velut quiddam vulgare temerarie circumferimus? Vis scire, ait idem Chrysostomus, quomodo Deum nominent superiores potestates, cum quanto honore, quanta admiratione? Audi Isaiam prophetam dicentem: *vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum. Seraphim stabant super illud. Et clamabant, alter ad alterum, et dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus* (6). Cum ergo Seraphim tanto cum timore, tanto cum honore et tanta cum reverentia Deum nominent, laudantes et glorificantes eum, qua fronte sanctum illud nomen passim jurabis, irreverenter in omni casu pronuntialis, in vanum assumes et per crebra juramenta profanabis? Praeclare sunt haec divi Chrysostomi rationes: atamen alias meo quidem judicio urgentiores, adversus jurandi consuetudinem adducit Sapiens. Quarum prima est, quod qui frequenter jurant, facile in perjuria incident: *jurationi*, inquit, *non assuescat os tuum: multi enim casus in illa* (Eccli. 23, 9). Quae sunt haec pericula, quibus exponuntur, qui jurationi assuescunt? Hi exponuntur periculo cadendi in perjurium, et jurandi mendaciter; *homo*, inquit Augustinus, *per consuetudinem jurandi, potest in perjuriam labi* (in Ps. 109). Idcirco a jurandi consuetudine quisque abstinere debet, ne cadat in perjuria, quae sunt gravis peccata: *si jurare crimen est, perjurium ubi ponemus?* Altera ratione homines a jurandi consuetudine deterrere conatur Sapiens his verbis: *vir multum jurans implebitur iniquitate*. Et revera crebro videmus, eos qui prave jurandi consuetudini dediti sunt, esse abriosos, maledicos, perjuros, blasphemos, rixosos, atque aliis multis criminibus obnoxios. Noli ergo jurationi assuescere, ut non implearis iniquitate. Aliam rationem adducit Salomon, ut homines a prava jurandi consuetudine avertat: *vir multum jurans, inquit, implebitur iniquitate et non discedet a domo illius*

plaga. Aliquæ nonnunquam reperiuntur domus, in quibus continue audiuntur juraments: jurant parentes, jurant filii, jurant famuli, jurant omnes, sive cum rixantur, sive cum confabulantur, sive cum irascuntur. Ab his domibus non discedit juramentum, atque ab his etiam non discedit *plaga*; quia Deus jam unum ex domesticis morbo affligit, jam alium egestate plectit; ac nisi convertantur, permittit eos in gravia crimina labi, et deinde in infernum, ubi eterna *plaga* ferientur; *vir multum jurans implebitur iniquitate, et non discedet a domo illius plaga.* Itaque, fratres, vigilandum et strenue decertandum, ut prava hæc tollatur jurandi consuetudo. Vigilandum, inquit Divus Augustinus, invitoque animi decreto adverso juramenta lingua frenanda est: *domabis, si vigilabis; vigilabis, si timebis; timebis, si Christianum te cogitaveris* (serm. in Decol. S. Jo. B.). Vigilate ergo, timeate; vos Christianos esse cogitate, ut prava jurandi consuetudine abstinatis. Nec dicatis, vobis impossibile fore, de hac consuetudine triumphare. Verum est, quod in principio hoc erit vobis difficile; si autem super vosmetipsos vigiletis; si Dei auxilium crebro invocatis; si sanctissima penitentiae et Eucharistiae sacramenta ad hunc finem sæpe recipiatis; si monitores adhibeatis, qui vos corripiant quotiescumque vos jurasse advertent: si quoties juraveritis, unum obolum pauperi erogetis; si tandem hæc et alia media ad tollendam jurandi consuetudinem adhibeatis, eam penitus extirpabitis, vobisque deinde facilimum erit non jurare. At non solum abstinendum a jurandi consuetudine, *capendum etiam ab imprecationibus.*

II PARS.

Abstinendum ab imprecationibus.

In ira imprecari aliis demonem, pestem, grandinem, fulgur et alia his similia, etsi multi confundant cum blasphemis, non tamen vere sunt blasphemie, sed dire imprecationes. Quæ plerumque in pecora a rusticis fieri solent, quibus jam dicunt,

se optare ut a demone auferantur; jam ut a peste occidantur; et jam ut aliud quiddam funestum iis accidat, quod tamen iis evenire nollent. Optant enim eis mala ore solum, non ex corde et voluntarie: nec enim quisquam ita stultus, qui mala ex corde peccoribus suis exoptet; unde hujusmodi imprecationes sunt tantum materiales, verbales et modi loquendi, quibus rustici et plebei iram suam effundere solent. Qui loquendi modi, inlecori, fœdi, rustici et mali censendi; imo ratione scandali graviter peccare possunt, qui his imprecationibus adversus pecora utuntur. Gravius peccant, qui similia mala precantur personis, quas amant et quibus revera nullum malum accidere vellent. Verum est, eum, qui ex inveterata consuetudine, velut quodam necessario impetu et ex motu primo hæc mala personis, quas diligit, precatur, non peccare, quia nullum peccatum sine rationis deliberatione committitur. Ipse tunc peccavit, cum similes imprecationes deliberate protulit providens et animadvertens pravam consuetudinem sibi ingenerari: tunc etiam peccavit et peccat, cum advertens, se prava hæc ligari consuetudine, nullam vim sibi facit, nec aliquod medium sumere vult, ut eam eradicet. Quod si familiaribus, amicis et sibi equalibus dira precari sit peccatum, licet revera nullum ipsi malum accidere quis velit, gravius haud dubie peccant cum filii parentibus et subditi superioribus mala precantur, et maxime si in faciem hoc fiat. Hoc enim raro fit sine sufficiente advertentia et hoc plurimum lædit debitam parentibus, aliisque superioribus reverentiam. Si autem alicui personæ materialiter, ex consuetudine et ex inadvertentia male precari, sit nonnunquam grave peccatum, quam gravius delinquit qui sic male precatur formaliter et voluntarie! Si nonnunquam graviter peccat; ex subita commotione et inadvertentia alicui et qui Diabolus te occidat, pestis te interficiat, vel alia his similia: quam gravis peccat, ea dicens scienter, voluntarie et ex corde, ita ut qui hæc dicit, ea fieri velit quæ dicit? Certe istud peccatum est grave, et eo est gravius, quo graviora sunt mala, quæ quis alteri voluntarie precatur. Unde in confessione quilibet confessario explicare debet, non solum

malum quod alteri precatus est, verum etiam an voluntarie, libere et ex animo hoc malum ei precatus sit. Hæc omnia patent; sive hujusmodi imprecationes voluntarie fiant, sive non; sive quis velit, sive nolit ea aliis eventura, quæ iis male precatur; prava tamen et pessima est hæc maledicendi et mala præcandi consuetudo, quia turpe, indecorum et malum est, quod homo, qui se christianum dicit et profitetur, in hujusmodi execrationes et imprecationes prorumpat. Homo enim, si vere christianus sit, Christum imitem et umilem imitabitur, sequemitem et verbo et exemplo exhibebit. Homo christianis moribus indutus non solum ad extraneos, etiam ad domesticos, non solum factis, sed etiam verbo mansuetudinem præseferre debet. *Omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines* (ad. Tit. 3, 2). Ubi autem christiana hæc mansuetudo in homine, qui continuus concitatus iræ motibus, nunc pestem, nunc mortem, nunc alia iis, cum quibus versatur, mala precatur? in hoc sane non christiana est mansuetudo, imo nec in eo christiana est religio. Si enim ejus vana est religio, qui non frenat linguam suam: *non refrænans linguam suam, hujus vana est religio* (Jac. 1), quanto magis illius vana est religio, qui in famulos et ancillas, in filios et filias continuas vibrat maledictiones et imprecationes? Hujus sane vana religio. *Imo et hic a Dei spiritu alienus est.* Deus, qui benignus et misericors est, non vult ut unus in alium irascatur, unus alteri maledicat, ac mala precetur; e contra vult ut unus alteri maledicat et benefaciat. Heu! si præcipit Deus, ut homo christianus ipsis etiam maledicentibus benedicat: *benedicite maledicentibus* (Luc. 6, 28); quanto magis prohibet ne homo christianus cunctis passim maledicat, nec in quoslibet continue maledicta, execrationes et imprecationes unquam evomat? si vult Deus, ut cum corripiendi sunt aliqui, hoc fiat *in spiritu lenitatis*; quanto magis optat ut apud christianos non audiantur assidue maledictiones, execrationes et imprecationes in filios, in domesticos et in extraneos? Certe hoc a Dei spiritu omnino alienum est. Deus jubet, ut quisque proximum, sive amicus ille sit sive inimicus, vere et sincere diligat. Nonne unicuique

mandavit Deus de proximo suo? Nonne cuique dixit Deus: diliges proximum tuum sicut teipsum; nonne præcipit Deus, ut ipsos etiam inimicos diligamus corde, ore et opere? Nonne auditus est Christus, dicens: *ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos: et orate pro persequentibus et calumniantibus vos?* (Mat. 5, 44). Quomodo autem Deus optet et præcipiat, ut proximum etiam inimicum corde, opere et ore diligamus, quis credat spiritu Dei succensus eos, qui proximo maledicunt et mala precantur? Vel potius, quis non credat eos a Dei spiritu omnino alienos? Hi sane a Dei spiritu alieni sunt; et hi a Deo graviter punientur. Si enim Deus æternis inferni suppliciiis plectit eum, qui fratri suo verbum aperte et graviter contumeliosum dixerit, juxta hæc Christi verba: *qui fratri suo dixerit, fatue: reus erit gehennæ ignis* (Mat. 5, 22), quanto magis credendum, iislem a Deo plectendos tormentis eos, qui dira proximo continue precantur, et qui ex inveterata consuetudine nec irasci, nec loqui noverunt, quin statim in maledicta, in execrationes et in imprecationes prorumpant? O homo, tandem aliquando fræna linguam tuam, desine perversa loqui, nec unquam aperiat os tuum, ut proximo malum exoptes. Pravam, malignam et scandalosam hanc mala aliis præcandi consuetudinem penitus tolle, nunquam dicas fratri tuo mala; benedic et ama, quem Deus benedicere et amare præcipit. Abstinentium ergo ab imprecationibus, *multoque magis a blasphemia.*

III PARS.

Abstinentium a blasphemia.

Blasphemare, inquit S. Augustinus, est *mala verba de Deo dicere*; unde blasphemia nil aliud est, quam verbum malum et contumeliosum, quod de Deo dicitur. Triplex autem, ut ait S. Bernardinus, est blasphemia; quarum *prima* dicitur affirmativa; *secunda* negativa; *tertia* usurpativa. Blasphemia affirmativa est,

cum Deo attribuitur, quod ei non convenit; et sic blasphemaret, qui diceret, Deum esse corporalem, ignarum, et peccati autorem; hæc enim prorsus Deo non conveniunt. Sic etiam blasphemare dicuntur, qui jurant per Dei caput, per Dei ventrem et per Dei sanguinem; quia Deo, qui totus spiritualis est, hæc convenire nequeunt; Deus enim nec caput, nec ventrem, nec sanguinem habet, nisi forte hæc intelligantur de Christo Deo et homine; Etsi vero in hoc sensu talia proferre, non esset blasphemia, in hoc tamen magna Christo Domino fit irreverentia, quod passim, sine ulla necessitate, inter rixas, inter epulas, et in omni casu caput, venter et sanguis ejus nominentur. Blasphemia negativa tunc est, cum a Deo removetur quod ei convenit; et hoc modo blasphemarent, qui dicerent, Deum non esse trinum in personis; Patrem esse majorem Filio; Spiritum Sanctum a Patre et Filio non procedere, vel mundum a Deo factum non esse. Sic etiam blasphemaret, qui diceret, Deum non esse sapientem, bonum, sanctum vel omnipotentem; vel etiam non habere curam de hoc mundo. Blasphemia usurpativa tunc est, cum creaturis attribuitur quod soli Deo convenit, quodque solum Dei est proprium. Et sic blasphemaret qui diceret, mundum ab aliqua creatura esse factum; vel qui diceret miracula fieri a magis, a daemonibus, vel ab aliis creaturis. Cujusvis autem generis sit blasphemia, grave peccatum est, *nihilque scelestius blasphemia*, inquit Chrysostomus. Et ut ait S. Hieronymus, omne aliud peccatum, blasphemie comparatum, ea levius est: *omne quippe peccatum, blasphemia levius est*. Multiplici ex capite patet gravitas blasphemie, precipue vero ex dignitate personæ, in quam blasphemia pronuntiatur. Ut enim ratiocinatur S. Bernardinus Senensis, tanto major est culpa, quanto major est persona, in quam committitur: offensa enim aliqua est convicium facere in civem unius regis; major est, si fiat in aliquem militem ejus nobilem; augetur gravitas, cum in aliquem consiliarium ejus; gravior insuper, cum in filium regis; gravissima vero, cum fit in ipsum regem. Sic in proposito est de peccato blasphemie: in aliis enim peccatis contra proximum fit convicium adversus creaturam;

in blasphemia fit convicium directe et immediate in ipsum Creatorem: ideo quantum creator excedit Creaturas, tantum blasphemia excedit alia peccata. Grave sane dicendum blasphemie peccatum, si inspicitur persona, quam directe offendit; ejusque gravitas ex hoc adhuc elucet, quod homo nullo motivo, nullogue incentivo ad blasphemandum allicitur. Peccatum, inquit jam laudatus S. Bernardinus, tanto majus et gravius habetur, quanto minore motivo et incentivo quis ad illud perpetrandum trahitur. Ex quo recte inferitur quod si juvenis et senex adulterium perpetret, plus peccat senex, quam juvenis, quia senex ad concupiscentiam minus inclinatur, quam juvenis. Omne autem peccatum, excepta blasphemia habet aliquod motivum et aliquod incentivum, quo homines ad illud committendum inclinantur. Nonne enim luxuriosus ad libidines adducitur carnis delectationibus? Nonne gulosus ad gula indulgendum inclinatur cibi et potus jucunditate? Nonne honoris altitudo superbum ad superbiam movet? Nonne torpescit piger corporalis requiei affectu? Nonne ad usuras allicitur dives amore divitiarum? In omnibus igitur peccatis aliquod invenitur motivum ad peccandum inducens. Tantum in blasphemia nullum habet motivum inducens et blasphemator nullo incentivo ad blasphemiam movetur; quia nulla est ibi delectatio, nullum ibi lucrum, nullumque aliud ad blasphemandum illicium. O blasphemator, quid te inclinatur ad injuriose usurpandum Christi caput, sanguinem, mortem et passionem? Quid te invitatur ad contumeliose de Deo, et divinis loquendum? Quæ sunt blasphemiarum, quas effutire soles, motiva et incentiva? Certe nihil est, quod ad hujusmodi te inclinet; imo Dei bonitas, Dei misericordia et omnia quæ in Deo sunt, te ad illum laudandum et benedicendum alliciunt. Ergo cum blasphemia non ex inclinatione naturæ vel ex alio motivo, sed ex pura malitia procedat; omnia vero alia peccata habeant motivum alliciens; fatendum blasphemie peccatum omnibus aliis peccatis esse gravius. Et ideo cum tanta sit blasphemie gravitas, ab ea sollicite abstinendum. Si hoc thema dñi protrahere liceret, Doctorem Angelicum loquentem inducerem, qui variis articulis

probat, blasphemiam esse peccatum ex natura sua mortale, esse peccatum homicidio et infidelitate gravius; ac tandem ex suo genere esse omnium peccatorum gravissimum. Nunc vero ut toti huic orationi finem faciam, utque peccatores ad abstinendum a blasphemia inducam, velim solummodo, ut serio perpendant, qua et quanta poena blasphematores digni sint et plecti soleant. Taceo multiplices poenas, ad quas blasphemum lege divina, tum lego ecclesiastica et civili damnantur. Notum enim est, quod lege divina blasphemos lapidari sanciantur. Scilicet omnes, sanctum Ludovicum Gallie regem sanxisse, ut blasphemorum lingua amputaretur, vel candenti ferro transficeretur. Ipse Mahumetus, licet infidelis, in suo Alchorano praecepit, ut quicumque Deum, Christum, ac etiam beatam Virginem blasphemaverit, medius secaretur. Nullum tandem regnum, nullaque fere respublica saltem christiana, quae leges adversus blasphemos non fecerit, et quae diris suppliciis eos plecti non ordinaverit. Atvero longe major est poena, qua a Deo blasphemum in alio mundo plectuntur. Supplicia enim aeternis adjudicantur in inferno, ubi in continuas et perpetuas blasphemias erumpent. Non latet vos famosa historia de puero quinquenni, quem cum remis se nutritivisset pater, cumque eum blasphemis ita assuescere permisisset, ut passim blasphemias in Deum et Sanctos evomeret, Deo tandem permittente accidit, ut cum quadam die stultus pater blasphemum filium brachiis gestaret, tartarei ad eum accessorint spiritus, quos puer tremebundus aspiciens, clamare cepit: *obsta pater; obsta pater*: maligni enim homines venerunt, qui me tollere volunt. Quo dicto, nomen Domini blasphemavit infelix puer, statimque diabolus miseram ejus animam rapuit, et in incendia aeterna submersit. Si hac poena plecterentur blasphemantes, si mox ut aliquis in blasphemias prorupit, a demone visibiliter raperetur: et ad tartara traheretur, alii hoc videntes, a blasphemis certe absternerent. Nihil tamen secius ab iis praecavendum, eo quod etsi non visibiliter, saltem invisibiliter ad infernum praecipitantur; ubi simul poena damni et poena ignis, ac etiam speciali alia poena cruciabitur. Ut enim ait Cassianus, *in inferno dra-*

cones lobia blasphemantium vorant et serpentes diris moribus miserorum pectora lacerant. Summpore igitur a jurandi consuetudine et ab imprecationibus et a blasphemis abstinete. Linguae vestras non blasphemis evomendis, potius Dei laudibus decantandis assuefacite, ut aeterna inferni devitetis supplicia et immensa caeli gaudia assequamini. *Amen.*

DOMINICA DECIMANONA POST PENTECOSTEN

DE BONIS TEMPORALIBUS.

Abierunt alius in villam suam, et alius in negotiationem suam (Math. 22).

Cor nostrum a natura ita formatum est, ut a parte superiori, quia respicit caelum, amplum sit et apertum, a parte vero inferiori, quia respicit terram, strictum et constrictum sit, ac in acumine quodam terminatum; quo docere nos voluit naturae Author, cor nostrum rebus caelestibus patere debere, non autem terrenis bonis, quae unico quasi punctu attingere quemque oportet, iisque cor non apponere: *divitia si affluent, nolite cor apponere* (Ps. 61, 11). Plerique tamen caelestia parum, terrestria multum diligunt; ac licet eos Deus ad caelestia bona amanda et ambienda pluries invitet, terrenis semper inhiant, iisque assimilantur, qui ad nuptias invitati et vocati, venire neglexerunt: nam alius in villam suam dominandi cupiditate adductus, alius ad negotiationem suam rei familiari augendae intentus, abiit: *abierunt alius in villam suam, et alius in negotiationem suam.* O fratres, quae sursum sunt quaerite, non quae super terram, caelestia bona ambite, iis toto corde adhaerete, non autem terrenis, quae villa, contemptibilia et instabilia sunt, ut videbimus. *Ave.*

probat, blasphemiam esse peccatum ex natura sua mortale, esse peccatum homicidio et infidelitate gravius; ac tandem ex suo genere esse omnium peccatorum gravissimum. Nunc vero ut toti huic orationi finem faciam, utque peccatores ad abstinendum a blasphemia inducam, velim solummodo, ut serio perpendant, qua et quanta poena blasphematores digni sint et plecti soleant. Taceo multiplices poenas, ad quas blasphemum lege divina, tum lego ecclesiastica et civili damnantur. Notum enim est, quod lege divina blasphemos lapidari sanciantur. Scilicet omnes, sanctum Ludovicum Gallie regem sanxisse, ut blasphemorum lingua amputaretur, vel candenti ferro transficeretur. Ipse Mahumetus, licet infidelis, in suo Alchorano præcepit, ut quicumque Deum, Christum, ac etiam beatam Virginem blasphemaverit, medius secaretur. Nullum tandem regnum, nullaque fere respublica saltem christiana, quæ leges adversus blasphemos non fecerit, et quæ diris suppliciis eos plecti non ordinaverit. Atvero longe major est poena, qua a Deo blasphemum in alio mundo plectuntur. Suppliciis enim æternis adjudicantur in inferno, ubi in continuas et perpetuas blasphemias erumpent. Non latet vos famosa historia de puero quinquenni, quem cum remis se nutritivisset pater, cumque eum blasphemis ita assuescere permisisset, ut passim blasphemias in Deum et Sanctos evomeret, Deo tandem permittente accidit, ut cum quadam die stultus pater blasphemum filium brachiis gestaret, tartarei ad eum accessorint spiritus, quos puer tremebundus aspiciens, clamare cepit: *obsta pater; obsta pater*: maligni enim homines venerunt, qui me tollere volunt. Quo dicto, nomen Domini blasphemavit infelix puer, statimque diabolus miseram ejus animam rapuit, et in incendia æterna submersit. Si hac poena plecterentur blasphemantes, si mox ut aliquis in blasphemias prorupit, a demone visibiliter raperetur: et ad tartara traheretur, alii hoc videntes, a blasphemis certe absternerent. Nihil tamen secius ab iis præcavendum, eo quod etsi non visibiliter, saltem invisibiliter ad infernum præcipitabuntur; ubi simul poena damni et poena ignis, ac etiam speciali alia poena cruciabuntur. Ut enim ait Cassianus, *in inferno dra-*

cones lobia blasphemantium vorant et serpentes diris moribus miserorum pectora lacerant. Summpore igitur a jurandi consuetudine et ab imprecationibus et a blasphemis abstinete. Linguas vestras non blasphemis evomendis, potius Dei laudibus decantandis assuefacite, ut æterna inferni devitetis supplicia et immensa cœli gaudia assequamini. *Amen.*

DOMINICA DECIMANONA POST PENTECOSTEN

DE BONIS TEMPORALIBUS.

*Abierunt alius in villam suam, et alius
in negotiationem suam (Math. 22).*

Cor nostrum a natura ita formatum est, ut a parte superiori, quia respicit cœlum, amplum sit et apertum, a parte vero inferiori, quia respicit terram, strictum et constrictum sit, ac in acumine quodam terminatum; quo docere nos voluit nature Author, cor nostrum rebus cœlestibus patere debere, non autem terrenis bonis, quæ unico quasi punctu attingere quemque oportet, iisque cor non apponere: *divitia si affluent, nolite cor apponere* (Ps. 61, 11). Plerique tamen cœlestia parum, terrestria multum diligunt; ac licet eos Deus ad cœlestia bona amanda et ambienda pluries invitet, terrenis semper inhiant, iisque assimilantur, qui ad nuptias invitati et vocati, venire neglexerunt: nam alius in villam suam dominandi cupiditate adductus, alius ad negotiationem suam rei familiari augendæ intentus, abiit: *abierunt alius in villam suam, et alius in negotiationem suam.* O fratres, quæ sursum sunt querite, non quæ super terram, cœlestia bona ambite, iis toto corde adharete, non autem terrenis, quæ villa, contemptibilia et instabilia sunt, ut videbimus. *Ave.*

Pretiosa, diuturna et utilia sunt bona coelestia. *Pretiosa* quidem sunt, tantusque eorum est valor ac tantum pretium, ut nullus aestimare possit quanti valeat momentanea honorum illorum possessio. *Diuturna* sunt, tantaque eorum est duratio, ut non ad tempus, sed in aeternum, et in perpetuas aeternitates a sanctis possideantur. *Utilia* sunt, tantaque ex eorum possessione percipitur utilitas et tantus fructus, ut qui ea possident, perfecta, summa et aeterna beatitudinis gaudeant. En qualia sint coelestia bona; a quibus summopere differant bona huius mundi, utpote quae vilia, transitoria et vana sunt. Ista bona non sunt pretiosa, imo vilia et contemptibilia; non diuturna, verum mutabilia et transitoria; non utilia, sed vana et inutilia. Ecce naturam et verum characterem honorum temporalium, quae 1. *sunt vilia*, et parum valent; 2. *sunt transitoria*, et parum durant; 3. *sunt vana*, et parum prosunt; en tres huius concionis partes.

I PARS.

Bona temporalia parum valent.

Pauperi divitiae, famulo dominatus, servo libertas, egro sanitas, ac omnibus fere hominibus bona temporalia magnum quid et pretiosum esse videntur, et ideo summo affectu ad ea adhaerent, et pro iis assequendis contendunt. Jamvero haec omnia, quae in erronea hominum opinione et aestimatione magna censentur, in se parva, vilia et contemptibilia sunt, parumque valent: *haec propter quae litigamus, discurremus, anhelamus, humilia et abiecta sunt* (Senec. *de ira* 3, 32). Ex bonis temporalibus nil tanti facere solent homines, quanti pecuniam, pro qua assequenda, nil non moluntur, et tamen quid exiguum ac quasi nihilum est. *Circa pecuniam plurimum vociferationis est, haec fora defatigat: patres filiosque committit; venena miscet, gladios percussoribus et legionibus*

trahit, haec est sanguine nostro delibata; propter haec azorum maritorumque noctes strepunt litibus, et tribunalia magistratum premit turba: reges sociunt, et civitates longo saeculorum labore constructas evertunt, ut aurum argentumque in cinere urbium scrutentur. Quod si totam mihi ex metallis omnibus pecuniam proferas; si in medium projicias quidquid thesauri tegunt, omnem istam congeriem dignam non censeam, quae viri boni contrahat frontem; quanto risu prosequenda sunt, quae nobis lacrymas educunt! Crede mihi, levia sunt propter quae non levis ex-candescimus, qualia quoque pueros in rixam et jurgium movent, nil ex his, quae tam tristes agimus, serium est, nil magnum; ista quae appetis, exigua sunt (Sen. *ib.*). Sic loquitur moralis philosophus, qui divitias omnes, omniaque mundi bona simul collecta, quid exiguum censet. Et sic credamus hominum sapientissimo, non solum quid exiguum, verum et quasi nihilum reputanti: *divitias nihil esse duxi* (Sap. 7). In stuporem adducta est regina Saba, cum amplissimum illud sapientissimi Salomonis imperium contemplata est. Equis enim non obstepescat mensam regiam, in quam singulis diebus, farinae coros sexaginta, sen sexaginta millia farinae libras, boves triginta duos, arietes centum, altitium ac ferarum, quae venatione capiiebantur, copiam immensam insumebat. *Omnia quoque casa concivii regis erant aurea, et casa domus saltus Libani ex auro purissimo. Erat autem pondus auri quod afferebatur Salomoni per singulos annos, sexcenta sexaginta sex talenta auri, excepta ea summa, quam Legati diversarum gentium et negotiatores afferre consueverant, omnesque reges Arabiae et satrapae terrarum, qui comportabant aurum et argentum Salomoni. Tantamque copiam praebuit argenti in Jerusalem, quasi lapidum* (2 Paral. 9). Habuit quoque Salomon quadraginta millia eorum in stabulis, currum, equitumque duodecim millia; ac tandem *magnificatus est Salomon super omnes reges terrae divitiis et gloria*. O quam dives! o quam honorificatus est rex Salomon! Jamvero quanti fecit ille omnes mundi divitias omnemque gloriam!

Nihil esse dicit. Hæc omnia quasi nihilum reputavit, et a nobis reputari voluit; unde de terrenis bonis locutus, ait: *vanitas vanitatum, et omnia vanitas, vel ut alii vertunt, nihilum, nihil et omnia nihil.* Dic, Salomon, quid sunt aurum, argentum, et omnes mundi divitiæ simul sumptæ? *Nihil.* Quid sunt regna, imperia, et omnes mundi dignitates? *Nihil.* Quid sunt convivia, choreæ, ludi et omnes corporis voluptates? Hæc et omnia mundi bona nil aliud sunt, quam merum nihilum: *nihilum, nihil et omnia nihil.* *Aspexi terram,* inquit Jeremias, *et ecce vacua erat et nihil.* Terra plena est bonis illis, quæ homines tanti faciunt, quomodo erga vacua? In terra etiam habetur magna auri, argenti, lapidum pretiosorum, et aliorum honorum copia, quomodo ergo in ea nihil? Terra quidem vacua est, et in ea quasi nihil, quia divitiæ, honores, dignitates, deliciae et omnia bona quæ in ea reperiuntur, non sunt bona quæ hominis cor repleant, et tam pauci valent, ut quasi nihilum sint: *vacua erat et nihil.* In pagis et oppidulis nonnunquam agricolæ et capones in introitu domus suam omnem ab ingredientibus videndam collocant supellectilem, quam ipsi magni pendunt et pretiosam censent. Ibi ad ostentationem ponunt catinos, scutellas, sartagine, et alia hujusmodi, quasi introeuntibus dicant: habeo hæc omnia. Si autem rex vel alicuius quidam e regis curia veniens, hanc ingrediatur domum, talia videns utensilia, subridet, eamque nihil pendit, quia longe majora et excellentiora videre consuevit. Sic Jeremias propheta, qui spiritualia et caelestia bona noverat, quique ea contemplari, iisque frui solitus erat, temporalia omnia bona despicit, eaque vacua, inania et tamquam nihilum esse censet: *Aspexi terram et ecce vacua erat, et nihil.* Christus Dominus, qui prima veritas est, et qui falli et mentiri nequit, omnia hujusmodi bona nihilum esse clarissime testatur, cum asserit, discipulos nihil ab eo petisse: *usque modo non petistis quidquam* (Joan. 16, 24). Accesserat quidem ad eum mater filiorum Zebedei cum filiis suis, adorans, *et petens quid ab eo:* discipuli rogaverunt etiam eum pro filia Chananae, quæ a dæmonio vexabatur: rogaverunt et illum pro socio Simonis, quæ tenebatur magnis febr-

bus, et tamen Christus ait, quod non ab eo *quidquam* petierint; tam parvi momenti erant illa, ut non essent quidquam, sed potius nihilum, vel, ut exponit doctor angelicus, non petierunt apostoli quidquam a Christo, *quia pro nihilo habendum est quod petierant in comparatione eorum quæ petere debuerant* (in c. 16 Joan.). O fratres, si petatis Spiritus Sancti gratiam, morum conversionem, orationis donum, divini amoris ignem vel æternam beatitudinem, hæc sunt *quid.* Cum vero a Deo petitis numerosam prolem, bonam valetudinem, officia, beneficia, dignitates, divitias, et alia temporalia, hæc habuenda tamquam nihilum; quia temporalia sunt quasi nihilum, saltem respectu spiritualium. Cum terrena cuncta nihil sint, cur ad illa tanto affectu anhelatis? Cur tanto studio quod nihil est, quaeritis? Cur tot labores pro nihilo sustinetis? Cur officia, beneficia, dignitates, et alia hujus mundi bona, quæ nihilum sunt, tanto ardore prosequimini? *Omnia illa somnium, umbra, nihil, si cum æterno, et æternitate comparentur.* Dei gratia, paradisi gaudia, et æterna cœli bona sunt concupiscenda, ambienda et prosequenda; non autem hæc inferiora, quæ nihil sunt, quæ pro nihilo ducenda sunt. *Quæ sursum sunt quaerite, ubi Christus est in dextra Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram* (Coloss. 3, 1). Nolite inordinate amare terrestria, quæ nihil sunt; vehementissime amate Deum, qui omnia est: *Deus meus et omnia.* Nolite diligere mundum, et ea quæ in mundo sunt, quia omnia hæc nihil sunt; diligite Deum, qui verus est omne bonum; laborate, ut æternam æsequamini beatitudinem, quæ omnia bona continet. Hic scopus, hæc meta debet esse affectionum et laborum vestrorum: hoc desiderate, hoc amate, ad hoc omnia studia, omniaque vestra opera dirigite, non autem ad terrena, quæ parum et nihil valent, *et quæ etiam parum durant.*

II PARS.

Bona temporalia parum durant.

Qui habent uxores, inquit D. Paulus, *tamquam non habentes sint; et qui sicut, tamquam non sicut; et qui gaudent, tamquam non gaudentes; et qui emunt, tamquam non possidentes; et qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur* (1. Cor. 7); cuius rei rationem subdit, dicens, *præterit enim figura hujus mundi.* Figuram vocat omnia mundi bona; quia sicut figura non est res ipsa, sed ejus similitudo, sic omnia hujus mundi bona ita exilia et parvi momenti sunt, ut potius bonorum similitudinem, quam veritatem habeant, ac proinde contemnenda veluti bonorum solummodo apparentiam referentia. Etsi autem hæc bona essent vera, solida et magna, contemnenda tamen essent, quia parum durant et cito prætereunt: *præterit enim figura hujus mundi.* Ubi nunc potentissimæ Chaldæorum, Persarum, Græcorum et Romanorum monarchiæ? *Transierunt.* Ubi Salomonis gloria, divitiæ Cræsi, et Heliogabali deliciæ? *Transierunt.* Ubi Augusti Caesaris triumphus, Alexandri Magni dominium, fortitudo Sampsonis, et Absalonis pulchritudo? *Transierunt.* Ubi tot imperatores, tot reges et tot principes, qui olim in orbe floruerunt? *Transierunt.* Ubi omnia mundi bona, et possessores eorum: totus mundus nil aliud est, quam figura, quæ parum durat, et citissime transit: *præterit figura hujus mundi.* Ostendit Christo demon omnia mundi regna, eaque illi ostendit non diu, sed *in momento temporis,* ut scribit S. Lucas Evangelista. Cur Christo omnia mundi regna ostendit, et cur unico momento hæc illi ostendit demon? Ea illi ostendit, quia regna, opes, et cuncta mundi bona quasi non possidentur, solum ostenduntur. Ea etiam illi ostendit *in momento temporis,* quia terrena omnia citissime transeunt: *ostenduntur ista res, non possidentur; et dum placent, transeunt* (Seneca ep. 110).

Quemadmodum suavis vocum concertus brevi temporis spatio aures oblectat, moxque præterit; ita suavis temporalium honorum possessio, temporis momento voluptate nos demulcet, moxque pertransit, ac dum placet, transit: *transeunt omnia, evolant omnia; et sicut fumus evanescent* (Aug. Tract. 7 in Joan). Est illud sensuum vitium, ut tamquam quid stans et immotum nonnunquam apprehendant id, quod natura sua fluxum est; nec sentiunt moveri, quod cursu fertur velocissimo. *Interdum solem,* inquit Philo Hebræus, *noctu lunam stare imaginantur oculi corporis; cum tamen nemo nesciat, horum siderum cursum esse concitatissimum, quæ totum cælum una die obeunt.* Eadem respectu terrenorum nos dementia exagitat: auram, argentum, et omnia stare putamus, isque adhaeremus, ac si constantia et in perpetuum duratura forent; et tamen celerime feruntur, ac ita præterfluunt, ut simul veniant et avolent: *talia sunt omnia humana, nondum advennerunt et avolarunt.* Putant divites ad multos annos se divitiis quas possident fruturos; et cito audiunt sibi dici: *stulte hac nocte animam tuam repetunt a te; quæ autem parasti, cujus erunt?* (Luc. 12). Arbitrantur voluptuarii, se illicitis voluptatibus diu adhesuros, et ideo iis se totaliter dedunt, et ducunt in bonis dies suos; verum subito a morte rapiuntur, et ad inferna præcipitantur: *et in puncto ad inferna descendunt* (Job. 21, 13). Imaginantur superbi et ambitiosi, se felices futuros, cum ad hanc vel illam dignitatem ascenderint, sequæ ea diu gavisuros tamquam certum aspiciantur; ipsi vero *mox ut honorificati fuerint, et exaltati, quemadmodum fumus deficiunt* (Psal. 36, 20). Consent inopi, hæc suas delicias, hæc voluptates, hæc dissolutiones bene fundatas; ideoque stables et non fugitivas esse; at tamen hæc et omnia terrena quam citissime transeunt, præterfluunt et avolant: *omnia sæculi bona instar fluvii, sine aliqua curas sui statione præterfluunt et transeunt.*

Audivit Isaias vocem et cælo lapsam, jubentem ei, ut clamaret: *vos dicentis, clama.* Petiit a Deo propheta, quid clamaret; et dixi, *quid clamabo?* Cui Deus; clama, quod *omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri.* O pro-

digium! Omnia tot monarcharum, regum et principum dominia, omnis tot magnatum potentia, universa tot pomparum gloria, omnia tot honoratorum obsequia, omnes tot virorum, quod felices dicimus, deliciae; omnis mundana prosperitas, omnia, inquam, isthaec quid esse putatis? *Sicut fenum, et quasi flos agri.* Quid portentosus ille Xersis exercitus, qui ingentia bibendo exsiccabat flumina? Quid magnifica Darii convivia, quae sex continuis durabant mensibus? Quid triumphi Caesaris, Alexandri victoriae, et Salomonis thesauri? Omnia haec *sicut fenum, et quasi flos agri.* Quid superborum omnium fastus, ambitiosorum arrogantia, illustrium capitanoorum fama, et magistratum honores? Quid tot divitum praedia, tot carnalium hominum deliciae, tot potentatum palatia, tot variorum vestimentorum ornamenta? Quid tanta sapientum doctrina, tantus litteratorum rumor, tanta magnatibus exhibita reverentia? Omnia haec *sicut fenum et quasi flos agri.* Sicut enim fenum et agri flores quam citissime transeunt, ita et omnia mundi bona mox ut apparuerunt, disparent et statim transeunt; *attendite florem feni; quid citius transit? Talis est jucunditas rerum, quae ad hanc vitam pertinent; simul enim et cernitur, et interit* (Crysost.). O vos omnes qui in regnum et magnatum curia honores et dignitates tanto affectu aucupamini, *nescitis quid petatis.* Vos qui in academis primas cathedras ambiis, *nescitis quid petatis.* Vos qui praecipua reipublicae munia tanto studio appetitis, *nescitis quid petatis.* Vos qui ad temporalia acquirenda tantopere anhelatis, *nescitis quid petatis.* Non enim haec querenda et ambienda, quae fluxa, caduca et transitoria cernimus; exquirenda caelestia bona, quae permanentia et aeterna sunt: *querite primum regnum Dei.* Ista summo affectu ambienda, ista querenda: *si divites esse cupitis,* inquit S. Gregorius, *veras divitias amate; si culmen veri honoris queritis, ad caeleste regnum tendite; si gloriam dignitatemque diligitis, in illa suprema angelorum curia adscribi festinate* (hom. 15 in Ep.). Caelestia haec bona amando, ambienda et inquirenda, quia aeterna sunt. Caelestia ergo bona diligite et ambite, non autem terrena tam fluxa, nutantia, tanquam cito peritura: no-

lite fratres jam mundum diligere, quem ita cernitis cum velocitate transire (S. Aug. serm. de die jud.). At bona temporalia non solum cito transeunt, et parum durant; *verum et parum prosunt.*

III PARS.

Bona temporalia parum prosunt.

Sicut nullis veterum aut recentiorum annalibus constat, aliquem infantem cum nummo in manu, aut monili a collo pendente in lucem prodiisse, ita et certum est, quod nullus ex hoc mundo exiens, quidquam secum auferet: *nihil enim intulimus in hunc mundum; haud dubium quod nec auferre quid possumus* (1 Tim. 6, 7). Quid, quaeso, auferunt divites, et magnates, cum ex hac vita migrant? Nihil; *dives cum dormierit, nil secum auferet* (Job. 27). Quapropter cum homines nil decedentes secum auferant, quid prodest in morte omnibus delictis affluxisse, maximos thesauros habuisse, et temporalibus cunctis abundasse? Certe tunc haec omnia parum, imo nil proderunt. Quin contra sepe obsunt, eo quod in morte intus crucientur, qui temporalibus bonis in mundo abundarunt. Audite magnum illum Hispaniarum regem, Philippum secundum, qui moribundus hoc palam confessus est, dicens: *nil confert regem esse, nisi quod in morte crucietur fuisse.* Quid profuit Philippo amplissimum Hispaniarum possidisse regnum, in quo triginta oppidorum, vel pagorum millia numerantur? *Nihil confert.* Quid profuit ei tot provincias, tot oppida, totque civitates opulentas et munitissimas in Belgio dominationi suae subditas habuisse? *Nihil confert.* Quid ei profuit, tot urbes expugnasse, tot occupasse regiones, tot regna subjungasse? *Nihil confert.* Quid ei profuit tot principes ac dynastas ad nutum habuisse, tot militum millia terra, marique sub signis suis numerasse, ac imperii sui fines longe lateque propagasse? *Nihil confert.* Haec quidem omnia nil profuere Philippo; et

bona quocumque temporalia aliis hominibus ex hac vita migrantibus nil prosunt. *Velim*, te solum ea omnia possidere, quæ nunc ab omnibus et singulis possidentur hominibus; te solum iis omnibus frui deliciis, quas optare poteris; te unicum totius mundi esse monarcham; tibi omnes voluntarie subdi nationes, tibi omnes obtemperare populos, te evectos homines venerari, omnibusque te singulis admirationi esse. *Velim*, tui solius nomen ex ore proferri mortalium, nullius præterquam famæ tuæ mentionem fieri in omnibus temporum annalibus, solaque tua gesta et facinora a scriptoribus recenseri. *Velim*, cunctas in hoc mundo post te currere gratias, sinistros omnes a te eventus declinare, omniaque tuæ desideria et vota penitus adimpleri; quid tandem in fine erit de omnibus hisce? Quid tunc proderit hæc omnia habuisse? *Nihil confert, nisi quod in morte cruciet habuisse.* Si quis, dum bene habet, divitias pauperibus erogaret; si eas in pios usus expenderet; et si datis sibi a Deo bonis temporalibus ad profectum suum spirituales uteretur; multum quidem ei prodesse. Verum hujusmodi bona possedisse, ea cocarvasse, vel ea ad fastum, atque ad delicias insumpsisse, nihil prodest: imo obest et in morte dirissime cruciat. Unde Christus Dominus, in seminantis parabola, temporalia bona spinis comparavit: quia, scilicet, qui iis non bene utantur, in morte intus cogitationibus suis quasi spinis lacerantur et eruciantur. *Quis mihi unquam credoret, inquit S. Gregorius, si divitias spinas interpretari voluissent? Maxime cum ille pungant, iste delectent; et tamen spinæ sunt, quia cogitationum suarum punitionibus lacerant mentes et cum usque ad peccatum pertrahunt, quasi inflieto vulnere eruciantur* (hom. 25 in *Ev.*). Hanc autem punitionem imminente morte homines potissimum sentiunt: tunc valent potius pauperes quam divites extitisse: tunc optarent delicias, aliisque temporalibus bonis non affluxisse: tunc cuperent pie vixisse, et bona sua in pios usus insumpsisse: tunc eos pœnitet, quod vilibus et transitoriiis illis bonis nimium adhererint. Tantum abest, ut tunc iis prosint illa bona, quin contra intus eruciantur, eo quod illa habuerint, propter quæ magis cruciabuntur in inferno. Audiamus da-

mnatos ibi loquentes, ac docentes quantum ex temporalibus bonis emolumentum perceperint: *quid, inquam, nobis profuit superbia? Aut divitiarum jactantia quid contulit nobis?* (Sap. 5, 8). Quid profuit nobis? ajunt: quasi dicant, ut explicat Hugo cardinalis: *nihil nobis profuit, et modo nocet.* Quid contulit, ajunt; quasi dicant, ut exponit præfatus cardinalis: *nil nobis contulit, nisi penam.* Ecce quid prosunt, et quid conferre soleant hominibus bona temporalia; nihil eis prosunt: quinimo plerumque nocent, et in causa sunt, cur homines ad æterna supplicia damnentur: *qui presentium suavitatis capitur, quasi per amona præta ad interitum ducitur.* O quot nunc cremantur in inferno, qui felices nimium videbantur in mundo? Quot nunc suppliciiis æternis addicuntur, qui videntes in carne deliciis affluere! Nemo sane ab hujus mundi voluptatibus ad æternas transire, nemo temporalibus et æternis potest perfrui bonis; et ideo qui transitoriiis sæculi bonis affluunt, plerumque ab hoc mundo ad tartara migrant. Ecce emolumentum, quod ex hujus mundi bonis eliciunt. Bona hæc non illis prosunt, imo plurimum obsunt: itaque non hæc, at æterna paradisi bona sunt ambienda, et sedulo exquirenda: *filioli, inquit S. Bernardus, concupiscamus in atria Domini, crebro suspiremus illuc.* Non sumus similes Israëlitis, qui ad Ægypti allia et cepas anhelabant, neque de terra promissionis curabant: *pro nihilo habuerunt terram desiderabilem* (Ps. 105, 24). Non anhelemus ad bona temporalia, quæ quasi cepæ videntur, et quæ nullius momenti sunt; suspiremus ad bona caelestia; concupiscamus terram desiderabilem: *concupiscamus in atria Domini, crebro suspiremus illuc.* Hujus mundi bona, *parum valent, parum durant et parum prosunt.* Ita ergo temporalia despiciamus bona; non iis plus quam ratio, et lex Dei permittunt, adherere: ac totaliter spiritualibus, et coelestibus bonis assidue vigilemus, dabique nobis Deus gratiam, qua mediante, æterna illa bona obtinebimus. Amen.

DOMINICA VIGESIMA POST PENTECOSTEN.

DE CORPORIS INFIRMITATIBUS.

*Erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur
Capharnaum* (Joan. 4. 46).

Quemadmodum mors omnibus communis, ita et omnibus communes sunt corporis infirmitates. Sicut moriuntur cuncti, ita et morbis, ad mortem præviis, omnes fere homines afficiuntur. Morbi, inquit S. Joannes Chrysostomus, undequaque diffunduntur, nulla enim fere domus, in qua quis non infirmetur: *in domo centurionis famulus extrema agit; in domo principis Synagogæ ludent omnes ob filiam fato functam; in domo reguli, de quo hodiernum Evangelium, filius ejus gravi afflicta- tur morbo.* Si tandem omnes mundi hujus lustrentur domus, ubique fere invententur infirmi, adeo ut a portentosa infirmorum multitudine totus terrarum orbis magnum quoddam dici possit nosocomium, et valetudinarium publicum, cæcis, claudis, febrientibus, peste affectis, vel alio morborum genere laborantibus plenum. Si qui autem actu non infirmantur, brevi infirmabuntur, cum ita compacta sint corpora nostra, ut sine aliqua infirmitate diu remanere nequeant. Corporis infirmitas, ut omnes fatentur, grande malum est; at longe gravius est malum, quod homines in infirmitatibus suis christiane et pie se gerere recusent. Ut isti malo occurramus, quomodo quisque in infirmitatibus se gerere debeat, hodie docebimus. *Atē.*

Qui ægrotat, animam suam, corpus suum, et temporalia sua bona respicere debet: *animam suam*, ut eam salvet; *corpus suum*, ut infirmitas qua laborat, ad salutem prosit; *bona sua temporalia*, ut ea recte, et juxta Dei placitum distribuat. Ut autem qui infirmatur salvet animam suam, debet ultima Sacramenta recipere, et alia ad salutem necessaria peragere. Ut

prosit ei corporis infirmitas, oportet, ut eam patienter perferat. Ut temporalia recte distribuat, testamentum justum et pium conficere tenetur. Unde ut doceam, quomodo se gerere debeant ægrotantes, dicam eos debere 1. quæ ad animæ salutem spectant, prompte exequi; 2. corporis dolores patienter sustinere; 3. bona temporalia, si quæ habent, pie et juste distribuere.

I PARS.

*Qui ægrotant, quæ ad animæ salutem spectant,
prompte facere debent.*

In corporis infirmitatibus multi de Deo, et de animæ salute tarde cogitant. Cum ingravescent morbi, medicos, pharmacopolas, chirurgos; imo et nonnunquam magos et sagas vocant, antequam ad Deum perfringant et salutis suæ negotio consulant. Imitantur regem illum, qui ægrotavit, *et nec in infirmitate sua quæsiit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus est* (2 Paral. 16); si vero sapiant, qui infirmi sunt, ad Deum, ad Sacramenta, et ad omnia, quæ ad salutem juvant, prompte confugiunt. Videte, quomodo se gesserit regulus ille, de quo sic hodiernum loquitur Evangelium. *Hic cum audisset, quia Jesus adveniret a Judæa in Galilæam, abiit ad eum.* Sicut autem hic ad Christum ivit, ut ab eo filii sanitatem peteret, ita et in infirmitatibus, non ad demones, non ad magos, sed ad Deum est prompte confugiendum, et salutis suæ consulendum. Ac quantum prudentia christiana congruum et necessarium duxerit, Sacramenta sunt prompte recipienda. Plures sæpe tam stolidi et stulti inveniantur infirmi, ut quæ salutis sunt, usque ad extremum vite terminum dimittant. Sibi semper suadent, gravem non esse morbum, quo laborant, nullumque imminere mortis periculum. Diabolus, qui semper circuit quærens quem devoret, his intus inspirat, quod levis sit infirmitas, quodque intra paucos dies e cubili surgent, ut es perficiant, quæ et alii explent: imo sæpe videmus, quod in domibus, in quibus languent infirmi, tot sint

daemonis ministri, quot sunt domestici, et alii qui infirmis inseruiunt, eo quod iuxta daemonis vota loquentes, infirmis nunquam manifestant mortis et damnationis periculum in quo versantur; semper dicunt eis, leuem esse morbum quo detinentur; febrem esse minus accensam, nullamque timendi subesse causam. Inde fit, ut innumeri sine previa peccatorum confessione ex hac vita migrent, et in aeternum damnentur. Propterea infirmis, si sapiant, non sibi adhibebunt, filiis ac domesticis non fident; mox ut minima periculi species apparebit, ad Deum suum confugient, prudentem confessorium vocari curabunt, omnia conscientiae latibula ei manifestabunt, sua humiliter ei confitebuntur peccata; et accepto absolutionis sacramentalis beneficio, eum deprecabuntur, ut dicat, quae et quando perficienda alia ad salutem necessaria; eaque omnia prompte, et sine ulla dilatione adimplebunt. Sciunt omnes, quod necessario morendum, quodque mors homines in omni loco, omni tempore, et in omni statu aggredi solet: ideoque in omni loco, et omni tempore ad mortem se preparare debent, ne in aeternae damnationis supplicium incurrant, atque aeternae beatitudinis gloriam obtineant. Tunc maxime ad mortem se quisque preparare debet, cum morbo quodam afflicatur, quia morbi sunt quasi nuntii a Deo missi, ut hominibus mortem vicinam esse designent. Et ideo cum quis morbo affligitur, dicere non debet: levis est morbus meus; in nullo versor mortis periculo; non est quod timeam, nec quod confessorium et salutis medicum advoceam. Inuero mox ut quis in morbum incidit, secum ipse recogitet: ecce nuntium a Deo ad me missum, ut me mortalem esse moneat, utique mortem vicinam esse annuntiet: jam oportet criminum meorum veniam a Deo humiliter petere; volo sine ulla mora meae confiteri crimina, ac alia omnia ad salutem necessaria absque ulla dilatione peragere, ut ad imminens mortem me preparem. Multi tunc morte corripiuntur, cum mortem procul inspiciant, et eam multos longioris vitae annos sibi promittant. Nonne quotidie viros videmus, quorum integra conseruata valetudo, et qui fidenter se diu victuros arbitrabantur, qui tamen subitanea praeventi morte

e corpore exeunt? Nonne quotidie audimus, iam istum, iam illum, qui sani, bene valentes et vegeti conseruabantur, apoplexia suffocatos, vel alio aliquo morbo confectos ad manes migrasse? Hoc passim accidit: et hoc cuique contingere potest. Ergo quantumvis quis sanus sit, ad mortem se prompte preparare debet; atque ad eam multo promptius se preparare debent, qui infirmantur, quia mortem viciniorum habere consentur, et in majori subitanea mortis discrimine versantur. A morte pendet aeternitas: si morte iustorum moriamur, in aeternum felices erimus, et bene nobis erit; si vero morte iniquorum moriamur, in aeternum miseri et formidandis inferni supplicii addicti manebimus: propterea licet certi essemus, nos in hoc mundo annis mille, et centum mille victuros, omnibus proxi illius temporis momenti ad mortem nos preparare deberemus, ut in aeternam damnationem mortem non incurraueremus, et ut sempiternam caelitem felicitatem obtineremus. Si autem ad mortem tam diuturno tempore quisque se preparare deberet, quanto potiori jure ad eam nos preparare debemus toto vite nostrae tempore, quod brevissimum est? Quanto accuratius ad eam nos preparare convenit, cum in infirmitatem labimur, cuiusque mortem vicinam esse nobis annuntiat? Certe tunc ad eam quisque diligentissime, et citissime se preparare, ac ea quae ad salutem necessaria novit, perficere debet, ut morte iustorum moriatur, et ut aeternam beatitudinem assequatur. Licet mille annis ad mortem nos preparaeremus, et toto hoc tempore dirissima saeculi supplicia perfereremus, minima et quasi nulla censenda foret haec preparatio respectu honorum caelitem, quae mediante hac preparatione obtinere speramus. Imo, inquit Chrysostomus, *si quotidie oporteret nos tormenta perferre; si ipsam gehennam aliquo tempore tolerare, pro eo ut Christum videre possemus in gloria, et sanctorum ejus numero associari; non erit dignum pati omne quod triste est modo, ut tanti boni, tanteque gloriae participes habeamur.* Toto ergo vite tuae tempore ad mortem te prepara: et tunc magis, tunc studiosius, cum infirmaris, cumque morbus mortem imminere designat. Tunc majori sollicitudine et diligentia ad eam te pra-

para, et quæ ad salutem requiruntur, exequere, ut morte justorum moriaris, et æternam beatitudinem obtinere valeas. Cum ergo quis vestrum infirmatur, conscientia suæ intima lustret; videat, an intra semetipsum gravè quoddam lateat peccatum, quo divina gratia et æterna beatitudine indignus fiat. Si quod autem tale in semetipso agnoscat peccatum, illud quam citissime per penitentiam deleat, et alia ad salutem necessaria promptissime compleat. Ecce primum, quod facere debet infirmus. Secundum, quod agere debet, est, *quod infirmitatis incommoda patienter sustineat.*


 II PARS.

Qui ægrotant, corporis dolores patienter sustinere debent.

Morborum suorum principia et causas ad Deum non referunt multi; verum ad colli intemperiem, ad pestiferos astrorum influxus, ad nimiam a cibis abstinentiam, ad humorum inordinationem, vel ad aliam aliquam causam naturalem. Verum quidem, quod a causis naturalibus procedere soleant morbi; verum quoque ab iis procedere, quia sic Deus fieri permisit et ordinavit. Unde in omnibus morbis et adversitatibus quas patimur, Deus inspiciendus tanquam prima causa, a qua omnia mala ponæ, que patimur, primario procedunt; *bona et mala, vita et mors, paupertas et honestas a Deo sunt* (Eclii. 11, 14). Malum culpæ, seu peccatum non fecit, nec facere potest Deus, qui essentialiter impeccabilis est; ast omnium morborum, omniumque malorum ponæ ipsa prima est causa. Et ideo si podagra crucieris; si dentium dolore torqueris; si peste, hydropsi, vel alio morbo laboras, ad Deum tuum refer flagellum tuum, eumque ut auctorem et causam omnium morborum, quos pateris, inspicie: cum ipse omnium malorum ponæ auctor et causa sit, nec aliquot sit malum, quod ipse non fecerit: *si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit* (Amos 3). Agnosce ergo Deum, ut auctorem omnium morborum quibus affigeris: agnosce, quod sint

a Deo, qui creavit te; a Deo, qui te redemit; a Deo, qui Pater et protector tuus est; a Deo, qui diligit te; a Deo, qui percussit ut sanet; a Deo, qui gravissima pro tui salute perpessus est; a Deo, qui calamitates non immittit, nisi ob bonum finem; a Deo, qui petit, ut æquo animo et patienter perferas morbos quibus gravaris. Igitur cum infirmitates tue sint a Deo, eas omnes, quantumvis graves et diuturnas, æquo animo et patientissime sustinere debes. Patienti animo et placide infirmitates, aliasque omnes tribulationes patiebatur Vates regius: tantaque ejus erat patientia, ut obmutesceret, nec quomodo-cumque os suum aperiret, *sive* ut mormuraret; *sive* ut de Dei providentia conquereretur; *sive* ut verba blasphemie, maledictionis, vel impatientie proferret: *obmutui, et non aperui os meum*. Tanta autem hæc ejus erat patientia quia Deum, ut morborum aliarumque adversitatum suarum auctorem respiciebat: *obmutui, et non aperui os meum, quoniam tu fecisti*. Imitare s. Prophetam: infirmitates, quibus gravaris patienter sustine, quia sunt a Deo, qui diligit te; et qui eas non immittit, nisi ob bonum finem, et ad profectum tuum spirituales. Infirmitates sane patienter sustinere debes, si consideras, eas a Deo esse. Itemque eas patienti et æquo animo perferes; si perpendas eas esse speciale Dei donum, ac verum amicitie ejus signum. Nec de hoc dubites, cum asserat Deus, se eos amare, quos castigat: *ego quos amo, arguo et castigo* (Apoc. 3, 10). Sicut continua corporis sanitas, magnaque prosperitas signum est odii; et, ut ait S. Gregorius, *magnus affluus rerum temporalium æternæ damnationis est indicium*: ita e contrario infirmitates et aliæ adversitates, quibus Deus homines in hoc sæculo affligit, sunt signum amicitie ejus, quia Deus eos non affligit, nisi ut sanctificet et salvet. Hæc de causa infirmitates quæcumque, quantumvis graves et diuturnæ, ut beneficia et ut pretiosa Dei dona benigne recipienda et patienter sustinenda. Hæc sane ratio efficax infirmitates patienter sustinendi; cui et alia accedit optima ratio, nempe quod infirmitates a plurimis peccatis et peccandi occasionibus revocant. Quod ipsa experientia constat;

eum enim quis gravi infirmitate detentus, cubili decumbit, ad cauponam non vadit, ebrietas non vacat, choreas non ducit, prohibitas non adit domos, impiorum consortio non se immiscet, superbis et scandalosis non induitur vestibus, a luxuria, aliisque plurimis abstinere peccatis. Et ideo per Prophetam dicit Deus, quod spinis viam impiorum sepriet: *ego sepiam viam tuam spinis* (Osee 2, 6); quia scilicet morbi sunt quasi spinæ et sepes, quibus impediuntur peccatores, ne ad peccatum currant. Ama ergo infirmitates, easque patienter sustine, cum a multis peccatis revocent et præservent. Adhuc et infirmitates sunt patienter sustinendæ, *quia nos ad Deum ire compellunt*. Plurimi quidem ad Christum Dominum properabant, dum in hoc mundo versaretur; nulli autem tanto ad eum conatu, tantoque affectu veniebant, quanto qui gravi aliquo morbo laborabant. Hæmorrhøissa per mediam turbam perrupit, ut sibiriam illius tangeret; Chananea pro filia infirma deprecans, ter repulsam passa, non destitit a precibus. Cæcus ille clamans, tacere jussus, multo magis clamabat; Centurio pro servo, quem plurimum diligebat, ad Christum legationem misit; Regulus multo itinere ad Christum accessit, ac pro filio infirmo anxie et constanter rogavit: quibus et aliis exemplis patet, quod infirmitates ad Deum ire compellant. *Mala, quæ hic nos præmunt, ad Deum ire compellunt*. Ideo cum infirmitates ad Deum nos ire compellant, amandæ sunt et patienter sustinendæ pro amore Dei, qui sis utitur, ut nos a vitis iniquitatis avertat, nosque ad ipsum properare cogat. Si alias multas rationes colligere liceret, dici posset infirmitates patienter sustinendas, quia corpus domant et spiritui subjiciunt: quia inordinatos passionum motus comprimunt: quia virtus infirmitate perficitur: quia morbi probant qui sint veri, et legitimi Dei servi: quia morbis æquo animo perpassis glorificatur Deus, gratia divina obtinetur, purgatorii horrenda vitantur supplicia, et immensa celi bona comparantur. Ne autem in immensum mea protrahatur oratio, velim solummodo considerent, qui infirmantur, quæ et quanta pro ipsis, licet indignis et ingratis, passus sit Christus; velim tantum ut

Christum pro eorum salute cruci affixum serio contemplantur. O homo qui infirmaris, respice in faciem Christi tui, et patienter sustine infirmitates tuas pro amore illius, qui tam acerba, et tam portentosa pro tui amore in cruce passus est. Ad hæc, qui infirmi sunt, non solum corporis dolores patienter sustinere debent, *sed et bona temporalia, si quæ habent, pie et juste distribuere tenentur*.

III PARS.

Qui ægrotant, bona temporalia pie et juste distribuere debent.

Qui sapient in seculo, de temporalibus bonis statuunt cum bene se habent, quia tunc sano pollent iudicio, et melius norunt quid et quomodo res agant, quam cum infirmantur. Qui tamen antequam ægrotent, de rebus suis nullo modo, aut malo modo statuerunt, de iis statuere debent cum infirmantur: ac de iis statuere tenentur, ut *primo* aliena, si quæ detinent, hæredibus possidenda non relinquunt, sed propriis dominis restituant. Ut enim ait D. Augustinus: *qui contra jus societatis humane furtis, rapinis, calumniis, invasionibus aliqua abstulerit, reddenda potius, quam donanda censemus* (ep. 54 ad Mac.). Nec credas, ad hoc ex consilio solum teneri qui aliena detinent: hoc enim est de præcepto, ac ut loquitur et docet Divus Thomas, *id restituere, quod injuste ablatum est, est de necessitate salutis*. Et quod maxime adnotandum, non solum restitui debent injuste ablata, sed justitia et æquitas postulant, ut restituantur omnia lucra ex inique ablati provenientia: *non tantum sunt restituenda ablata, vel injuste accepta, sed etiam omnis proventus, et omnia lucra ex his provenientia sunt restituenda* (De usur. 1). Hoc capere nequeunt, vel capere nolunt testatores; maluntque cœlesti beatitudine in æternum privari et sempiternis addici suppliciis, quam aliena hæredibus non relinquere et ut hæredes divites habeant, æterna seipos morte condemnant

(Salvian.). O quam vesani ac stolidi sunt, qui testamentis suis aliis præparare curant divitias, sibi summam egestatem; aliis gaudia, sibi lachrymas; aliis voluptatem brevem, sibi ignem perennem; aliis beatitudinem temporaneam, sibi miseriam et afflictionem æternam: *infidelis et stultus est, qui macult præstare aliis ut sit miser, quam sibi ut sit beatus, et ut alios affluere faciat divitiis temporariis, se tradit urendum ignibus sempiternis* (id.). Hæc. Hæc. Hæc. quid prodest homini, reliquisse hæredibus divitias multas, si ipse in peccato moriatur et æternis flammis adjudicetur? Nil equidem. Flammæ etenim infelicitum mortuorum divitiis non refrigerantur hæredum: filii divites non liberabunt parentes suos; nec restinguet flammæ miseri testatoris delictis affluentibus opulentas hæres. Quapropter in testamento tuo, hoc primo accurate serva, quod aliena hæredibus non relinquas, sed ea propriis dominis restituas.

Secundo, Ita bona tua testamento sunt distribuenda, ut post mortem tibi sint utilia: *ita moriens substantiam tuam alteri deputa, ut capere ex ea fructus post mortem ipse possis* (Salvian.). Ut autem ex his emolumentum aliquod post mortem percipere valeas, fac legatum Christo, seu pauperibus et ecclesiis. *Si quis filium habet, putet Christum alterum; si duos filios habet, putet Christum tertium: si decem habet, Christum undecimum faciat, et suscipiet ex testamento fructum* (S. Aug., *De vit. et mor. Cler.*). Qui salutis suæ zelo succensî sunt, per seipsos bona pauperibus et ecclesiis distribuunt, non autem per hæredes, vel per testamentorum executores, qui sæpe infideles, dolosi, avari et cupidi sunt, nec de testatorum voluntate adimplenda curant. Si tamen ea per vosmetipsos non distribuieris, testamentum conficite, quod christianam redoleat pietatem, et in quo juxta facultates a Deo vobis datas, legatum faciatis Christo. Quæ enim tunc aliis datis, ad utilitatem eorum datis: quæ vero Christo datis, seu quæ in pia opera impenditis, vobis datis, vobisque post mortem sic proderunt tum ut formidanda purgatorii vitæ supplicia; tum ut majorem in celo mercedem percipiat. Testamenta ergo ita conficite, ut pia sint, vobisque utilia. Ac tandem ita confi-

cienda sunt testamenta vestra, ut justa sint: ita scilicet, ut servata justitia et aequitate, bona vestra iis quibus distribui debent, legitime distribuat. Hoc præclare docuit eminentissimus cardinalis Richelius, dicens, quod in cujusque testamento lucere debeant pietas et justitia: *pietas*, ita ut quisque pauperibus et ecclesiis facultatum suarum congruentem portionem relinquat; *justitia*, ut quisque bona sua juxta rectæ rationis et æquitatis regulas distribuat. Si quid enim unquam in homine est pietatis et justitiæ, tunc maxime micare debet, cum tempus resolutionis instat, et cum formidanda reddendæ Deo rationis hora imminet; quo tempore quisque de rebus suis legitime statuere debet, ut cuique reddat quod ei ex æquitate reddi debet, pariterque in pia legata se liberalem exhibeat. Hæ sunt regulæ, quas infirmi in bonorum suorum partitione et distributione servare tenentur. O quam miseri et stulti reputandi qui eas non servant, et qui ut alios bonorum suorum hæredes instituant, seipsos æterna paradisi hereditate privant: *quæ insania est, o miserimi, ut hæredes alios quoscunque faciatis, vos ipsos exheredatis? quæ insania est, o miserimi, ut alios relinquatis vel brevi dicite, vos ipsos æterna mendacitate damnatis?* (Salvian.) O quot christiani hæc laborant stultitia! quot, qui cum in morte possent recta bonorum suorum distributione æterna vitare supplicia sibi quæ cœlestia regna comparare, ita tamen stolidi et vecordes sunt, ut malint cum animæ et salutis suæ detrimento, bona aliena non restituere, vel sua non recte distribuere, quam legitimam bonorum dispensationem facere et salvari! O stulti, aliquando sapite; plus de vobis, quam de aliis curate; ne tam satagitis quid alii facturi sint, quam quid vobis sit eventurum post mortem. Et ideo cum gravi quadam laboratis infirmitate, ultima sacramenta promptè percipite, omnia valetudinis incommoda patienter sustinete, ac de bonis temporalibus pie et juste statuite. Hoc si faciatis, æternis in celo bonis Deus vos ditabit. Amen.

DOMINICA VIGESIMAPRIMA POST PENTECOSTEN.

DE SALUTIS NEGOTIO.

Assimilatum est regnum colorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis (Mat. 18, 23).

Quot in hoc mundo sunt homines, tot sunt et negotiatores, quos omnes Deus condidit, ut salutis suae negotio quisque vacet. Unde totus iste mundus sublunaris, videtur esse quasi magnus mercatus et quasi publicum emporium, ad quod omnes mittuntur homines, ut quisque negotiationi incumbat, utque salutis suae negotium quisque debite peragat. Sicut autem rerum temporaneorum mercatores non maris pericula ab officio negotiandi prohibent, non latronum insidiae terrent, non asperi itineris casus vetant, non hyemis frigus, non aestatis calor retinet, ita et nos, ut salutis nostrae negotium debite geramus, et ad felicem exitum perducamus, nil non suscipere, nil non agere, nil non pati debemus. Tempus adveniet, in quo omnes penitus homines, veluti negotiatores, ad Christi Regis regum tribunal sustentur, ut quisque de villicatione et de salutis suae negotio rationem reddat. Tunc homo ille rex rationem ponet cum servis suis: *assimilatum est regnum colorum homini regi, et qui voluit rationem ponere cum servis suis.* Itaque ut quisque paratus sit ad reddendam rationem de salutis suae negotio, doceamus quomodo quisque salutis suae vacare debeat. *Ave.*

Cum quoddam magni momenti negotium peragere vult vir sapientia et prudentia praeditus, primo, illud serio mente revolvit, ac attente meditatur quo assumenda sint media, ut res prospere cedat. *Secundo*, ex cogitatione finis et mediorum ad propositum finem assequendum idoneorum in corde ejus nascitur desiderium et ardens voluntas intentum finem obtinendi. *Tertio*, manum operi admoveat et efficaciter laborat, ut

res sibi bene, feliciterque eveniat. Quod autem in saecularibus negotiis agere solent viri sapientes; hoc longe perfectiori et eminentiori modo Christus in salutis nostrae negotio egit; ab aeterno enim negotium illud mente versavit, idem negotium prospere nobis eventurum desideravit ab ipso instanti, quo homo factus est, ac tandem toto vitae suae tempore arduos labores oblit, ut salutis media nobis compararet, utque a lata perditionis via ad aeternam salutem semitam nos deduceret. Miramini Christi in homines amorem, qui tantos exitit, ut salutis eorum negotium mente versaverit, corde concupierit, et laboribus suis prosperum iis futurum curaverit. Jamvero et quoad haec omnia ab hominibus Christus est imitandus; quisque enim ita salutis suae negotio incumbere debet, ut mens sua, cor sum, et manus suae huic negotio vacent. Quisque debet 1. de salute sua serio cogitare; 2. salutem suam ardentem desiderare; 3. pro salute sua sedulo laborare. Mens cogitet, cor desideret, manus laboret; ea quomodo salutis aeternae negotio vacandum.

I PARS.

Quisque debet de salute sua serio cogitare.

Si omnium hominum corda scrutari, variasque cogitationes, quibus agitantur, adnotare liceret, multos discipulandis litibus totaliter intentos, plurimos divitiis comparandis attentos, innumeros illicitis voluptatibus capessendis tota mente vacantes; et fere omnes vanis, ridiculis, imo saepe turpibus et exitiosis cogitationibus distentos videmus. Cujusdam naturae pisces esse fertur, qui aquis nunquam supernatant nec ad supremam aquae superficiem unquam ascendunt, sed ad maris ima semper vergunt, ibique juxta terram in luto semper voluntant et repunt: *haec eorum natura perhibetur, ut in imis semper et circa ipsum aenum demorentur* (Orig. h. 7 in Lev.). Hujusmodi piscibus assimilantur plerique mortalium, qui cogitationibus suis ad terrena consideranda semper descendunt, qui de vanis, de

temporaneis et de terrenis continue cogitant, nec corda ad caelestia contemplanda et ad opera salutis serio meditanda, nisi rarissime elevant. Hoc praclare adnotaverat Jeremias propheta, qui fleus ait, desolatione desolatam esse totum terrarum orbem, quia homines de salutis suae negotio non cogitant. Urbes, inquit, provinciae, regna, omnis denique terra desolata est: *desolatione desolata est omnis terra*. Unde tanta desolatio? Forte a peste quae undique grassatur, quae urbes in solitudines convertit et undique mortis terrores et horrores circumfert? Forte a bellis internecinis, quibus omnes depopulantur urbes, monarchiae evertuntur, omniaque solo aequantur? Forte a terrae sterilitate, quae nullos fructus producit, vel a frequentibus terrae motibus, quibus plurimae deglutiuntur urbes, populi quae multi sub aedificiorum ruina sepeliuntur? Haec sane non sunt causae gemituum Jeremiae, non haec est terrae desolatio, quae prophetam ad amare ferendum excitat. Desolatione desolata est terra, et flet Jeremias, quia homines de salutis suae negotio non cogitant, aut ita negligenter de eo cogitant ut nec videantur de eo cogitare: *desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est qui recogitet corde*. Grave quidem est hoc malum, et sanguineis lacrymis lugendum. Stultitiae sane redarguuntur qui de salutis negotio peragendo serio non cogitant; *salutis immemores sunt quasi stulti* (S. Bernardin., ser. 13). Hoc distat inter stultos et sapientes, quod sapientes intentis mentis oculis spiritualia contemplantur, stulti vero terrenis inspicendis oculos intentos habeant. Viri prudentes, qui christiana pollent sapientia, toti sunt in contemplanda Dei bonitate, beatorum gloria, virtutis pulchritudine, salutis via, aliisque rebus spiritualibus, quae corporis oculis videri nequeunt. *Non contemplantibus nobis quae videntur, sed quae non videntur* (2 Cor. 4, 18): stultorum vero oculi extra terrae fines non vagantur; *oculi stultorum in finibus terrae* (Prov. 17). Isti vident solummodo divitiarum fulgorem, diguitatum terrenarum gloriam, carnalium voluptatum illecebras, saeculi pompam et alia quae mundus admirari et summo affectu prosequi solet. Ista vident, ista admirantur; spiri-

tualia vero et animae salutaria non vident, imo nec de iis cogitant et curant; o magnam hujusmodi virorum stultitiam! Nonne stultus censeretur ille, cui cum incumberet grave negotium, in quo de vitae discrimine ageretur, totus tamen esset capiendis muscis, volvendis stercoribus, ludis puerilibus et aliis futilibus nulliusque momenti rebus? Magna profecto illius esset stultitia, ac longe major et flebilior eorum insania, qui mente et corde toti inhiant temporalibus, nec de salutis negotio cogitant. Quid enim sunt terrena omnia, nisi muscae quae citissime avolant? Quid sunt, nisi stercora quae fetent; *omnia arbitror ut stercora* (Philipp. 3, 8). Quid sunt, nisi spinae quae pungunt et dire cruciant? Quid tandem, nisi fumus, fimus, pulvis et nihil? Et tamen ita desipiunt plerique hominum, ut salutis negotium, in quo de anima, de aeternae beatitudinis jactura et de formidandis inferni suppliciis vitandis agitur, pro nihilo habeant, ejusque obliviscantur, seque totos mente, corde et affectu temporaneis dedant. O incomprehensibilem, nec unquam satis lugendam hominum stultitiam! Haec hominum stultitia praclare delineata est in divite illo, qui anxius cogitabat, *intra se diceas; quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos?* Cogitabat ille, et intra se cogitabat, et serio cogitabat, non quae ad salutem spectabant, sed de congregandis terrae fructibus, de ampliandis horreis, de cibo, de potu, de ventre impinguando, de terrenis bonis et de temporanea felicitate: qui propterea Deo stultus merito vocatur; *stulte, hac nocte animam tuam repetant a te* (Luc. 12). Stultus erat ille, et stultissimi dicendi omnes, qui carni, terrae, mundo, temporaneis et transitoris ita adherent, ut salutis suae rivant immemores. Nec solum stulti habendi, verum etiam infelicissimi, quia salutem assequi non possunt, nisi de salute sua cogitent. Nec enim salvari possunt, qui minime pro salute laborant, nec pro salute laborare nisi serio cogitaverint, quae sint media ad salutem, quid facere, quid vitare oporteat ut salventur et quomodo se habere debeant in casibus innumeris, iisque difficilibus, qui in salutis negotio occurrunt. Ipsi ergo de salute serio non cogitantes, non salvabuntur, et in aeternum peribunt; *quia nullus intelligit,*

in æternum peribunt. Antequam Deus mundus cõderet inversum, perfectam et integram in mente sua habebat ideam cœli, terræ et eorum omnium quæ in mundo sunt, nec mundum in tempore creare potuisset, nisi mundi idea in mente ejus prius extitisset; *iste mundus Deo nisi notus esset, esse non posset* (Aug. de civ. Dei, 10). Quod de mundo dicimus respectu Dei, hoc et de salutis negotio dicendum respectu hominum: quomodo enim salvari possunt, nisi prius de salute serio cogitaverint? Quomodo salutis negotium peragere valent, qui salutis æternæ fuerint immemores non antea pluries mente versaverint quæ ad salutem requiruntur et necessario perficienda sunt? Certe ut salventur, de salute serio cogitare debent, de qua nisi cogitent, æternum peribunt; *quia nullus intelligit, in æternum peribunt.* Certum est, quod velit Deus, omnes homines salvos fieri, quodque omnibus det media ad salutem necessaria: Deus autem regnum suum non dat otiosis et desidiosis. Omnes salvari vult, modo bonis operibus vacent, nec cuiquam regnum æternum dabit possidendum, nisi prius salutis suæ negotio strenue laboraverit. Quomodo autem salutis negotio incumbere, illudque peragere possunt, qui de eo nec cogitant, aut levissime cogitant? Hi sane ad cœlestem beatitudinem minime pervenient. Cum ambulent ut cæci, in tartarei rogi præcipitium cadent, et, ut ait S. Gregorius, clausis oculis ad inferni ignem vadent; *qui prævidere futura refugit, clausis oculis ad ignem vadit* (hom. 19 in Ev.). Itaque, o peccator, tandem aliquando de salute serio cogita. De ea ne cogites leviter et perfunctorie, sicut soles, sed sedulo, sed sæpe, sed quotidie tanquam de negotio, quo nullum majus, nullum quod tua magis intersit, nullum cui magis incumbere debeas. De isto negotio serio cogita, sæpe cogita, efficaciter cogita, singulisque diebus, saltem aliquantulo temporis spatio secede in cubiculum tuum, vel in alium locum, ut ibi de salutis tuæ rebus cum Deo solus cum solo colloquaris. Singulis diebus mane, serio et sæpe in temetipsum mente ingredi, et sedulo cogita quid agere, et quid vitare debeas, ut tantum negotium ad felicem exitum perducas: ita tandem mente huic negotio vacas: *ac etiam toto corde, ita ut toto affectu salvari desideres.*

II PARS.

Quisque debet salutem suam ardentè desiderare.

Si ab omnibus fidelibus quæramus, an salvari desiderant, non est, qui non dicat se summo affectu cœlestem concupiscera beatitudinem, seque salutis æternæ desiderio plurimum ardere. Ipsi impii hujusmodi nonnunquam agitantur affectibus, et interdum audiuntur dicentes, o utinam cum Sanctis in cœlo æterna fruerebimur beatitudine! Utinam solutis carnis vinculis, anima nostra Deo fruerebimur! Utinam a terrenis ad cœlestia translati essemus! At revera, sicut pauci de salute sua serio cogitant, ita et paucissimi vere, sincere et ardentè salvari desiderant. Verum quidem, quod omnes aliquo modo salvari velint; plures tamen simul volunt et nolunt: *volunt* salvari, et *nolunt* media ad salutem necessaria sumere, quod est velle simul et nolle salvari, que impossibilia sunt. Vel ut congruentius loquar, hoc est simpliciter nolle salvari qui media ad salutem necessaria sumere recusat. De homine pigro dicit Sapiens, quod velit simul et nolit: *vult et non vult piger* (Prov. 13, 4). Omnes autem fere homines in salutis suæ negotio pigri sunt et desidiosi, quia volunt et nolunt. Quod ut, quam verum sit, pateat, dic quidam peccatori: vis salvari? respondebit haud dubie: utique volo. Insta, et dic ei: si salvari velis, necesse est, ut hanc et illam peccandi proximam abscondas occasionem, ut pravum hunc et illum exuas habitum, utque serio penitentiam agas. Ista perficere refugit, quia *vult et non vult piger*: vult salvari, media ad salutem necessaria sumere non vult. Quando concionator quidam, zelo salutis animarum succensus, de formidandis Dei judiciis, de horrendis inferni suppliciis, vel de alia materia ad terrorem incutiendum idonea disserit, tremunt nonnunquam peccatores qui talia audiunt; sua quodque detestantur scelera; protestantur se salutis negotio imposterum adhæsuros, salvari tunc desiderant; mox vero expleta concione,

nec salvari cupiunt, nec de salute cogitant. Hi volunt et nolunt salvari: *volunt*, quando fit concio; *nolunt*, quando facta est. Quando in domo sœnolari paterfamilias, vel alius quidam moritur, filii et domestici quamdiu cadaver in domo remanet, ejus præsentia perterriti, terrenorum omnium contemptum mente volunt, se novum vivendi modum amplecti velle dicunt; volunt pie vivere, firmiterque statuunt, se salutis negotio vacaturos: vix autem cadaver extra domus valvas delatum est, tepescit illud desiderium, dainde totaliter frigescit et evanescit; ac tandem qui salvari volebat, mox salvari non vult, nec de salute curat: *vult et non vult*. Languida, debilia et quasi nulla hæc, quæ de salutis negotio habentur desideria, corde christiano indigna sunt: christianus enim suam optare debet salutem, sed ardentem, sed fervide, sed summo cum affectu. Videte, quanto cordis ardore salutem nostram Christus concupierit; al ipso enim Incarnationis instanti, salutis nostræ desiderio arsit, et postea e sinu matris egressus per rivos, per plateas et per varias urbes hoc succensus desiderio cucurrit: *cucurrit in siti*. Quamdiu in hoc mundo moratus est, cucurrit sitiens salutem nostram: hac siti et hoc desiderio ardens, populis prædicavit, sanctissimam legem tulit, ludibria et opprobria multa devoravit; plurimosque labores jucundissimo animo sustinuit, ac tandem cruci affixus, ita salutis nostræ desiderio exarsit, ut clamaverit: *sitis*. Tunc enim humani generis salutem sitlebat Christus, tantaque hæc illius erat sitis, ut plus a siti nostræ salutis, quam a carnificibus torqueretur: *Domine, plus te cruciat sitis nostræ salutis, quam crux tua* (S. Bern.). O quam magna extitit Christi Salvatoris sitis! O quam ardentem salutem nostram optavit! Cur ergo nos propriam summo affectu non concupiscimus salutem? Cur salvari quisque non ardentissime peroptabit? Quod nos salvemur, vel non salvemur, hoc Christo parum interesse videtur. Quod salvi, vel damnati simus, inde Christus nec major, nec minor, nec felicior, nec infelicio erit: atvero quod salvemur, nostra res est, felicitas nostra est, totumque bonum nostrum a salutis negotio pendet: ideo si salutem nostram ardentem Christus desideravit, debemus et nos illam ar-

dentius desiderare. Hoc sane motivum efficacissimum videtur, ut homines ad salutis suæ desiderio ardentem excitentur: et hoc magis adhuc in cordibus nostris accendetur desiderium, si inspiciamus celestem beatitudinem, pro qua obtinenda indesinenter suspirare debemus. Potissimum sane motivum, quo excitari debemus ad salutem nostram desiderandam, sunt ipsa celestia bona, ad quæ indesinenter anhelandum, quia magna, quia ineffabilia et incomprehensibilia sunt. Quis intellectui capere sufficit, quanta supernæ civitatis sint gaudia? Quanta sit gloria? Quanta felicitas? Quanta bona? Certe tanta extant, ut si omnia sæculi, imo et inferni tormenta aliquamdiu perferenda forent ad consequenda paradisi bona, ea libenter quisque tolerare deberet: *omnia si oporteret nos quotidie tormenta perferre; si ipsam gehennam longo tempore tolerare, ut Christum in gloria sua videre possemus, et Sanctis ejus sociari, nonne dignum esset pati omne quod triste est, ut tanti boni, tantaque gloria participes habeamur* (S. Aug. in Manu.). Igitur cum tanta sint regni celestis bona, ad ea suspirare, salutemque nostram summo affectu optare debemus, ac consequenter pro salute nostra sedulo laborare.

III PARS.

Quisque debet pro salute sua sedulo laborare.

Tanta molorum est insania, ut vilibus et nullius momenti rebus se totos dedant, et pro salutis suæ negotio nullo modo laborent. Hanc hominum stultitiam deplorabat Divus Paulus, hominesque rogabat, ut salutis negotio inumberent et sedulo laborarent: *rogamus autem vos, fratres, ut negotium vestrum agatis* (1 Thes. 4, 11). Alia negotia ad salutem minime spectantia, nostra negotia non sunt. Si laboras, ut in arte medica doctus fias, non tam te, quam alios quorum morbis curandis incumbes, hoc negotium respicit. Si noctu, dique vigiles, ut utriusque juris lauream obtineas, hoc negotium non tam

tuum est, quam aliorum, quorum litibus componendis, vel causis defendendis vacabis. Hæc et alia his similia, non tam nostra, quam aliorum dicenda negotia: unico salutis negotio, quasi nostro, et non aliorum negotio, strenue et constanter laborandum est. Deus hominem in terra posuit, ut suo negotio usque ad mortem laboraret: *exibit homo ad opus suum et ad operationem suam usque ad vesperam*. Vult Deus, ut homo exeat, non ad turpe otium, non ad ludos, non ad epulas et varia alia mundi oblectamenta, verum ad opus: *exibit homo ad opus*. Nec vult Deus, ut homo ad quodcumque opus et ad quodcumque negotium, sed ad suum solummodo exeat: nec vult, ut ad illud pro aliquo solum tempore exeat, sed usque ad mortem: *exibit homo ad opus suum et ad operationem suam usque ad vesperam* (Ps. 103, 23). Vult quidem Deus, ut quisque negotiis statui et conditioni suæ congruis vacet: ita tamen ut et simul salutis suæ negotio incumbat. Vult Deus, ut temporaneis nostris negotiis operam demus; sic vero, ut simul cum iis salutis negotium peragamus. Vel potius vult Deus, ut in rebus temporariis, in quibus gerendis operam ponimus, semper salutis nostre negotium inspiciamus et perficiamus, omniaque alia ad salutis nostre negotium reducamus, adeo ut pro salutis negotio, quasi pro nostro et quasi pro unico nostro negotio solliciti esse et laborare videamur. Pro salutis nostre negotio quidem laborandum, quia hoc negotium nostrum est; et pro illo etiam laborandum, quia hoc est negotium magni momenti et omnium negotiorum maximum; cum in hoc negotio agatur salus animæ spiritualis, animæ immortalis, animæ pretiosæ Christi sanguine redemptæ, quæ nil in toto orbe pulchrius, nilque pretiosius. O homo! cum pro salute laboras, non pro re vilissima laboras, verum pro salute animæ tuæ, cuius si iacturam faceres, omnia alia tibi inutilia forent: *quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* (Mat. 16, 26). Quapropter cum tanti momenti sit salutis tuæ negotium, huic sollicite et sedulo labora, totamque tuam huic negotio operam impenda. Dic, quæso, si duo tibi inessent negotia, quorum unum nullius, alterum

maximi esset momenti, nonne, primo relicto, alteri totus et totaliter incumberes? Nonne negotio magni momenti fortiter laborares? Haud dubie nullius momenti negotii obliviscereres, totusque et totaliter magni momenti negotio operam navares. O frater, duo in hoc mundo sunt nobis negotiorum genera; quorum alia nullius et alia maximi sunt momenti: *prima* sunt mundi negotia, quæ vilia sunt, nuge sunt, et nullius momenti sunt. *Secunda* vero sunt salutis negotia, quæ summi momenti sunt: ideo, neglectis aliis, salutis negotio fortiter et continue laborandum; imo et illi negotio necessario laborandum. Minime credendum, quod indifferens sit saluti laborare, vel non laborare; quinimo eidem laborare necessarium est, nec aliquis salvabitur, qui saluti operam navare neglexerit. Vide, qui salvandi sint, et quibus Deus æternam mercedem daturus sit? Non utique otiosus et desidiosus, sed operarius, sen iis qui salutis operi fideliter et strenue laboraverint. Non dicit Christus Salvator: voca inertes, voca otiosos, voca desidiosos; sed, *voca operarios et redde illis mercedem* (Mat. 20); quia iis solum qui salutis operibus studiose laboraverint, merces æterna dabitur. Cum patriarcha Isaac, morti proximus, primogenito suo benedictionem dare statuisset, subdubitans an primogenitus esset qui benedictionem ejus petebat, manus ejus attrahere voluit, dicens, *accede huc, ut tangam te, fili mi, et probem utrum tu sis filius meus Esau, an non* (Gen. 27, 21). Ubi autem pilosus et duras manus contrectavit, protinus ei benedictionem contulit. Ecce elegantem figuram florum, qui ad celestem hereditatem vocantur; hi namque non ex verbis, non ex fucata virtutum quarundam fragrantia, verum ex manibus et operibus justitiæ dignoscuntur, hi soli ad regnum celeste vocantur et celesti benedictione donantur, qui in hoc mundo boni operarii extiterunt, qui manus operi adhibuerant et qui salutis negotio fideliter laborarunt: de his solummodo et non de aliis dicetur: *voca operarios et redde illis mercedem*. Ne credas ergo esse indifferens, quod salutis negotio labores, vel non labores; etenim necessario huic negotio laborandum, ut æternam beatitudinem obtineas; *ac etiam ut inferni supplicia devites*.

Audi formidanda Christi Salvatoris verba dicentis; *omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mitetur* (Matt. 3, 10). Quae enim est arbor, quae fructum bonum non facit, nisi malus christianus, qui bona non facit opera, et qui salutis negotio non laborat? Hæc est arbor sterilis, quæ cum fructus non producat, in inferni ignem projicietur. O quam formidanda sunt hæc Dei verba! Certe totus contremiscere deberes, cum audis, te in inferni ignem mittendum, nisi salutis negotio solerter laboraveris, neque solum contremiscere, verum et abjectis omnibus criminibus, saluti sedulo et constanter laborare. Non ergo solum salutem vaces mente et cogitatione, corde et affectu; ipsi incumbere etiam manu et opere. De salute cogita, salutem desidera, pro salute sedulo labora, et accipies coronam gloriæ in celo. Amen.

DOMINICA VIGESIMASECUNDA POST PENTECOST.

DE ADULATIONE.

*Magister, scimus quia verax es, et viam Dei
in veritate doces* (Matt. 22, 16).

De nonnullis Gentilibus narrat Tertullianus, eos ita idololatriæ fuisse deditos, ut singulis fere horis idolorum suorum statuis adularentur, illas ornando, salutando, colendo, et tanquam divinitates adorando: *qui in idolis comandis, et in aris ornandis, et ad horas singulas salutandis adulantur*. Pari quodam modo viles quidam et serviles habentur homines, qui magnates tanquam deos suos venerantur, qui vitia illorum tanquam virtutes prædicant, iisque per singulas horas et momenta verbis suavibus et speciosis adulari non desinant. Hoc adulationis spiritu docebantur hi Phariseorum discipuli, qui Christo

dicebant; *magister scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces*. Licet enim hæc, quæ in Christi laudem dicebant, verissima essent et celesti magistro digna, illos tamen obiurgat et hypocritas vocat, eo quod animo ficto et ad adulationem composito illa proferebant. Adversus hujusmodi adulatorem, quibus principum palatia, magnatum quorumque aulae, imo et totus mundus redundat, ista erit concio. In qua ostendam adultores esse hostes eorum quibus adulantur. Ace.

Moris erat apud antiquos, sepulchra quaedam in defunctorum gloriam statuere, in quibus nullæ licet reliquiae, nullæque reconderentur cadavera, eorum tamen, in quorum honorem erecta erant, nomina inscribentur, perinde ac si illorum corpora intus laterent. Hujusmodi sepulchris adulatorem jure merito similem dicam, qui cum amici nomen præseferat, intus tamen amicus non est, et, ut loquitur S. Antonius, *in adulate, celum in sepulchro, nomen tantum amicitiae inscriptum est*. Verum quidem, quod ut adulator amici nomen et famam sibi conciliet, ita applaudit et blanditur, suisque verbis et officis ita aliorum captare conatur benevolentiam, ut illum amicum esse beneficium, sincerum et probatum quisque sibi facile suadeat. Quis non credat, eum esse illum amicum verum et beneficium, cujus bona opera propalare et exaggerare solet? Quis non arbitretur, hunc esse amicum sincerum, qui talem sese proclamatur et profitetur? Quis tandem non censeat, hunc esse amicum probatum, qui externa amicitiae signa edere non desinit? Certe, si secundum faciem et signa externa judicentur adulatorem, haud dubie amici benefici, sinceri et probati censentur, revera tamen adultores non sunt amici benefici, sed *hostes maligni*; non sunt amici sinceri, sed *hostes callidi*; non sunt amici probati, sed *hostes ignoti*. Adultores sunt 1. hostes maligni; 2. hostes callidi; 3. hostes ignoti.

Audi formidanda Christi Salvatoris verba dicentis; *omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mitetur* (Matt. 3, 10). Quae enim est arbor, quae fructum bonum non facit, nisi malus christianus, qui bona non facit opera, et qui salutis negotio non laborat? Hæc est arbor sterilis, quæ cum fructus non producat, in inferni ignem projicietur. O quam formidanda sunt hæc Dei verba! Certe totus contremiscere deberes, cum audis, te in inferni ignem mittendum, nisi salutis negotio solerter laboraveris, neque solum contremiscere, verum et abjectis omnibus criminibus, saluti sedulo et constanter laborare. Non ergo solum salutem vaces mente et cogitatione, corde et affectu; ipsi incumbere etiam manu et opere. De salute cogita, salutem desidera, pro salute sedulo labora, et accipies coronam gloriæ in celo. Amen.

DOMINICA VIGESIMASECUNDA POST PENTECOST.

DE ADULATIONE.

Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces (Matt. 22, 16).

De nonnullis Gentilibus narrat Tertullianus, eos ita idololatriæ fuisse deditos, ut singulis fere horis idolorum suorum statuis adularentur, illas ornando, salutando, colendo, et tamquam divinitates adorando: *qui in idolis comandis, et in aris ornandis, et ad horas singulas salutandis adulantur*. Pari quodam modo viles quidam et serviles habentur homines, qui magnates tamquam deos suos venerantur, qui vitia illorum tamquam virtutes prædicant, iisque per singulas horas et momenta verbis suavibus et speciosis adulari non desinant. Hoc adulationis spiritu docebantur hi Phariseorum discipuli, qui Christo

dicebant; *magister scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces*. Licet enim hæc, quæ in Christi laudem dicebant, verissima essent et celesti magistro digna, illos tamen obiurgat et hypocritas vocat, eo quod animo ficto et ad adulationem composito illa proferebant. Adversus hujusmodi adulatorem, quibus principum palatia, magnatum quorumque aulae, imo et totus mundus redundat, ista erit concio. In qua ostendam adultores esse hostes eorum quibus adulantur. Ace.

Moris erat apud antiquos, sepulchra quaedam in defunctorum gloriam statuere, in quibus nullæ licet reliquiae, nullæque reconderentur cadavera, eorum tamen, in quorum honorem erecta erant, nomina inscribentur, perinde ac si illorum corpora intus laterent. Hujusmodi sepulchris adulatorem jure merito similem dicam, qui cum amici nomen præseferat, intus tamen amicus non est, et ut loquitur S. Antonius, *in adulate, celum in sepulchro, nomen tantum amicitiae inscriptum est*. Verum quidem, quod ut adulator amici nomen et famam sibi conciliet, ita applaudit et blanditur, suisque verbis et officiis ita aliorum captare conatur benevolentiam, ut illum amicum esse beneficium, sincerum et probatum quisque sibi facile suadeat. Quis non credat, eum esse illum amicum verum et beneficium, cujus bona opera propalare et exaggerare solet? Quis non arbitretur, hunc esse amicum sincerum, qui talem sese proclamatur et profitetur? Quis tandem non censeat, hunc esse amicum probatum, qui externa amicitiae signa edere non desinit? Certe, si secundum faciem et signa externa judicentur adulatorem, haud dubie amici benefici, sinceri et probati censentur, revera tamen adultores non sunt amici benefici, sed *hostes maligni*; non sunt amici sinceri, sed *hostes callidi*; non sunt amici probati, sed *hostes ignoti*. Adultores sunt 1. hostes maligni; 2. hostes callidi; 3. hostes ignoti.

I PARS.

Adulatores sunt hostes maligni.

Adulatorem a vero amico discernere difficillimum est. Sicut enim nummus verus a falso non facile discernitur, quia uterque eandem effigiem, eundem colorem, eundem sonum, idemque pondus habet, ita perdifficile est verum amicum ab adulatore distinguere, quia eandem effigiem et speciem externam uterque habet, eadem uterque exterius amicitiae signa exhibet, imo saepe amicitior apparet adulator, quam verus amicus. Adulatores tamen amici nullo modo censendi sunt, cum revera sint hostes maligni et infensissimi, qui homines 1. excecant; 2. ad peccata alliciunt; 3. ad tartara ducunt.

1. Assentatores optant, ut illi quibus adulantur, caeci sint, illosque excecant, ac oculos eorum quasi luto obvolvunt, ut fraudes et dolos, quibus illos decipere conantur, videre non valeant. Et ideo Petrus Damianus adulatores adumbratos fuisse dicit in iis hirundinibus, quarum stercoreibus obcecatus est senior Tobias: *quid hirundines leviter volitantes, nisi leces adulantium et blandiloquentium significant mores? Qui dum blandiloqui sui suavitatem demulcent, dum adulationis oleo caput audientis impingunt, interiores oculos, ne solita luce perfruantur, excecant* (ep. 12). Alexander Magnus multo tempore adulatoribus infensus fuit; successu tamen temporis ab iis ita excecatus et fasciatus est ac in talem errorem ductus, ut sacerdotis Ammonis suasionibus et adulationibus allectos, se Deum et Jovis filium esse arbitraretur. Sicut autem princeps ille aliunde sapientissimus ab adulatoribus excecatus fuit, ita et ab iis excecantur quicumque ipsis accessum et benevolam auditum praestant: adulatores enim suis monitis, consiliis, suasionibus et adulationibus intellectum eorum ita obscurant et excecant, ut illos in errorem facile alliciant. Et ideo Ugo cardinalis adulatores similes esse dicit Philisthaeis, qui Sampsonem excecaverunt; et sanctus Maximus eos corvis oculos cadaverum

effodientibus assimilat. *Ut corvi cadaverum oculos effodiunt, sic adulatores suis adulationibus oculos, rationem scilicet et mentem humanam corrumpunt* (serm. 2, de adul.). In quo et hi corvis immaniores videntur; corvi squidem non hominibus vivis, sed mortuis oculos eruant; adulatores vero hominibus vivis oculos mentis evellunt, ac eos ita excecant et demutant, ut hoc credant esse malum quod bonum est, et illud bonum existiment, quod est malum. Adulatores ergo sunt hostes maligni, qui homines excecant; *sunt etiam hostes maligni, quia homines ad peccata alliciunt.*

2. Homo adulator ei cui assentatur dicere solet: vive dum vivis; recrea corpus edulis, procul a te sint jejunia, quae fragilis tua caro minime patitur; induere purpura et bysso, ut hanc, ad quam sublimaris, gloriose portes dignitatem; agglomeretur lateribus tuis in modum cunei turba clientum, ut sublimis officii tui honor non vilescat; ne tam cito de poenitentia cogites; Deum enim habemus infinite misericordem, qui neminem vult perire; ne credas, quod huic et illi peccato indulgere tantum malum sit, ut homines dicunt; ne parcas huic et illi, qui tibi sunt infensi; tuus enim honor agitur. His et aliis similibus verbis adulator eos, quibus adulatur, ad peccata facile allicit, quia homines ea libenter operantur, ad quae ex naturae propensione moventur, si quis laudando eos ad haec agenda invitet: *adulantium lingua alligant animas in peccatis; delectat enim ea facere in quibus non solum non metuitur reprehensor, sed etiam laudator auditur* (Ang. in Ps. 9). Adulator merito sirenis comparatur, quia ad modum sirenarum, per mortiferos cantus, et pestifera blandimenta audientes demulcet, et nisi aure obturata transierint, eos in scopulos et in abyssum criminum trahit; *adulatores alliciunt ad peccatum sicut sirenae ad periculum* (Hug. Car. in Ps. 28). Adulatores ergo non sunt veri amici, sed hostes maligni et infensissimi: cum adulationibus et exitiosis cantibus suis homines in criminum abyssum alliciunt. Sunt etiam hostes maligni, qui adulationibus suis eos, quibus adulantur, ad tartara ducunt.

3. Amici veri, qui delinquentes ex charitatis motivo corri-

gunt, eos a peccatis avellunt, et in salutis æternæ viam dirigunt: qui consiliis fortioribus redarguit, simul atque instruit fratrem, promoveat ad salutem (S. Cypr. de laps.). At contra, qui peccantem nec corripit, nec monet, ac potius laudat, eum in peccatis detinet, et adulationibus suis, quasi suavi catena, eum ad tartara ducit. Et ideo ait Chrysostomus, quod *adulatores catenam subdole lædis in ore portant*: mellitis enim verbis et adulationibus suis tamquam catena exitiosa eos ad peccata multa, et ad infernum misera trahunt. Egyptii, ut malignum adulatores animum delinearent, cervum coram homine citharam pulsante pingebant. Cervus ita musicæ est avidus, ut si gratum quandam concentum audiat, veluti extra se rapiatur et immobilis remaneat; hac ratione venatores periti instrumentis musicis cervos alliciunt, eosque, cum musicæ melodia capti et veluti fascinati sunt, jaculis feriunt et facile occidunt. Eodem plane modo suavis adulatores verbis, et iteratis eorum laudibus fascinantur, et pene incantantur homines; cumque eos demon sic adulationibus captos et fascinatos videt, superbiam, avaritiam, luxuriam, aliorumque vitiorum tentationibus, tamquam pestiferis jaculis illos confodit; et sic ab adulatoribus et a demonibus ad peccata et ad perpetuum adducuntur interitum. *Adulatores precipitant homines in peccata superbiam, in peccata luxuriam, et in peccata avaritiam: unde et ipsi cum eis precipitabuntur in precipitium infernale* (S. Bernardin. serm. 16). O quam maligni hostes sunt adulatores! o quam infensi sunt iis, quibus assentantur! Certe magna dicenda eorum malitia, cum suis adulationibus homines exerceant, ad peccata alliciunt, et ad tartara decant. Quam igitur stulti, qui adulatores audiunt et diligunt, eorumque verbis credunt et obediunt! *fili mi, inquit Spiritus Sanctus, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis* (Prov. 1); id est, ut exponit Ugo cardinalis, *si te lactaverint adulatores, proterita mala extollendo, presentia laudando, et ad futura inclinando, non eis obedias*. Non audiendi sane, nec iis obediendum; potius odio habendi et fugiendi, quia sunt hostes maligni; ac item quia *sunt hostes callidi*.

II PARS.

Adulatores sunt hostes callidi.

Duo sunt genera persecutorum, inquit Augustinus, scilicet vituperantium et laudantium; illi seviunt, et isti blandiuntur; illi iracundi, et isti subdoli. Adulatores quidem sunt hostes callidi et subdoli, qui laudant, amicitiam signa edunt, et aliorum mores induunt: 1. *laudant*, ut decipiant; 2. *amicitiæ signa edunt*, ut prodant; 3. *aliorum mores induunt*, ut insidias parent.

1. Nil magis usitatum adulatoribus, quam homines in facie laudare; et, quod pejus est, eos laudant in iis, quæ damnanda et vituperanda sunt; ac malas eorum actiones tamquam honas exaltare solent; *scurrilia loquentem*, urbanum ac lepidum appellat; *detractorem*, jucundæ conversationis virum dicitur; *iracundum*, zelo accensum vocitant; *parcum*, ut sobrium dispensatorem commendant; et ut ait divus Augustinus, *diffult quis lotus vocatur; avarus est! dicitur de eo, quod serpet rem suam; vindicat se de inimico, et comis cocatur. Habent adulatores verba fallacia, habent nomina laudis* (Item. 12 ex 50). Habent quidem adulatores verba fallacia et nomina laudis, quia malas omnes magnatum actiones laudare solent. In quo similes videntur canibus ulcera Lazari linctibus, dum namque divitum et magnatum peccata et pravas actiones laudant, eorum quasi ulcera lingunt. Imo iis canibus sunt pejores, quia non homines laudant, ut iis benefaciant, sed ut eos decipiant. Adulatores unum habent in ore, et aliud versant in corde; ore laudant, et corde decipere student. Unde de adulatoribus dicitur: *ne cum benedixerint vobis homines* (Luc. 6, 20), quia scilicet cum adulatores laudibus plurimis aliquem prosequuntur, suis laudibus eum exaltare non cogitant, imo aliquam ei fraudem moluntur. Sicut enim quemdam finem sibi proponunt artifices, cum operantur, ita et ars adulatoria, cum in laudes prorumpit, laudibus suis deceptionem et fraudem aliquam intendit: *sicut*

fnis oratoris est dictione persuadere, et medici medicina curare: sic adulatoris fnis, suaviloquio decipere (S. Crysost.). Unde præclare dixit Seneca, quod cum plures adultores in alicujus magnatis domo reperiuntur, inter se contendunt, quis laudibus et blanditiis suis illum callidius fallere poterit. *Adulandi certamen est, et unum adulatorum officium, una contentio, quis blandissime fallat* (de benef. 3, 30). Adultores ergo sunt inimici callidi, qui laudant, ut decipiant. *Adultores sunt etiam hostes callidi, qui amicitiae signa edunt ut prodant.*

2. Aliqui habentur inimici qui exterius sæviunt, ac in contumelias et probra facile erumpunt; et sunt alii, qui malitiam et odium suum tegunt specie quadam amicitiae, quam fallacibus verbis simulant. Non immorabor in inquirendo qui ex his inimicis sint peiores; nam certum est, quod *gravissimum inimicitiae genus est, esse corde adversarios, et lingua se simulare amicos* (Cassiod. in ps. 54). Id unum dicam, detractores esse ex his inimicis, qui sub amicitiae velo odium suum contegunt, et qui sub pietatis et amicitiae specie homines produnt: de his enim dicit propheta, quod *loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum* (Ps. 27, 3). Hi adultores vere sunt proditores, ac Judæ proditori similes. Sicut enim ingratus ille discipulus pacis osculo et amicitiae signo magistrum prodidit, ita et adultores tamquam veri proditores sub externis amicitiae signis homines produnt. *Judas accedens ad Jesum dixit: ace Rabbi, et osculatus est eum. De hoc genere inimicorum sunt adultores* (Hugo Card. in ps. 26). De quodam pisce, qui Fasten vocatur, narrat Vincentius Bellovacensis, quod in ejus ore aqua, quæ maritima erat et salsa, mox fit dulcis; qua dulcedine affecti accedentes alii pisces, ab eo deglutuntur. Huic sane pisci persimiles sunt adultores, in quorum ore omnis amaritudo tollitur, dum amicitiae et pietatis verba solummodo proferunt, atque mellitis hisce verbis homines alliciunt, inescant et attrahunt, ut eos prodant; *adulatio enim habet odium, et fraudem, et proditionem* (S. Bern. to. 4, ser. 13, n. 2). O quam callidi sunt hujusmodi hostes, qui ami-

icitiae signa edunt ut prodant. *Denum adultores sunt etiam hostes callidi, qui aliorum gestus et mores induunt, ut his insidiantur.*

3. Adulator, inquit S. Basilius, similis est polypo, qui *colorem terræ quam attingerat reddit*; adultores enim eosdem colores reddunt, eosdem mores induunt, et eosdem gestus faciunt, ac totaliter se contemperant iis quibus adulantur; idque agunt, ut iis placeant, ut eorum sibi concilient benevolentiam, et ut ab iis aliquid obtineant. Verum id etiam sæpe agunt, ut iis insidiantur. De polypo narrat S. Ambrosius, quod *is cui-cumque saxo adhererit, colorem illius subit, adeo ut piscium complures ad ipsum de improviso nantes tamquam ad saxum appellant; ac versuto illi, malitiosoque paratam sese offerant prædam*. Polypo quidem assimilantur adultores, dum sobrietatem cum sobriis laudant, intemperantes cum intemperantibus evadunt; ad id quod cuique placet, suam sententiam vertunt, ac colores et mores eorum cum quibus versantur, induunt, ut iis insidiantur. Sicut enim polypus est insidiator, qui varios colores induens, piscibus insidias parat, ita et adultores insidiantur aliorum colores et mores induentes, omnibusque omnia facti non ut omnes Christo lucrifaciant et salvent, sed ut insidiis suis homines decipiant et perdant; et ideo Agesilaus, optimus ille Lacedæmoniorum rex, adultores asperrandos insectandosque esse dicebat, *non secus ac propria vitæ insidiatores*. Et Seneca monet, ut quisque ab adulatorum insidiis caveat: *ab eorum insidiis, nocentisque cave*. Ne ergo credas, adultores esse amicos veros et sinceros, potius eos ut hostes inspicie. Sunt enim hostes maligni et callidi, *ac etiam hostes ignoti.*

III PARS.

Adultores sunt hostes ignoti.

Placere, amari et premiari solent, qui veri et fideles sunt amici: hi vero, qui ut hostes cognoscuntur et inspiciuntur, non placent, sed displicent; non amantur, sed odio habentur; non

præmiantur, sed plectuntur. At adultores sunt hostes ita ignoti, ut placeant iis quibus adulantur, ab iis amentur, et ab iis præmientur. 1. iis placent ac si essent veri amici; 2. ab iis amantur ac si essent amici fideles; 3. ab iis præmiantur ac si essent amici benemeriti.

1. Adultores venena occulta et melle circumlita iis quibus adulantur, infundunt; *malorum blanditium virus occultum est* (S. Cyr. ep. 2). Sicut qui parvulis austeram parant pocula, prius ora eorum melle circumlitiunt, ut incauta ætas, cum dulcedinem persenserit, amaritudinem non reformidet, sic adultores malevoli, verbis suavibus et mellitis aures magnatum oblinire solent; eos laudibus supra modum extollunt, ac iis ita occulte venenum suum infundunt, ut ab iis non cognoscantur, nec inspiciantur tamquam inimici, iisque placeant non secus ac si veri essent amici. *Adulatio apertis et propitiis auribus recipitur, in præcordia descendit, habeturque pro amico blandus inimicus* (Sen. ep. 43). Sicut Hierodi displicere sancti Joannis Baptiste monita et correptiones, ita et omnibus peccatoribus displicere solent monitores et benevoli correptores. *Odio habuerunt corripientem in porta* (Amos 5, 10). Non iis placent dure increpationes, sed gratae adulationes; volunt quo solummodo ut iis dicantur verba placentia et propensionibus eorum consentanea, sive vera illa sint, sive falsa. *Loquimini nobis placentia* (Is. 3). Adultores autem dura, et acerba non loquuntur, quin contra placentia semper dicunt, ut eorum quibus adulantur, sibi concedant amicitiam; adultores propterea licet sint hostes maligni, non cognoscuntur nec inspicuntur ut inimici, sed ut amici benevoli, magisque placent quam veri amici. *Habeturque pro amico blandus inimicus*. Adultores non solum sunt hostes ignoti, qui placent, *sunt etiam hostes ignoti, qui amantur ac si essent amici*.

2. Plerique eos amare solent qui ipsis applaudunt et adulantur, sicut et oderunt eos qui ipsos corripunt. *Adulatio benevolentia loco ducitur, et qui adulari nescit aut invidus, aut superbus estimatur* (S. Hier., ep. ad Colant.), et ut talis odio habetur. Vera quidem cum adultores sint homines

viles et serviles, multi exterius fingunt et palam profiteantur, se eos non amare, quos tamen ex corde amant, iisque favent, dum quisque ab iis laudari amat: *adulatoribus nostris libenter favemus et quanquam respondeamus, nos esse indignos laudibus, quibus nos afficiunt; ad laudem tamen suam quisque letatur* (Hjer., ep. ad Sabin.). In hujus rei exemplum proponitur Sigismundus imperator, qui licet se adultores odio habere profiteretur, sincere tamen se eos diligere confessus est: cum enim aliquando dixisset, assentatores se velut pestem odisse, respondit ei Brunorius: *imo nullum genus hominum ita amas*. Cui Sigismundus: *sic natura comparatum est, ut cum vitandos esse adultores dicimus, tum maxime eis aures demus illisque hæreamus*. Ecce inimicos, qui ita ignoti sunt, ut amentur non secus ac si essent amici fideles; *insuper ita ignoti sunt ut præmientur*.

3. Videmus sæpe, quod in domibus magnatum parvipendantur, odio habeantur, et plectantur domestici illi, qui fidelitate præstant et dominorum suorum obsequio, et contra amentur et præmientur adultores, qui expellendi et plectendi essent: *principes ampliunt eos beneficiis, quos torquere debent* (Chrysol. ser. 103). Croesus, Lydorum rex, nullam aliam ob causam expulit regno Solonem, nisi quod blandiri nesciebat. Dionysius mortem Philoxeno poëta meditatus est, quia cum in magna hominum corona versus a se editos tyrannus recitasset, reliquis eos laudantibus, ille solus eos absurdos inconcinnosque dicere ausus fuerit. Multi similiter odio habent eos qui diligendi essent, et præmiis afficiunt adultores, qui plecti et torqueri mererentur: *ampliunt eos beneficiis quos torquere debent*. O fratres, ne diligatis adultores; eos potius ut hostes malignos, callidos, et ignotos fugite: *palpantes adultores, quasi hostes fuge*. Fugendi sane, et fugandi adultores, quia sunt hostes maligni, callidi et ignoti. *Sunt hostes maligni*, qui homines execrant, ad peccata alliciunt, et ad tartara ducunt: *sunt hostes callidi*, qui laudent et decipiunt, qui amicitia signa edunt ut prodant, et qui aliorum mores induunt, ut insidias parent: *sunt hostes ignoti*, qui placent,

amantur et præmiantur ac si essent amici benefici. Fugite ergo adulatoris, et amate benevolos correptores, qui vos in spiritu charitatis monent, arguunt et corripunt. *Amicos, qui nihil tibi verbis indulgeant, comparato; qui vero ut complaceant et delectent te, verba faciunt, eos tanquam malos præ foribus excludito.* Homines ita sui amatores sunt, ut omnem reprehensionem abhorreat: nullus fere reperitur qui æquo animo audiat dicentem: *non licet tibi.* Sicut enim ab adulatoribus laudari naturaliter placet, ita ab ipsa natura cuique inditum est arcanum quoddam odium in monitores qui sepe ut inimici inspiciuntur: attamen amandi correptores, et fugiendi adultores. Fugite ergo adultores, et amate correptores, ut vias vestras corrigatis, et ad paradisi gloriam pervenire valeatis. *Amen.*

DOMINICA VIGESIMATERTIA POST PENTECOSTEN.

DE MORTE JUSTORUM.

Non est mortua puella, sed dormit (Matth. 9, 24).

Omnes morimur, et sicut aquæ dilabimur, nec in hunc mundum venit aliquis, sive princeps ille sit, sive rusticus, sive magnus, sive parvus, qui non visurus sit mortem: nam immutabili Dei decreto *statutum est hominibus semel mori* (Heb. 9). Dum autem mori est omnibus commune, bene mori non omnibus competit: sunt etenim qui bene, et sunt qui male moriuntur; aliorum mors est mala ac coram Deo pessima: *mors peccatorum pessima* (Psal. 33), et aliorum mors est bona, sancta, et in Dei oculis pretiosa: *pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus* (Psal. 113). Mortem impiorum malam, pejorem, et pessimam vocat D. Bernardus. *Est mala, inquit, in mundi amissione, quia scilicet durum est eis in morte valedicere mundi divitiis et dignitatibus, quas tanto*

affectu ambierunt. *Est pejor in carnis separatione,* quia durius est eis animam a corpore separari, ut ab hoc mundo ad tartara migret. *Est pessima in vermibus et ignis duplici contritione,* quia durissimum eis est, a conscientie verme corrodere, et ad inferni ignem properare. O quam terribile et amarum hominibus, qui toto vite tempore illicitis adhæsere voluptatibus, malam, pejorem et pessimam hanc mortem obire! E contra quam suave est mori mortis justorum, quam pretiosa, amabilis et tota desiderabilis ista mors! Puella hæc, de qua hodiernum Evangelium ait, quod *non est mortua, sed dormit,* aliquam hujusce mortis ideam mentibus nostris ingerit; indeque de justorum morte dicendi occasionem sumam. *Ace.*

Homo justus hic in terris laborat, vigilat et peregrinatur. Laborat quidem, quia justus sunt quasi Christi milites, qui in ejus obsequium indesinenter laborant. *Labora sicut bonus miles Christi Jesu* (2 Tim. 2, 3). Justus etiam in hoc mundo vigilat, quia viri justus sunt beati illi servi, quos adveniens Dominus vigilantes invenit: *beati servi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes* (Luc. 12, 37). Justus tandem in hoc mundo peregrinatur, quia in eo justus per vias rectas ita incedunt, ut tandem aliquando ad patriam cœlestem pervenire valeant: *justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei* (Sap. 10, 16). O quam dulcis est requies post laborem, quam suavis somnus post diuturnas vigilias, quam jucundus post longam peregrinationem adventus in patriam! Idcirco o quam dulcis etiam, quam suavis, quam jucunda est mors hominibus justis! *Dulcis* quidem, quia requies est post laborem: *suavis*, quia somnus est post diuturnas vigilias: *jucunda*, quia post longam peregrinationem est transitus et accessus ad cœlestem patriam. Unde si de puella a Christo hodie excitata dicatur, quod *non est mortua, sed dormit;* de justo etiam fato functo dici potest: *non est mortuus, sed quiescit: non est mortuus, sed dormit: non est mortuus, sed ad cœlestem patriam transit.* Hæc omnia patebunt, cum probaverimus, quod justorum mors est quies, somnus et transitus. Est 1. *quies* securæ; 2. *somnus* suavis 3.; *transitus* felicissimus.

I PARS.

Mors justorum est requies secunda.

Justorum mors in conspectu Dei est pretiosa: *pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus*. Pretiosa quidem est, inquit S. Bernardus, quia *requies est post multos labores, estque laborum finis*. Sicut Christus, justorum omnium facile primus, labores plurimos ab infantia usque ad mortem perpessus est, ita et omnes justii nati videntur ad laborem. Toto enim vita tempore labores multos obeunt, ac multa patiuntur, eaque gravia; *tum* a Deo, qui variis eos probat tribulationibus; *tum* a demone, qui vehementibus illos tentationibus conculcit; *tum* a mundo, qui rerninis, detractionibus, Indibriis, et nonnumquam diris eos vexat suppliciis; *tum* a seipsis, quia jejuniis, vigiliis, ciliciis, aliisque mortificationibus carnem suam affligere solent. Quapropter cum ad illos venit mors, jucunda potius videtur, quam amara: sitque illis pretiosa, quia est requies a laboribus, quos toto vite sue tempore perpessi sunt: *justorum mors pretiosa, quoniam quidem fit ibi quies a labore* (D. Bera. ser. 41. ex parvis). Licet impij in hoc mundo deliciis sæculi affluere querant, in medijs tamen, quibus fruuntur, voluptatibus gravia multa nonnumquam patiuntur, non solum a stimulante intus conscientia, verum et a Deo, qui eos percudit, ut sanet; quique eos alligi permittit, ut ad mundi contemptum, et ad sui amorem alliciat. Qui nisi ad Deum vere convertantur, mors eorum non est requies a laboribus, quinimo est transitus a laboribus ad labores; nimirum a levissimis hujus vite laboribus ad gravissima inferni supplicia migrant. At aliter de hominibus justis loquendum; eorum quidem vita deliciis et laboribus permixta est, quoniam in medijs laboribus, quos perferunt, internis multis fruuntur consolationibus; in morte vero non finiunt consolationes, et finiunt labores; non finiunt consolationes spirituales et gaudia interna, quibus fruuntur; quin potius majoribus afficiuntur in celo, ubi torrente voluptatis

potantur; *torrente voluptatis tue potabis eos* (Psal. 35). Finem habent Labores, quibus alligebantur, quia mors eorum est requies secunda, quæ laboribus eorum finem ponit; tuncque a laboribus requiescunt, cum ex hoc exilio exeunt; tunc a laboribus, quibus gravabantur, quiescere incipiunt, et ab iis in æternum quiescunt: *amodo jam dicit Spiritus ut requiescant a laboribus suis* (Apec. 14, 13). Monet nos Sapiens, ut temperemus a lachrymis, cum vir justus moritur; *modicum plora supra mortuum* (Eccli. 21, 11). Cur in hominis justii morte uberes non sunt fundende lachrymæ? Quia mors est ei requies ab omnibus laboribus, quos in sæculo patiebatur; *quoniam requiescit*, inquit Salomon. Cum moritur pater iniquus et impius, filij æternum flere debent, quia pater eorum non requiescit, sed in tartari flammis cruciatur. Cum moritur filius obscænis et infandis addictus sceleribus, amaras et perpetuas lachrymas fundere debent parentes, quia filius eorum non in pace quiescit, sed æterna inferni supplicia patitur. At cum moriuntur patres, matres, filij, amici et alij, qui piæ et justii fuerunt coram Deo et hominibus, nequaquam, aut saltem modicum flere oportet, quia mors est eis requies a laboribus, quos vivos patiebantur; *modicum plora, quoniam requiescit*. Non semel demiratus sum modum agendi Thraciorum, qui in morte suorum gaudere consueverant; flebant cum nascebantur filij, et cum moriebantur non flebant; imo gaudebant plurimum, tripudiant, et vestibus letitiam indicantibus induebantur. Cur hoc facerent hujusmodi populi, jam non inquirem; tamen certo certius mihi videtur, quod nos christiani in nativitate infantium flere deberemus, quia *deceit* nos fides, eos nasci filios iræ, et peccati originalis labe inquinatos; ac contra gaudere deberemus in morte justorum, quia cum moriuntur, ab innumeris peccandi periculis, ab insidijs satanæ, a pugnis concupiscentiæ, ab amoris proprii veneno, a corporis pondere, et a laboribus multis liberantur, ac quiescere incipiunt quiete secunda et constanti, quæ in æternum durabit. Mox enim ut mortui sunt, in paradysum migrant, ubi perpetua fruuntur quiete: *hec requies mea in seculum sæculi* (Psal.

131, 14). De nonnullis viris religiosis narrat Chrysostomus, quod in eodem commemorantes cœnobio, toto se invicem corde diligere; cum tamen eorum aliquis diem claudebat extremum, fletus procul, procul lachryma, et undique gaudii plurima edebantur signa: *si nuntiatum fuerit, quod unus ex iis mortuus est, multum ubique lætitiæ, voluptatis multum* (hom. 59 ad pop.). Gaudebant hi, quia fratrem suum ab hujus vitæ miseris et laboribus, ad securam et æternam requiem transiisse credebant. Hæc erat ratio lætitiæ, quæ corda eorum affluebant: quæ quidem ratione quisque allici deberet ad non fundendas tam uberes lachrymas in morte justorum, sive propinqui illi sint, sive amici. Verum et propter eandem rationem omnes justi venientem ad se mortem hilariter suscipere deberent. Hanc ardentem expectavit, et hilariter suscepit sanctus Simeon, *vir justus et timoratus*, qui Salvatorem mundi manibus suis gestare meruit: cum namque sanctus senex salutare Dei nostri vidit, sequæ morti jam proximum credidit, exultans et ineffabili circumfusis lætitiis clamavit: *nunc dimittis seruum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace* (Luc. 2, 29). Cur appropinquante morte gaudet et exultat sanctus Simeon? Gaudet, inquit S. Cyprianus, ut doceat nos mortem a justis non timendam, sed potius optandam, quia viris justis mors est pax vera, et requies tranquilla: *probans scilicet, tunc esse servis Dei pacem, tunc liberam, tunc tranquillam quietem*. Gaudeo ergo justi, cum ad vos venit mors; eam cum gaudio accipite, cum hæc sit requies a laboribus vestris. Mortem non timebat sanctus Ambrosius: *non timemus mortem*, inquit. Cur mortem non times, o Præsul sanctissime? Nonne times duram hanc animæ et corpore separationem, quæ in morte fit? Non æquidem. Nonne times separari a propinquis et amicis? Nequaquam. Nonne times dolores plurimos, quibus in morte circumdari et obrui solent homines? Nec mortem timet Mediolanensis Antistes, nec omnia quæ in morte contingere solent, quia mortem justorum scit esse requiem securam ab omnibus laboribus, qui omnes in morte finiunt; *non timemus mortem, quoniam requies est corporis*. O viri just!, ne mortem timeatis; quin

potius gaudete et exultate cum ad vos venerit; eamque concupiscenti animo desiderate, quia requies est a laboribus vestris. *Mors justis est etiam somnus suavissimus.*

II PARS.

Mors justorum est somnus suavis.

Hominum quantumvis impiorum mors somno videtur aliquo modo similis; in hoc scilicet, quod sicut in somno, ita et in morte, sensus illorum ligantur, nec aliquem sensationis actum habent. Justorum autem mors non solum somno est similis, quin et verus ac suavissimus somnus est: *sanctorum mors somnus est*. Et ideo de justis morientibus ait Sapiens, quod *visi sunt oculis insipientium mori*. Justi enim ab insipientibus videntur mori, non autem a sapientibus; nam insipientes eos mori estimant, sapientes vero eos non mori, sed suavi somno corripiti et obdormire censent: *amici Dei mori videntur oculis insipientium, sed oculis sapientium judicantur potius obdormire* (S. Bern. ser. 2 in festo Apost.). Vates ille regius, qui septies in die laudem Deo dicebat, aliquando gaudens Deo cecinit: *dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me, dextera Domini fecit virtutem: non moriar* (Ps. 117, 17). Quare et quo sensu se non moriturum ait propheta? Nonne æterno Dei decreto *statutum est omnibus hominibus semel mori*? Nonne omnes penitus homines moriuntur, sive reges illi sint, sive prophete? Cur ergo rex ille simul et propheta se non moriturum dicit, *non moriar*? Respondet sapientissime S. Basilus, non moriturum Davidem, quia mors servorum Dei, non vera mors est: *cum dicit, non moriar, ostendit mortem non esse mortem*. Quid ergo mors justorum, si non sit mors? Hæc est somnus suavissimus. Unde idem propheta de se ipso ait; *in pace in idipsum dormiam et requiescam* (Ps. 4). Non dicit, *moriar*, sed *dormiam*, quia justorum mors non mors illa dicenda terribilis, quæ impios dirissime torquet, potius censenda somnus suavissimus hominum

in Domino dormientium. Justorum mortem non tam mortem, quam somnum censebit, qui Isaiæ prophetias legerit: hic etenim justos fato functos alloquens, ait: *expergiscimini et laudate qui habitatis in cinere* (6, 19). Eos non mortuos, verum dormire arbitratur propheta, quia a somno non excitantur mortui, sed dormientes. Quod ingeniose adnotavit divus Hieronimus aiens, Isaiam non dixisse justis ut resurgerent, sed ut evigilarent, quia mors eorum non mors, verum suavissimus somnus reputanda; *quia mors eorum somnus est, nequaquam resurgere, sed expergisci et evigilare dicuntur*. Ut innotescat justorum mortem non tam mortem, quam dulcem somnum esse, habemus divinum Christi testimonium, quod omne aliud præcellit. Audite, quomodo loquatur de Lazaro et de filia principis Synagoga: Lazarus a quatuor diebus obierat, in sepulchro jacebat et jam fœtebat; Christus autem eum solummodo dormire ait, et ad sepulchrum ejus se confert, non tam ut eum a mortuis suscitaret, quam ut a somno excitet: *Lazarus amicus noster dormit, sed vado ut a somno excitem eum* (Joan. 11). De filia etiam principis Synagoga Christus ait: *non est mortua puella, sed dormit* (Luc. 8). Qui sunt hujusmodi mortui, qui mortui non sunt, sed dormiunt? Hi sunt amici Dei et viri justis; quorum mors non tam mors, quam dulcis somnus nuncupatur: *sanctorum mors somnus refrigerii est*. Mors impiis dura et acerba est: appropinquante enim morte, torquentur a rodente inlus conscientie verme et cruciantur a gravibus cogitationibus, quibus eorum factatur animus: *ventent in cogitatione peccatorum suorum timidi* (Sap. 4, 20). Qualis tunc dolor impiorum, cum innumera cogitant peccata, quibus suam inquinaverunt animam. Qualis animi amaritudo, cum Deum adversus eos iratum, paradysum ipsis clausum et inferni os apertam vident, ut eos devoret? Quid tunc non patiuntur sive a demonis eos tentante, sive a morbo eos torquente? Certe ob dira, quæ tunc perferunt impii, mors eorum, non somnus suavissimus, gravissimum est supplicium. At contra mors justis non inferitur ut supplicium, a Deo iis immittitur ut somnus suavissimus: *cum dederit dilectis suis somnum* (Ps. 126).

Et revera multa sunt, quæ tranquillam, suavem et placidam efficiunt justorum mortem: debita enim Sacramentorum perceptio, Beatissimæ Virginis patrocinium, angelorum protectio, bonæ conscientie quies, interna Spiritus Sancti consolationes, cœlestis beatitudinis spes et gratiæ multæ quas a Deo recipiunt, mortis dolores leniunt, ac efficiunt justorum mortem similem somno, eosque *absque ullo sensu molestiæ, ut suavi somno correptos extingui* (Diodor. Sic. l. 2). Ecce quomodo mors justis est somnus. In alio etiam sensu dici potest, quod mors justis sit somnus, quia scilicet, sicut qui dormiunt, oculos claudere solent, quos aperiunt, cum a somno excitantur, ita et justi in morte oculos corporis claudunt; mox vero mentis eorum oculi aperiuntur, ut cœlestia intueantur et admirentur: *felices oculi*, inquit S. Cyprianus, *qui terrenis clauduntur, ut cœlestia videant*. Quod et ipse Psalmista testatur, dicens, *cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini* (Ps. 126); quasi dicat: mox ut justi somno mortis obdormierunt, spiritus eorum evigilat, ut Dei hæreditatem et cœlestia bona contemplantur. O felicem mortem! o suavem somnum! Equis hoc somno dormire non ambiat? Quis morte justorum mori non concupiscat? Multi quidem mori vellent ut justis, at pauci vivere volunt ut justis. Nullus fere est, qui non dicat: o utinam moriar ut hic et ille, quorum mors est sancta et pretiosa in conspectu Domini! Tamen pauci vivere satagunt ut ii, quorum mors est in conspectu Dei pretiosa. O fratres, certo sciatis, eos non mori morte justorum, qui vivunt vita impiorum; non in Domino moriuntur, qui in Domino non vixerunt; non in osculo Domini obeunt sicut Moyses, qui impie vixere ut Pharaos; itaque omne onus peccati procul pellite; iniquitatis sarcinam deponite; a viis vestris pessimis declinate, ad Deum toto corde convertimini, virtutem sedulo sectemini; ac vivite ut justis, ut justorum morte moriamini; eritque vobis mors somnus dulcis, *ac etiam felicissimus ad gloriam transitus*.

III PARS.

Mors justorum est transitus ad gloriam.

In cruce passus, in cruce mortuus est Christus, ejusque mortem dirisimam fuisse constat: ea tamen transitus vocatur; *sciens Jesus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem*. Mors quidem Christi fuit transitus ad Patrem, ac item cujusque hominis justus mors dici potest transitus ad æternum Patrem, et ad gloriam sempiternam. Unde hanc statuit differentiam D. Augustinus impiorum inter et justorum mortem, quod impii morientes ad demonem salutis sue hostem migrant, ut ab eo ad tartara trahantur; justus vero ad æternum Patrem transeat, ut ab eo celestibus præmiis dentur: *transeunt illi ad hostem, transeunt isti ad Patrem*. Verum utique, justos nonnunquam gravissimos in morte perpeti dolores: eorum tamen mors, ut ait D. Hieronymus, non proprie mors vocanda, potius felicissimus quidam a terra ad cælum, et a creaturis ad Creatorem transitus: *hec non mors, sed migratio et domicilii mutatio a deterioribus ad meliora, a terra ad cælum, ab hominibus ad angelos et ad ipsum Dominum angelorum* (ep. ad vid. jun.). Mortem suam transitum nuncupabat Job, vir inter justos præclarus: *cunctis diebus, inquit, quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea* (Job 14, 14). Aliqui vertunt *donec veniat transitus meus*; et recte quidem: nam uti docet S. Augustinus, non solum Jobi, verum et omnium penitus justorum mors *pretiosa* dicitur, eo quod sit transitus ex hoc mundo ad cælum, et ab ista mortali vita ad æternam migratio; *mors piorum bona dicitur, quia finis est ad mala temporalia et transitus ad vitam æternam* (l. de ver. inn.). Gaudete, o viri justus, et gaudium vestrum sit plenum: gaudete in mediis etiam tribulationibus, quia brevi ad vos veniet mors, quæ erit vobis *transitus ad vitam æternam*. De futura sua morte loquens propheta ait; *transibo*. Non dicit, *moriar*, sed *transibo*, quia mors ejus, non tam mors, quam *transitus* fuit. Quo autem transivit propheta? *Trans-*

ibo, ait, *in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei* (Ps. 41, 5). Quasi dicat: vitæ meæ peregrinatione completa, transibo ad regnum cælestis, ad cælum empyreum, quod est tabernaculum Beatorum et domus Dei. Ad hoc regnum transiit propheta moriens, et ad hoc transeunt omnes justus, quorum mors non tam mors dicenda quam transitus ad gloriam sempiternam. Unde dies mortis eorum dici solet dies emigrationis, id est dies transitus, cum hæc sit dies, in qua ad Deum et paradysum transeunt. Justorum et impiorum mortem, *transitum* vocat Christus Dominus: de utrisque enim ait, quod *ibunt*, seu quod *transibunt*; at eorum transitus erit dissimilimus; etenim justus *ibunt* et transibunt in vitam æternam; impii vero in ignem æternum. Audite quomodo de impiorum transitu loquatur Christus: *ibunt hi, inquit, in supplicium æternum* (Matt. 25, 46). Hi peccatores, qui tot prava desideria in cordibus suis efformarunt; hi impii, qui tot blasphemias, tot de tractionibus, totque obscenis, scurrilibus et execrandis sermonibus ora sua inquinaverunt; hi obdurati, qui in via peccatorum steterunt, nec a viis suis pessimis declinare, et ad Deum converti voluerunt: hi, inquam, in morte sua transitum, morsque iis erit quidam transitus; atvero quo *ibunt* et transibunt? *Transibunt hi ad tartara, æternum cremandi: ibunt hi in supplicium æternum*. O crudeliter transitum! O terribilem transmigrationem! o quam durum hujusmodi hominibus a divitiis ad extreme egestatem, ab honoribus ad intolerabilem ignominiam et ab hujus sæculi deliciis ad incomprehensibilia inferni tormenta transire! o quam terribile huic juveni, qui illicitis carnis voluptatibus totum se dedit, cum a corpore anima ejus separabitur, ut ad æternos tartari rogos migret! quales gemitus odet, quales fundet lacrymas hæc adolescentula, delicate nimis et molliter vivere assueta, cum ad infernum a tartareis tortoribus æternum crucianda properabit! Transibit illa, transibunt omnes peccatores, eritque iis mors *transitus*; transitus quidem ad mundi centrum et ad formidandam inferni fornacem, ubi in perpetuas æternitates morabuntur et torquebuntur: *ibunt hi in supplicium æternum*. O quam terribilis erit hic impiorum

transitus! Longe alius erit justorum transitus: transibunt enim, erique iis mors *transitus* ad æternam beatitudinem, in qua Deo fruuntur, et in sempiternum beatificabuntur: *ibunt hi in supplicium æternum, ibunt hi in vitam æternam*. Ex ordinatione regis Ægypti, pistorum magister, et Joseph in carcere detinebantur; e quo tandem ambo educti sunt, sorte tamen inæquali: nam pistorum magister a carcere ad patibulum ductus est; Joseph autem in tota Ægypto dominus a rege constitutus est. Quid autem simile in hoc mundo video, in quo nos omnes velut in carcere sumus, a quo in morte educimur, et ideo dicebat propheta: *educ de custodia animam meam* (Ps. 141). Alii ex hoc carcere educuntur, ut transeant ad supplicium et alii, ut transeant ad regnum: impii ad æterna inferni supplicia migrant; justi vero ad cælestia regna properant: *ibunt hi in supplicium æternum, justus autem in vitam æternam* (Ps. 141, 8). O fratres, certi estote, quod mors vestra erit transitus ad coelum, vel ad infernum; in morte transibitis ad infernum æternum cruciandi, aut ad paradisum æternum beandi. O quam miseri, qui ad tartara migrant! O quam felices, qui ad coelum transeunt! Quapropter sic vivite, ut in morte ad coelum transire mereamini; sic vivite, ut mors sit vobis requies securæ, somnus suavis, et transitus ad vitam sempiternam. Amen.

DOMINICA VIGESIMAQUARTA POST PENTECOST.

DE JUDICIO EXTREMO.

Videbunt Filium hominis venientem in nubibus caeli cum virtute multa et majestate (Matt. 24, 30).

Nil potentius, nil ad terrendos peccatores efficacius, quam frequens extremi iudicii cogitatio. Ipse imagines formidandum hoc iudicium representantes impiis quibusque terrorem infligere solent, nec est aliquis ita obduratus, qui ad morum con-

versionem non alliciat, si futura hæc iudicia firmiter credat, ac serio meditetur. Et ideo ad studiosam extremi iudicii meditationem nos invitans sanctus Gregorius, ait: *illum ergo diem, fratres charissimi, tota intentione cogitate*. Ideo etiam sanctus Basilius hortatur peccatores, ut extremum iudicium, seu extremi iudicii cogitationem in pædagogum assumant, a quo erudiantur, et ad recte vivendum moveantur: *querite iudicium, quod vobis pædagogus sit*. O egregium pædagogum, qui peccatores perfectissime docet mali fugam, odium peccati penitentiae amorem et omnium virtutum affectum. Hunc hodie peccatoribus præceptorem dare statui: eos omnes ad Christi iudicantis tribunal voco. Venite avari, venite impudici, venite raptores et adulteri: ad formidandum supremi iudicis thronum mente et spiritu proparate omnes peccatores, ac mente revolcite, quam miseri et infelices eritis, quando Christus vos iudicaturus veniet cum potestate magna et majestate: *videbunt Filium hominis venientem in nubibus caeli cum virtute multa et majestate*. Quam deploranda futura sit in die iudicii hominum peccatorum conditio, ista docebit concio, Ave.

Nullus in hoc mundo reus ita miser, cui aliqua non subsit excusatio, qua mediante scelerum suorum gravitatem minnere conetur: *nullus* ita infelix et derelictus, cui non aliquid adsit auxilium aut a Deo, aut ab hominibus: *nullus* ita perditus et desperatus, cui non aliqua semper spes salutis supersit. At in formidando extremi iudicii die peccatores erunt rei, quibus nulla erit excusatio, nullum auxilium, nulla spes salutis: *nulla excusatio*, quæ apud Deum valet: *nullum auxilium*, quod iis prosit; *nulla spes salutis*, quæ illos consoletur. O quam miser ille reus, cui nulla excusatio subest! Quam derelictus ille, cui nullum auxilium adest! Quam infelix ille, cui nulla spes salutis superest! Ecce quam infelix futurus sit impiorum status, et quam deploranda eorum conditio in die iudicii. Ita quidem erunt miseri, ut nulla iis faveat excusatio: ita erunt derelicti, ut nullum iis adsit auxilium: ita infelices erunt, ut nulla iis futura sit spes salutis. Peccatoribus in die iudicii 1. nulla erit excusatio; 2. nullum erit auxilium; 3. nulla erit spes salutis.

I PARS.

Peccatoribus in die iudicii nulla erit excusatio.

Hominibus naturale est sua excusationibus oblevare crimina; nullumque tam manifestum et notorium perpetrant peccatum, ad quod coram hominibus excusandum, aliquam rationem non adhibeant: *usitatum humani generis vitium est et latendo peccatum committere et commissum abscondere* (D. Greg. Mor. 22, 13). At in die iudicii ita obmutescunt peccatores, ut nullam rationem et excusationem valeant adducere, quia omnia nuda et aperta erunt oculis Christi iudicantis, quem fallere, et vanis excusationibus decipere nequibunt. Cum in tota *Egypto* dominaretur Joseph, perterriti sunt valde fratres ejus, audientes eum dicentem; *Ego sum Joseph*. Tanto tunc terrore concitati sunt, memores se fratrem suum alienigenis vendidisse, ut perpetratum crimen excusare, imo nec unum verbum proferre possent: *non poterant respondere fratres, nimio terrore perterriti* (Gen. 45, 3). Heu! quanto major in die iudicii erit terror stantium coram Christo iudice, quem toties multiplicatis enormibus et infandis sceleribus vendiderunt? Quanto majore formidine concutentur impii, cum peccatis suis onusti stabunt ante Christum tonantem et fulminantem: *intuunt de celo Dominus*? Tunc quidem ita attoniti parebunt et perterriti, ut præ timore non solum peccata excusare, nec unicum verbum proferre queant: *stabunt ante oculos Dei, nihil habentes dicere* (Tert., de anim. 6). Et revera, quid dicere et quam excusationem adducere poterunt peccatores in die iudicii; *quid tunc dicemus? quo colore excusationis utemur?* (Crysost., ep. ad Theod.). Sua tunc excusare non valebunt scelera, dicendo, se non potuisse Dei legem servare, quia Deus impossibilia non jubet, et, ut ait D. Chrysologus, « qualis excusatio hæc erit, jugum nos placidum non valuisse sufferre; onus non potuisse portare quod Christus vocavit leve, et ad quod portandum nos invitat, dicens: *tollite jugum meum super vos. Jugum enim meum suave est et onus meum leve* » (Matt.

11). Non poterunt etiam impii nature infirmitate, aut corporis debilitate culpas obtegere; multi enim homines multo infirmiores et debiliores quidquid difficile et durum in via salutis occurrit, perfecte servarunt. Sua fortasse peccata tunc excusare conabuntur peccatores, dicendo, se negotiis multis et variis occupationibus fuisse implicatos? Proh vanam et ridiculam excusationem! Nonne salutis negotium aliis omnibus negotiis erit preferendum? Nonne etiam illis dixerat Christus, nihil prodesse homini, quod omnia mundi negotia peragat ac totum mundum lucretur, si hæc in propriæ salutis detrimentum cedant: *quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* (Matt. 16). Quam ergo in die iudicii excusationem adducunt peccatores? Forsitan se a quoquam seductos causabunt? At, inquit Chrysostomus, inutilis et nulla hæc erit excusatio, quia *non potuit Adam uxoris illecebras excusare, dicens: Mulier, quam dedisti mihi sociam, ipsa me seduxit. Nec rursus uxorem serpentis culpa defendit*. Nec item tunc impiis patrocinabitur ignorantia: nec dicere poterunt, aut saltem non iis proderit, si dicant: *ignorans feci*. Hæc enim ratio non valebit, quia in omnem terram exivit sonus prædicatorum; ubique illuxit lux Fidei, et poterat quisque, si voluisset, ea discere, quæ ad salutem sunt necessaria. Loquere ergo peccator, dic, quam tunc adhibebis excusationem? Forte dicēs tibi defuisse gratiam, vel nimis urgentes te impetisse tentationes, quibus ad peccatum allectus fuisti? At auxilia ad salutem sufficientia nulli Deus denegat, nec permittit aliquem supra vires tendere; *fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis* (1 Cor. 10). Quare tunc nulla peccatoribus excusatio suberit, ac velut muti in conspectu Dei hærebunt: *in die agnitionis non habebunt allocutionem* (Sap. 3). Conjicere nequit Petrus Damiani, quam in die iudicii excusationem adducere poterunt peccatores; *quid, inquit, faciemus sub tanti iudicis majestate? Quid excusationis ostendere poterimus? Qua nos defensionis arte purgabimus?* O avaro, quam adduces excusationem, cum a te petet Christus, cur opes inique acquisieris et cur aliena non

restitueris? Forte paupertatem et familie necessitatem in causa fuisse dicas? Christus opponet Zachæum, qui aliena restituit in quadruplum; Franciscum et alios plurimos, qui non solum aliena minime rapuerunt, verum propria pauperibus distribuerunt. Quo colore excusationis uteris, qui inimicis parere noluisti? Dices forte, te de passione ad vindictam trahente triumphare nullatenus potuisse? Christus proponet tibi Stephanum: ecce, inquiet, hominem qui non solum inimicis pepercit, verum et genibus provolutus me pro occisoribus exoravit. Quid respondebis tu, qui jejunii preceptum toties violasti, cum a te requiret Christus, cur non jejunaveris? Arbitraris fortasse, quod illum decipere poteris, dicendo te corporis infirmitate et stomachi debilitate laborasse? Atvero judex ille, qui omnia novit, opponet tibi Baptistam et innumeros alios, qui licet te debiliores essent et infirmiores, non solum ordinatis ab Ecclesia, verum et multis aliis jejunii carnem suam affixerunt. Quid dicent superbi, cum videbunt Henricum, Ludovicum, Eduardum et alios quamplures sanctos imperatores et reges, qui in hoc mundo regnantes, altissima humilitate floruerunt? Quid dicent mulieres adulteræ, quæ matrimonii fidem violarunt, cum videbunt Susannam, quæ vitam et famam perdere maluit, quam conjugale maculare thorum? Quid tandem dicere poterunt omnes peccatores, cum iis proponatur Sancti ejusdem status, ejusdem conditionis, ejusdem sexus et ætatis, qui pie vixerunt et fideliter Deo servierunt? Quam tunc excusationem adducent? Nullam proculdubio: ideo tanto pudore suffundentur ob peccata palpalata, ut nec verbum proferre valeant: *omnis iniquitas opipilabit os suum*. O peccator, cum monet te prudens confessorius, cum te ad expianda scelera hortatur, ei obtemperare renuis dicens, non possum, nondum tempus advenit, vires deficiunt, negotiis implicor. Iis excusationibus cum ad absolutionem tibi dandam flectere conaris. Scito quod in die iudicii nulla excusatione scelera tua obterege poteris, quia supremo iudici Christo omnia patent, tuaque tunc crimina cunctis manifesta fient. Dum autem in die iudicii peccatores nulla manebit excusatio, *nullum etiam iis aderit auxilium*.

II PARS.

Peccatoribus in die iudicii nullum erit auxilium.

Nullus in hoc mundo ita miser, ita destitutus nemo, ut omni careat auxilio, quoniam ipsa miseria pro miseris clamat, eisque patronos et auxiliatores acquirit. Jamvero, o miseri peccatores, *quid facietis in die visitationis? Ad cuius confugietis auxilium?* Quis in die iudicii frater, quis amicus vobis auxiliabitur? Nullus quidem. Ut enim ait Chrysostomus, *nos hinc illic migrantes adjuvare poterit nemo, non frater redimet fratrem, non amicus amicum, non parentes filios, non filii parentes* (hom. 22 ad pop.). Refert Josephus, quod quando Core, Datan et Abiron vivos terra deglutivit, vicini, amici, domestici, cognati, proximi et quotquot tam portentoso spectaculo aderant, nullum eis auxilium præstiterunt; quin contra omnimode obliviscentes amicitia, propinquitatis, familiaritatis et sanguinis fedus, ultionem sumptam sermonibus et manuum plausibus approbarunt. Idem accidit in ultimo iudicio, in quo coram vicinis, amicis, et propinquis peccatores examinabuntur, confundentur et ad inferni supplicia condemnabuntur, nec nullum eis auxilium aliquis afferet, imo de eorum miseria et infelicitate gaudebunt omnes adstantes: *letabitur justus cum viderit vindictam* (Ps. 57, 11). O quam duram tunc erit peccatoribus, quod eis auxiliares manus non præbeant amici et propinqui! Hoc sane eis durissimum erit. Etsi vero tunc peccatores ab amicis, fratribus et propinquis auxilium non percipient, nonne aliunde subsidium sperare poterunt? Si ab hominibus derelinquantur, angeli forte iis subvenient. Angeli qui ad hominum peccatorum custodiam fuere delegati, tunc iis forsitan suppetias afferent? Nequaquam; quia Custodes Angeli, qui nunc peccatores studiose monent, protegunt et a demonum incurisibus tuentur, eos tunc derelinquent, dicentes: *curavimus Babylonem et non est salvata, derelinquamus eam* (Jer. 51). Tunc sane peccatoribus non præsto aderant Angeli. Quid dicemus de Sanctis in cælo iam regnantibus? Hi sunt sacri montes, ad quos mentem et oculos levabat propheta, ut ab iis auxilium emendicaret.

Levavi oculos meos in montes, unde venit auxilium mihi (Ps. 120, 1). Hi sunt benefici hominum patroni et pii pro iis apud Deum deprecatores, qui iis favere non desinunt, quamdiu in hoc seculo remanent, ideo forte et iis propitii erunt in die iudicii? Nequaquam. Verum quidem, quod quamdiu in terra degunt peccatores, Sancti pro iis Deum sollicito orant in celo: *pro hac orabit ad te omnis Sanctus, in tempore opportuno* (Ps. 31, 6). Antequam moriantur peccatores, tempus est opportunum, quo Sancti pro iis apud Deum studiose intercedunt; in die iudicii autem ad Deum non accedent Sancti, ut pro illis Deum invocent, et ut iis quomodocumque auxilientur: *verumtamen in diluvio aquarum multarum, ad eum non approximabunt*. Tunc Sancti ita divinæ voluntati erunt conformes, ut pater et amicus sancti filii fratribus et amicis suis reprobis nullo modo compatiantur. *Tanta rectitudine constringentur, ut nulla in reprobos compassione moveantur* (S. Greg. hom. 39 in Luc.). O quam miseri et infelices erunt peccatores in die iudicii, in quo ab Angelis et hominibus, a propinquis, amicis et ab ipsis Sanctis nullum auxilium percipient! Quod vero majus et gravius est, nec tunc ipsis propitia erit ipsa Angelorum et hominum regina. Norunt omnes, eam esse matrem misericordiæ, afflictorum consolatricem et peccatorum advocatam, pro quibus apud Deum intercedere non desinit: at in die iudicii eorum non miserebitur, nec aliquid iis præbebit auxilium. Hæc est luna mystica, quæ peccatoribus in hoc mundo riventibus lucet, eosque suis influxibus fovet; quæ tamen in formidando iudicii die *non dabit lumen suum* (Matt. 24, 29). Tunc peccatoribus non favabit Maria, nullum iis tunc præstabit auxilium, quin contra Filium suum ad vindictam de iis sumendam excitabit, dicens: *recordare quod steterim in conspectu tuo, ut loquerer pro eis bonum et acerterem indignationem tuam ab eis* (Ier. 18, 20). Recordare, quod quamdiu in seculo vixerunt, eorum apud te officiosissima fui advocata; nunc autem quia favores, quos iis impetravi, contempserunt, nec a peccatis suis discodere voluerunt, apprehende arma et scutum, edue e vagina gladium tuum utraque parte

acutum et percutere infensissimos illos nominis tui hostes; *deduc eos in manus gladii*. O infelix peccator, si auxilium non sis accepturus a Dei Genitrice et a Sanctis, quis ergo tibi tunc patrocinabitur? *Quis te in iudicio defendet?* (Chrys. h. 5 in 1 ad Cor.). Num te tunc defendet generis splendor? Num principatus gloria? Num famulorum cæterva? Num verborum facultia, aut divitiarum copia? *Tunc*, inquit sanctus Hieronymus, *nec divitiæ, nec nobilitas generis, nec potentia dignitatum aliquem defendere poterunt* (in c. 2 Isai.). A quo ergo tunc auxilium percipies, o peccator? *Quis te defendet?* Solus superesse videtur Christus, a quo auxilium sperare possis; verum nec ipse Christus tibi tunc propitius erit, quin contra *ad iudicium veniet, ignorans misericordiam* (Pet. Dam. ep. 57). Quamdiu in hoc mundo vivit peccator, ei Christus misericordiæ suæ thesauro aperit, ei se misericordem exhibet, cique in omnibus necessitatibus præsto est; *sed ad iudicium veniet, ignorans misericordiam*. Tunc clausa erant misericordiæ ejus viscera, tunc erit *Deus ultionum*, qui vindictam sumet de inimicis suis. Neque solum per seipsum vindictam sumet de inimicis, verum et adversus eos armabit omnem creaturam; *accipiet armaturam selus illius, et armabit creaturam ad ultionem inimicorum* (Sap. 5, 18). Tunc cæli malignos emittent influxus, tunc obscurabuntur astra, tunc ignis in conspectu Dei exardescet, terra formidando concutietur motu et omnes creature in peccatores insurgent. Ecce quam miser et infelix in die iudicii futurus sit peccator, qui tunc omni carebit auxilio; *ac etiam omni spe salutis*.

III PARS.

Peccatoribus in die iudicii nulla erit spes salutis.

Dum in terris morantur peccatores, vana quadam spe in nixi sperant, seu presumunt, se beatitudinem eternam obtenturos, etiamsi a peccatis non respiciant. Clamant concionatores, mortis horam incertam, Dei iudicia esse terribilia, intolerabilia esse inferi supplicia, Deum non irrideri, nullamque iis superesse salutis spem, qui in statu mortalis peccati moriuntur: hi tamen usque ad mortem salvari semper male sperant,

seu presumunt: immediate post mortem agnoscent, vanam et ridiculam fuisse suam hanc spem, quæ bonis operibus non innitebatur; tuncque de salute penitus desperabunt; *mortuo homine impio nulla erit ultra spes* (Prov. 11, 7). Quamdiu hic remanent impii, de salute sua desperare prohibentur, quia dum vivunt, et ipsis patet paradisi janua, Deus eos ad intrandum invitavit, iisque manum et auxilia sua præbet; qui nisi modo penitentiam egerint; si oblata auxilia respuerint et in peccatis perseveraverint, mox e corpore egressi claudetur iis cœli janua. Clamabunt; Domine, *aperi nobis*; at iis dicetur sicut fatuis virginibus, *nescio vos*, clausa jam est janua. In illam requiem ingredi summopere desiderabunt, optabunt intrare in civitatem sanctam Jerusalem; ad illam summo affectu anhelabunt; quod tantum desiderium eorum peribit; nam iis claudetur paradisi janua, nec tunc sperare illis aliqua salutis spes remanebit; *spes impiorum peribit* (Prov. 10). Tunc sane spes peccatorum peribit, quia si ab aliquo salutem sperare possent impii, maxime a Christo, qui in mundum venit salvare quod perierat, et a quo est omnis salus: *non est in alio aliquo salus* (Act. 4). Sed tunc nulla a Christo iis erit spes salutis; quin contra, iis tunc acriter exprobrabit beneficia collata, eosque paradisi gloria prorsus indignos declarabit. Tunc iratus Christus, sic impiis exprobrabit; *Ego te de limo terre manibus meis feci; ego terrenis artibus spiritum insuavi; ego te ad imaginem et similitudinem nostram facere dignatus sum; ego te inter paradisi delicias collocaui; et tu, vitia mandata contemnens, deceptorem sequi, quam Dominum, maluisti. Sed antiqua postea motus misericordia, cum expulsus de paradiso vinculis mortis tenereris, virginalem uterum sine dispendio virginitatis in pariendo, introiti: in præsepio positus et parvis involutus jacui; infantie contumelias, humanosque dolores, quibus tibi similis flerem, ad hoc scilicet, ut te mihi similem facerem, pertuli; iridentium palmas et sputa suscepi, acetum cum felle bibi: flagellis cæsus, cepribus coronatus, affixus cruci, perfossus vulnere, ut tu eripereris morti, animam in tormentis dimisi. En clavorum vestigia, quibus affixus peperisti.*

En perfossus vulneribus latus. Suscepi dolores tuos, ut tibi gloriam darem; suscepi mortem tuam, ut in æternum viveres: jacui in sepulchro, ut tu regnares in cœlo. Cur quod pro te pertuli, perdidisti? Cur, ingrâte, redemptionis tue munera renuisti? Cum essem impassibilis, pro te pati dignatus sum; sed tu desperasti in homine Deum, in infirmo salutem, in via reditum, in iudice veniam, in morte vitam, in suppliciis medicinam. Et quia post omnia mala tua ad medicamenta penitentiae confugere noluisti, ab auditu malo non mereberis liberari (S. Aug., serm. 67 de temp.). Postquam peccatoribus ingratitude et peccata eorum exprobraverit Christus, audient illum dicentem, *discedite a me maledicti in ignem æternum*. Quanta tunc peccatorum desperatio! quantus stridor dentium, ut subdit D. Augustinus, cum viderint peccatores, se ab omni salutis spe exclusos et ad æterna supplicia damnatos! *Quis tunc erit stridor dentium, cum Sanctorum multitudine ad dexteram Regis et ad gloriam segregatis, peccati populus in profunda tartari sine ulla miserationis ac veniæ spe demersus, excludi se a Beatorum luce et ad æterna supplicia damnari viderint?* Tunc peccator videbit et irascetur; tunc dentibus suis fremet et tabesceat; tunc de propria salute desperans, carnem brachii sui vorabit, ac in seipsum maledicta proferet. O frater, formidandum hoc iudicium frequenter recogita et serio perpende; et ut terribilia hæc Dei iudicia declines, penitentiam age, et ut loquitur Augustinus, *portum penitentiae, devictis peccatorum fluctibus, Christo iuvante, festinens intrare*. Nemo dicat; juvenis sum, uxorem duxi, negotiis multis sum implicatus; non hæc et his similia in cordibus nostris cogitemus; prompte ad penitentiam remedia advolemus. « Convertamur ad meliora, dum in nostra potestate sunt remedia. Extinguamus mortem, moriendo peccatis; vitam vitæ meritis acquiramus, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et imperium cum Patre et Spiritu Sancto in sæcula sæculorum. Amen ».

EXPLICIT TOMUS QUINTUS

PARS SECUNDA CONCIONUM DOMINICALIUM.

INDEX


DOMINICA PENTECOSTES — De Spiritu Sancto	pag. 1
I PARS. — Quis sit Spiritus S. in SS. Trinitatis mysterio?	2
II PARS. — Quis sit Spiritus Sanctus in sanctae Ecclesiae sinu	6
III PARS. — Qui est Spiritus Sanctus in hominis iusti anima	10
DOMINICA TRINITATIS — De sanctissima Trinitate	13
I PARS. — SS. Trinitatis mysterium est incomprehensibile	15
II PARS. — Sanctissima Trinitatis mysterium est incredibile	19
III PARS. — Sanctissima Trinitatis mysterium est adorandum	23
DOMINICA SECUNDA POST PENTECOSTEN — De cena magna	27
I PARS. — Deus facit magnum convivium in terra	29
II PARS. — Deus facit magnum convivium in Ecclesia	32
III PARS. — Deus facit magnum convivium in caelo	36
DOMINICA TERTIA POST PENT. — De Dei in homines amore	41
I PARS. — Deus diligit homines peccatores	42
II PARS. — Deus diligit homines penitentes	46
III PARS. — Deus diligit homines iustos	49
DOMINICA QUARTA POST PENTECOSTEN — De verbo Dei	53
I PARS. — Conscience audiri debent assidue	54
II PARS. — Conscience audiri debent attente	57
III PARS. — Conscience audiri debent utiliter	61
DOMINICA QUINTA POST PENT. — De aeternitate poenarum inferni	65
I PARS. — Unicum mortale peccatum merito poena puniatur aeterna, si insipientiam Deum, qui infinite iustus est	67
II PARS. — eo quod ipse malitia pene sit infinita	70
III PARS. — propter peccataris summam ingratitudeinem	74
DOMINICA SEXTA POST PENT. — De humani corporis dignitate	77
I PARS. — Corpus humanum est quid magnum in mundo	78
II PARS. — Corpus humanum fuit magnum in Christo	82
III PARS. — Corpus humanum erit quid magnum in caelo	85
DOMINICA SEPTIMA POST PENTECOSTEN — De malis christianis	88
I PARS. — Mali Christ. injuriam inferunt Deo, cujus sunt filii	90
II PARS. — injuriam inferunt Christo, cujus sunt discipuli	93
III PARS. — injuriam inferunt Ecclesiae cujus sunt membra	97

DOMINICA OCTAVA POST PENTECOSTEN — De elemosyna pag. 100	
I PARS. — Quid est elemosyna	102
II PARS. — Quid facit elemosyna	105
III PARS. — Quid obtinet elemosyna	108
DOMINICA NONA POST PENTECOSTEN — De furto	111
I PARS. — Aliena furari, est quid commune	112
II PARS. — Aliena furari est quid grave	115
III PARS. — Aliena furari est quid periculosum	119
DOMINICA DECIMA POST PENTECOSTEN. — De bonis operibus	122
I PARS. — Bona opera non sunt perurganda, sed occultanda	124
II PARS. — Bona opera non sibi sed Deo sunt tribuenda	127
III PARS. — Bona opera ad Dei gloriam sunt dirigenda	130
DOMINICA UNDECIMA POST PENT. — De Christi operibus	134
I PARS. — Christus bona opera fecit prompte, sine ulla retardatione	136
II PARS. — fecit indesinenter sine ulla intermissione	139
III PARS. — perfecte sine ulla defectu	142
DOMINICA DUODECIMA POST PENT. — De hominis in Deum amore	145
I PARS. — Deus est acriter amandus	147
II PARS. — Deus est nihil amandus	150
III PARS. — Deus est semper amandus	153
DOMINICA DECIMATERTIA POST PENTECOSTEN — De luxuria	157
I PARS. — Primum motivum: Deus te videt	158
II PARS. — Secundum motivum: Deus te iudicabit	162
III PARS. — Tertium motivum: Deus te puniet	165
DOMINICA DECIMAQUARTA POST PENTECOSTEN — De usura	168
I PARS. — Usurarius est benefactor, qui eos, quibus benefecere videtur, facultatibus spoliat	169
II PARS. — est amicus, qui quos diligere creditur, inique prodit	173
III PARS. — est protector, qui quos protegere censetur, opprimit	176
DOMINICA DECIMAQUINTA POST PENTECOSTEN — De officiis filiorum in parentes	179
I PARS. — Filii parentibus debent reverentiam	180
II PARS. — Filii parentibus debent obedientiam	183
III PARS. — Filii parentibus debent amorem	186
DOMINICA DECIMASEXTA POST PENTECOSTEN — De ambitione	190
I PARS. — Homo ambitiosus stultus est	192
II PARS. — Homo ambitiosus malignus est	195
III PARS. — Homo ambitiosus infelix est	199
DOMINICA DECIMASEPTIMA POST PENT. — De igne inferni	203
I PARS. — Ignis inferni urit, et non lucet	204
II PARS. — Ignis inferni devorat et non consumit	208
III PARS. — Ignis inferni torquet, et torquere nunquam desinit	211

DOMINICA DECIMOCTAVA POST PENTECOSTEN — De blas-	
phemia	pag. 214
I PARS. — Abstinendum a consuetudine jurandi	» 215
II PARS. — Abstinendum ab imprecationibus	» 218
III PARS. — Abstinendum a blasphemia	» 221
DOMINICA DECIMANONA POST PENT. — De bonis temporalibus » 225	
I PARS. — Bona temporalia parum valent	» 226
II PARS. — Bona temporalia parum durant	» 230
III PARS. — Bona temporalia parum prociunt	» 233
DOMINICA VIGESIMA POST PENT. — De corporis infirmitatibus » 236	
I PARS. — Qui aegrotant, quæ ad animæ salutem spectant,	
facere debent	» 237
II PARS. — Corporis dolores patienter sustinere debent	» 240
III PARS. — Bona temporalia pie et justè distribuere	» 243
DOMINICA VIGESIMAPRIMA POST PENT. — De salutis negotio » 246	
I PARS. — Quisque debet de salute sua serio cogitare	» 247
II PARS. — Quisque debet salutem suam ardentè desiderare	» 251
III PARS. — Quisque debet pro salute sua sedulo laborare	» 253
DOMINICA VIGESIMASECUNDA POST PENT. — De adulatore » 256	
I PARS. — Adulatores sunt hostes maligni	» 258
II PARS. — Adulatores sunt hostes callidi	» 261
III PARS. — Adulatores sunt hostes ignoti	» 263
DOMINICA VIGESIMATERCIA POST PENT. — De morte justorum » 266	
I PARS. — Mors justorum est requies secura	» 268
II PARS. — Mors justorum est somnus suavis	» 271
III PARS. — Mors justorum est transitus ad gloriam	» 274
DOMINICA VIGESIMAQUARTA POST PENTECOSTEN — De ju-	
dicio extremo	» 276
I PARS. — Peccatoribus in die judicii nulla erit excusatio	» 278
II PARS. — Peccatoribus in die judicii nullum erit auxilium	» 281
III PARS. — Peccatoribus in die judicii nulla erit spes salutis	» 283

ANNUS APOSTOLICUS

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



ANNUS
APOSTOLICUS

CONTINENS CONCIONES

I. TOPO ADVENTU — II. TEMPORE QUADRAGESIMAE
III. OMNIBUS ET SINGULIS TOTIUS ANNI DIEBUS DOMINIIS
IV. DE SANCTIS

PRÆDICABILES
STILO PERSPICUO ELABORATAS

CLARAQUE METHODO CONCINNATAS

AUCTORE R. P.

Fr. ZACHARIA LASELVE

*Sacra Theologiae Lectore, necnon Provinciae Recollectorium
Sanctissimi Sacramenti seu Tolosanae alumnus.*

EDITIO REVERSA ET AUCTORATA A P. A. SARACENO PEZER. CONSENSU. OR. TAURIN.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN


Volumen VI.

Pars I. Concionum de Sanctis. ®

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

AUGUSTE TAURINORUM
EX OFFICINA LIBRARIA ECCLESIASTICA
Eq. LAURENTII ROMANO EDITORIS

M.DCCC.LXXXI.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE ESTUDIOS

Tancini. — Ex Typ. V. Bova.

CONCIONES DE SANCTIS

DE SANCTO ANDREA

CONCIO PRIMA.

Mihi autem absit gloriari nisi in cruce (ad Galat. 2, 19).

Christus Dominus mirabili et divina sapientia suae face illustratus, crucem tanti fecit, ut eam semel assumptam constantissime retinuerit, vel ipsa matre aliis relicta; *matrem dedit, crucem vero reservavit* (S. Ambr.). Sanctissimus hic mundi Redemptor, qui toto vitae suae tempore erga omnes se liberalem exhibuerat, in cruce pendens et moriens, pretiosiora et specialiora *dedit dona hominibus*; tunc enim S. Iohanni matrem, paradisum lateroni, inimicis veniam, gratiam peccatoribus, cunctisque hominibus pretiosissimi sui sanguinis virtutem et efficaciam quam libentissime et liberalissime dedit; tantummodo *suam sibi crucem reservavit*. O quam pretiosa, quam amabilis, quam optabilis crux, quam sapientia aeterna praeselit, praediligit, sibi quoque tanto affectu, tantaque solitudine, reservat! ejus tamen B. Andream participem et haeredem instituere voluit. Nec donum illud, quod exhorrescent Judaei, Gentiles contemnunt et plerique fugiant, sanctus ille Apostolus recusavit; quin e contra gratissimo illud percepit animo; crucem dilexit, crucem exquisivit et in cruce gloriam suam constituit: *mihi autem absit gloriari nisi in cruce*. Contemplemur nunc pretiosum hunc thesaurum in corde sanctissimi illius Apostoli; perpendamus varios et mira-

biles motus, quibus vere apostolicum S. Andreae cor fuit erga crucem concitatum. *Ae.*

Sancti in caelo circa objectum beatificum triplici motu ciantur, motu scilicet desiderii, gaudii et amoris; ut enim sacri docent codices, sancti in caelo desiderant, gaudent et amant; ipsi desiderant continuationem contemplationis et visionis Dei, a quo beantur: *in quem desiderant angeli prospicere* (1 Pet. 1, 6). Ipsi etiam gaudent de gloria aeterna, cujus sunt possessores, *letitia sempiterna super caput eorum* (Isai. 35, 10). Ipsi tandem amant Deum quem amaverant, dum in hoc saeculo vixerent: *charitas enim, quam habuerant in terris, perseverat in caelis: charitas nunquam excidit* (1 Cor. 13, 8). Ecce varios motus, quibus Beati in caelo degentes, erga objectum beatificum feruntur; quod vero mirum et portentosum est, iisdem pene motibus erga crucem cor B. Andreae agitabatur; eam enim ardentem desideravit, eam hilariter contemplatus est, eamque magno cum amore est amplexatus. Homines, qui mundi et carnis serviunt voluptatibus, crucis et tribulationes fugiunt, timent et oderunt: ast cor B. Andreae aliis et totaliter oppositis agitabatur motibus: triplex namque in ejus corde erga crucem fuit motus; *primus* fuit motus desiderii; *secundus* fuit motus gaudii; *tertius* fuit motus amoris. Triplex ille motus totam hujus concionis materiam subministrabit.

In corde B. Andreae fuit motus desiderii erga crucem.

Christus Dominus non solum pro nobis vigilare, jejunare, concionari et peregrinari voluit, verum et dira pati, crucisque mortem pro nostra salute subire desideravit. Propriam mortem, veluti sacrum baptismum, quo sauciata et originali labe fodata protoparentis nostri familia salvari et mundari debebat, ipse contemplabatur; eoque intuitu talem baptismum, seu crucis mortem summopere optabat: *Baptismo habeo baptizari et*

quomodo coarctor usque dum perficiatur? (Luc. 12, 50). Beatus autem Andreas eodem arsit desiderio, fuitque in ejus corde ardens motus desiderii erga crucem; illam ambit, illam concupivit, ad eam hianter attendit, eique alligari tanto affectu peroptavit, ut illam non leviter et transeunter optatam, imo ardentem et diu desideratam vocaverit: *O bona crux diu desiderata!* Sanctissimus propheta Daniel vocatur *vir desideriorum*; similiter S. Andreas, qui interpretatur *virilis*, fuit *vir desideriorum*, non inanium quidem aut malorum, quia ipse nec vana, nec mala concupivit; fuit *vir desideriorum* bonorum; ipse siquidem desideravit custodire justificationes Domini, desideravit Deum laudari, ejusque gloriam in toto terrarum orbe praedicari; desideravit etiam et ardentem sitivit peccatorum conversionem et omnium salutem; ardentius autem, quo astuabat anima ejus, desiderium ad crucem dirigebatur, cui alligari toto cordis affectu desiderabat; unde B. Bernardus sanctissimum hunc athletam cruci affixum representans, ait, quod Deus ei tribuerit quod vehementer optaverat: *desiderium animae ejus tribuit ei Dominus* (serm. 1 de S. Andr.). Non tribuit ei Deus bona temporalia et voluptates saeculi, a quibus abhorrebat; dedit crucem, quam ardentissime optaverat: *O bona crux diu desiderata!* Fieri solet jucundus quidam ludus, qui vocatur *ludus desideriorum*, in quo aliqui simul congregati, recreationis gratia, sua propalant desideria et quisque suo ordine declarat, quid potissimum in hoc mundo optare posset; unus ait, quod vellet esse summus pontifex; alius, quod totius orbis imperator esse cuperet; hic, quod montem aureum possidere optaret; iste, quod tot desideraret habere nummos, quot stellae sunt in caelo, quot folia in arboribus et arenae grana in littore maris; his autem et similibus modis quisque suum patefacit desiderium; unde, si intima cordis eorum intueri fas esset, videremus, quod ludendo quilibet arcantum cordis sui desiderium sincere propalavit. O beate Andrea! dicite, quaeso, quo tua afficiatur anima desiderio? Pande tuos affectus, cordis tui desiderium propala. An forte montes aureos, bonorum temporalium thesauros, vel supremas mundi dignitates desideras? Apage; talia enim non

cupit, qui terrena cuncta contemnit; talia non desiderat ille crucis discipulus; ipsa crux, cui alligari summopere optat, unicum est desiderium animæ ejus: *o bona crux diu desiderata!* Multi cum Christo esse cupiunt, quando ab eo gratias, favores et consolationes percipiunt; verum tempore tribulationis ab eo discedunt, ipsumque derelinquunt. Quando Apostoli in monte Thabor Christum luce supercoelesti et gloria divina coruscantem apprehenderunt, cum illo permanere optabant, et ideo tabernacula ibi fieri petebant: *Domine, bonum est nos hic esse: si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi tuum et Eliæ tuum* (Matt. 17, 4); quum tempus passionis advent, cum Christus crucifigi voluit, *eo relicto fugerunt omnes* (Mat. 26). O Petre! ut quid derelinquis magistrum tuum, benefactorem tuum, Dominum et Deum tuum, a quo tot et tanta beneficia recepisti? Cum ipso ascendisti in montem Thabor, cur et cum ipso etiam in Calvarie montem, et in crucis patibulum non ascendis? Ascendisset quidem Petrus, ascendissent et omnes apostoli, si non laborassent communi infirmitate hominum, qui cum Christo libenter manere volunt in monte Thabor, seu tempore consolationis, et a Christo se elongant in monte Calvarie, seu tempore tribulationis. Ast beatus Andreas non tam cum Christo gloria celesti superfluo et luce ineffabili circumfuso, quam cum Christo cruci affixo jungi desideravit; optavit particeps fieri passionum ejus et ad instar illius, crucis stipiti alligari concepivit; Andreas, ut ait, D. Bernardus, *desiderabat dissolvi et esse cum Christo*. Jam vero ubi S. ille apostolus cum Christo esse volebat! Forta in monte Thabor, ubi *resplenduit facies ejus sicut sol?* Nequaquam; *desiderabat dissolvi et esse cum Christo, sed in cruce*, inquit S. Bernardus: unde non Christum sine cruce, imo crucem cum Christo desideravit. Demiramur pereximium D. Pauli erga Christum amorem, quo exardescens, propriam animam a corpore dissolvi perceptabat, ut cum Christo esse posset: *cupio dissolvi et esse cum Christo*; quo autem in loco ille gentium apostolus cum Christo esse appetebat? In paradiso, ubi Christus sanctos omnes beatificat, eosque gloria et

consolatione infinita replet, cum Christo esse cupiebat in loco beatitudinis æternæ; *cupio dissolvi et esse cum Christo*. At longe mirabilior videtur S. Andrea: amor, qui dissolvi optavit, ut esset cum Christo cruci affixo: *desiderabat dissolvi et esse cum Christo, sed in cruce*; unde simul optavit Christum et crucem ejus, eodemque motu Christo adhærere et cruci affigi concepivit. Certissime constat, quoniam *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei* (Act. 14). Antiquitus crux inspiciebatur solummodo, ut supplicium reorum; nunc vero, ut ait S. Basilius Seleuciensis, *via ad salutem, passio et crux*; et ut loquitur S. Bernardus, *crux est via vite, via gloriæ, via civitatis habitaculi, via regni* (serm. in Dom. Palm.). Hæc tamen est differentia inter pueros rationis expertes et adultos rationis usu pollentes, quod pueri absque ullis propriis meritis et passionibus, per solam crucis Christi virtutem, seu per merita passionum ejus, gloriam æternam consequuntur; adulti vero cruci Christi suam adjungere debent, et cum ipso pati tenentur, ut æternam beatitudinem assequi valeant; unde Christus Dominus sententiose profert, quod si quis cum ipso regnare velit in celo, ipsaque sequi optet in gloria, crucem suam tollere, crucisque dolores perferre debeat: *qui vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam et sequatur me* (Luc. 9, 23). Ah, cæcitate et vesania hominum, quorum ne unus quidem reperitur, qui cum Christo regnare velit in patibulo; omnes beatitudinem volunt assequi, et pauci volunt crucem amplecti; omnes æternam beatitudinem adipisci cupiunt, pauci jejunare, injurias condonare, jugum legis Dei portare, et crucem suam tollere volunt. Non sic B. Andreas, qui quidem voluit intrare in regnum celorum, verum per viam crucis; Andreas, ut ait S. Bernardus, *desiderabat regnum intrare, sed per patibulum*. Unde simul paradysum et crucem desideravit; paradysum, tamquam finem ultimum et crucem, tamquam medium ad hunc finem obtinendum; sub hoc respectu crucem summo affectu concepivit, ambivit et sollicitè quesivit, dicens: *O bona crux, diu desiderata, sollicitè amata, sine intermissione quesita!* Ecco primum cordis B. Andrea: motum;

crucem desideravit, quam plerique fugiunt. Inter homines, inquit S. Augustinus, *alius desiderat aurum, alius desiderat argentum, alius desiderat possessiones, alius desiderat hereditates, alius amplam pecuniam, alius multa pecora, alius domum magnam, alius uxorem, alius honores, alius filios* (in Ps. 26); ardent omnes desiderio, et sæpe desiderio rerum illicitarum, et a Deo prohibitarum; imo et quæ sunt illicita ardentius appetunt: *quidquid non licet, magis desideratur*. O cæci et insani homines! *ut quid diligitis vanitatem et queritis mendacium?* ut quid vana et illicita concupiscitis et queritis? Si diligitis, diligit quod diligere oportet; si queritis, querite quod querere convenit; et si desideratis, desiderate quod desiderare licitum, bonum et sanctum est; cum B. Andrea cruci alligari et crucem portare concupiscite. Habete cum illo erga crucem motum desiderii et motum gaudii.

II PARS.

In corde B. Andreae fuit motus gaudii erga crucem.

Desiderium ex D. Augustino (in Ps. 118), est *rerum absentium concupiscentia*; gaudium vero ex D. Chrysostomo (hom. 1 de verb. Is.), est *rerum jucundularum fructio*; duplici autem illo motu, desiderii scilicet et gaudii, concitatum fuit cor B. Andreae; crucem non solum concupivit absentem, de ipsa etiam præsentem gavisus est; ipsam videns præ gaudio exultavit et tripudiavit: *inaudito a sæculis gaudio tripudiabat, cum paratum sibi eminus patibulum conspexisset* (S. Bern., ser. in vig. S. And.). Strictè prohibetur carnificibus, ne damnatis ad mortem sui ostendant instrumenta supplicii, quia talium instrumentorum idea nimium eis timorem incuteret; et forte mortem ante executionem sententiæ a iudicibus late eis causaret. At B. Andreas, sui gaudens conspexit instrumentum supplicii: videns enim paratum sibi crucem, *nequaquam, ut exigere videtur mortalis infirmitas, facies ejus expalluit;*

nequaquam sanguis ejus gelatus est; non steterit comæ, aut cox faucibus hæsit; non contremuit corpus, nec mens turbata est; non recessit etiam, ut assolet, intellectus (S. Bern., ser. 2 de S. And.), nec ejus mors sententiæ ab Ægea contra ipsum late executionem præcurrit; quia e contra strenue ille Christi athleta crucem securus et gaudens aspexit, et in illius aspectu, præ nimio quæ agitabatur gaudio tripudiavit: *inaudito a sæculis gaudio tripudiabat, cum paratum sibi eminus patibulum conspexisset*. Christus Dominus, a quo omnium Sanctorum gaudium manat, in horto Gethsemani tristis factus est usque ad mortem; unde Pater æternus ad eum misit angelum consolatorem: *apparuit autem illi angelus de celo confortans eum* (Luc. 22, 43). Quis est hic, qui tristatur et cujus tristitia consolatione angelica lenitur? in plane est, cui nascituro clausus patuit Virginis uterus; cujus nutu in vinum aqua mutata est; cujus tactu lepra fugata; sub cujus plantis mare solidum stetit et ad ejus vocem mortui surrexerunt: hic est, qui portat omnia verbo virtutis suæ, per quem facta sunt omnia et per quem universa subsistunt: hic tandem est, qui confortat et consolatur non solum angelum confortantem, verum et omnem penitus creaturam rationalem. Ecce, quæso, tristatur supremus ille consolator? Tristatur quidem, quia omnia passionis instrumenta, omnesque, quos passurus erat, dolores ipsi representantur: *sciens omnia, quæ ventura erant super eum*. Heu! si Christus ad simplicem crucis ideam tristatur, quid fiet de B. Andrea? Anne gaudere poterit ille discipulus, ubi tristatur Dominus et magister ejus? gaudet utique et vehementer exultat; unde in memoriam vehementis gaudii, quod ad patibuli præsentiam prætulit magnus ille apostolus, hortatur nos D. Bernardus, ut cum illo gaudeamus et exultemus: *quomodo, inquit, non exultemus in memoria triumpho ejus, quem in ipsa sui præsentia supplicii, tam vehementer novimus exultasse?* (serm. in vig.) Exultat quidem et tripudiavit Andreas ad sibi parati præsentiam patibuli: quid ergo fieri potuit, quod ad crucis præsentiam tristaretur Christus et letaretur Andreas? unde tanta diversitas inter magistrum et discipulum, inter

Christum et Andream? unde est, quod tristetur Christus ubi laetatur apostolus? Tristatur Christus ad praesentiam supplicii, non ex infirmitate et conditionis necessitate, at suae beneplacito voluntatis; tristatur, quia tristitia sua, suisque doloribus infrmitates et iniquitates nostras sanare voluit. Gaudet autem Andreas per Christum, qui extitit angelus confortans eum et qui gaudium eius replevit: unde, inquit S. Bernardus, *in hoc infirmo nocu hinc exultatio et letitia hactenus inaudita? absit, ut a seipso tantam ei credamus inesse virtutem; donum perfectum est descendens a Patre luminum, ab eo ulique, qui facit mirabilia magna solus* (serm. 2 de eod.). Dicit etiam potest, quod gaudet S. Andreas per Christum, quia Christus ab ejus cruce amaritudinem abstulerat, cujus mirabilem dederat suavitatem: *cruci suavitatem dedit, cui dedit et igni*. Tantam Christum igni, quo S. ardebat Laurentius, contulerat suavitatem, ut insignis ille Levita in medio ignis decumbens irideret carnifices, iudicem subsannaret et jam paradisi gaudiis frui arbiraretur; Christus similiter tantam cruci S. Andreae ingessit dulcedinem, tantaque eam suavitate affecit, ut sanctus hic Apostolus ad crucis sibi paratae praesentiam exultaverit et tripudiarit: *tripudiat, cum paratam sibi eminus patibulum conspexisset*. Cum Andreas ad paratam sibi crucem pergeret, eam compellens, sic allocutus est: *securus et gaudens venio ad te*. Quale erat illud gaudium, quo impulsus S. Andrea, ad paratam sibi patibulum curriebat? Gaudium illud erat maximum et ita praeclens, ut teste Bernardo, praemagnitudine illius, Andreas quasi mente captus videretur, et seipsum non caperet: *securus, inquebat, et gaudens venio ad te, ut, et tu exultans suscipias me*. O Andrea! attende ad verba quae profers, an ignoras, quod crux, insensibile lignum, omnis penitus letitiae est incapax? An te laet, quod lignum illud tecum exultare nequit? Quomodo exultaret et tripudiarit inanimatum illud patibulum, cui omnis sive gaudii sive mororis motus repugnat? exultare quidem non valet; cur ergo, o Andrea, illud ad exultationes invitas? *ut et tu exultans suscipias me*. Respondet Bernardus, quod S. Andreas non se capiebat,

cum talia proferebat: *videtis, quasi non se capit praemagnitudine gaudii: dicens, ut et tu exultans suscipias me*. O praeclens Andreae gaudium, quod tantum est, ut praemagnitudine jubilatione et letitia, sanctus ille apostolus suis non attendat verbis, nec seipsum capiat: *videtis, quod praemagnitudine gaudii non se capit*. Debet religiosus, juxta S. Bernardi doctrinam, ire ad mensam, *tamquam ad crucem*; D. Andreas, sancto e contrario motu compulsus, ad crucem velut ad mensam opiparam et cibis exquisitis confertam, imo velut ad mensam eucharisticam et caelestem se conferebat; cor enim ejus ad crucem properantis spirituali abundabat gaudio et intellectus ejus tanta letitia preoccupatur, ut quasi alter Petrus in monte Thabor, *nesciens, quid diceret*, ipsam crucem ad exultandum invitaret. *Videtis, quod praemagnitudine gaudii non se capit*. Ea secundum cordis S. Andreae motum erga crucem, notum quidem gaudii ineffabilis et exultationis insolite. Heu! quam graviter falluntur, qui nullum in adversitatibus et tribulationibus gaudium inveniri posse arbitrantur! ut enim loquitur S. Bernardus, *lignum crucis fructificat jucunditatem, oleum letitiae stillat*; non omnibus quidem, solum iis qui Dei amore ardent et divino spiritu aguntur; aliis vero, quorum infruitas a Dei spiritu non adjuvatur, omnia dura, omnia aspera, omniaque videntur importabilia; iis *molestus est omnis penitentiae labor, corporis afflictio gravis, abstinentia onerosa* (S. Bern., ser. 2 de S.). Quapropter supplices a Deo petite spiritum penitentiae et mortificationis, quo dulcorantur omnia. Spiritus Dei est *super neel dulcis*; hoc spiritu amara quavis molliuntur et dulcia fiunt; hoc spiritu temperatur et dulcescit ipsa crux et mortis amaritudo; unde hoc spiritu succensi in mediis supplicii, gaudebant et exultabant Sancti: *exultantes in pressuris*; summo ergo affectu, summaque humilitate hunc a Deo spiritum postulate, ut eo succensi in mediis tribulationibus gaudere et exultare valeatis cum D. Andrea, in cujus corde fuit motus gaudii, et motus amoris erga crucem.

III PARS.

In corde S. Andreae fuit motus amoris erga crucem.

Triplicem gradum bajulatorum crucis considerat D. Bernardus, incipientium scilicet, proficientium et perfectorum; incipientes ducuntur timore, proficientes spe trahuntur, perfecti charitate moventur: qui timore ducuntur, inquit Bernardus, crucem Christi portant patienter: *qui initiatur a timore, crucem Christi portat patienter*; qui autem spe trahuntur, crucem libenter amplectuntur: *qui proficit in spe, portat libenter*; qui tandem perfecto moventur amore, cruci ardentem adherent; *qui vero consummatur in charitate, amplectitur jam ardentem* (serm. de S. And.). Andreas autem, non solum crucem portavit patienter et libenter, verum et eam ardentissime dilexit; nullus unquam prociis suam ardentius adamavit amasiam, quam Andreas sibi paratam amavit crucem; pectus ejus erat quasi ignita fornax, ex qua nonnisi flammanctia et ardentissimum ejus amorem erga crucem manifestantia prodibant verba; jam summo affectu dicebat: *o crux amabilis, o crux desiderabilis*; mox clamabat affectione magis, quam voce: *salve crux pretiosa, quae decorem et pulchritudinem de membris Domini accepisti*. Interdum crucem salutabat, dicens: *salve crux, quae in corpore Christi dedicata es, et ex membris ejus tanquam margaritis ornata*. Nonnunquam etiam a circumstantibus audiebatur clamans: «o bona crux, quae decorem ex membris Domini suscepisti, diu desiderata, sollicite amata, sine intermissione quesita, et aliquando cupienti animo preparata, accipio me ab hominibus, et redde me magistro meo». Haec et innumera alia ignita quae proferebat verba, quo ardore crucem diligeret, testabantur; unde sanctissimi hujus apostoli amorem erga crucem demirans Bernardus, ait, quod omnia ejus verba ab ardenti et ignito amore prodibant: *fratres, ignis vibrans est, non lingua loquens: et si lingua certe ignea est. Car-*

bones sunt ignis illius, quem de excelso Christus miserat in ossibus ejus. Miramini ardentem hunc S. Andreae amorem erga crucem. Amor verus difficilia et ardua quaerit, ut levia et facilia apprehendit; amanti nihil grave, nihil difficile apparet; ut enim, ait S. Petrus Chrysologus, *nihil durum, nihil amarum, nihil grave, nihil lethale computat amor verus* (Ser. 40). Talis autem fuit B. Andreae amor erga crucem, nihil in ea amarum, nihil grave, nihil asperum suspicabatur; omnia ei dulcisa, suavia, jucunda et optabilia in cruce apparebant; unde ei blandiebatur, ei applaudebat, eam laudabat, eamque suavem, desiderabilem, nec non amabilem praedicabat: et hac in parte magnus ille apostolus S. Petrus fratrem suum superasse videtur; de his enim duobus fratribus loquens Petrus Damian., ait, quod crucis supplicium ambo passi sunt, et quod, qui ejusdem patris filii extitere in terra, sunt in caelo filii ejusdem matris, scilicet crucis: *qui hic sunt filii Joannis, illic sunt filii crucis* (Serm. de S. Andr.). Videtur tamen, quod Andreas in amore crucis Petrus superavit; verum est, quod Petrus patienter et constanter crucis supplicium pertulit, alia amoris sui erga crucem testimonia minime protulit; Andreas vero crucem voluntarie et hilariter adivit, illam reverenter salutavit, in ejus laudes prorupit, variis eam blanditiis demulsit, aliaque multa amoris sui erga crucem indicia dedit: *ubi*, inquit S. Bernardus, *Andreas paratum sibi lignum intuitus est, ex hoc jam plane totus ignescens applaudebat et blandiebatur illi amatoe suae, officiosissime salutabat, devotissime suspiciebat, magnifice attollebat eam, et in ipsius praeconio gloriabatur* (Serm. in vig.). O ingentia amoris S. Andreae erga crucem testimonia! haec enim verba, ut ait idem Bernardus, *ab interiori incendio emicant*; seu ab interiori et ardentissimo amoris igne, quo aestuabat. Totus ille, qui vulgo appellatur amor, tantae levitatis et inconstantiae est, ut ne amoris quidam nomine dignus videatur; verus enim amor non levis et volatilis, sed firmus et constans esse debet; sic enim, ait S. Ambrosius: *amor verus constantia probatur*; addit Seneca, quod amor verus ita constans esse debet, ut nunquam desinat: *amare sic incipe, tam-*

quam non liceat desinere. Talis autem extitit S. Andreae amor erga crucem; non enim ad tempus et per intervalla, semper absque ulla intermissione eam adamavit; amore ita constanti crucem dilexit, ut eam semper amaverit: *amator*, inquit, *tuus semper fui*. Subdit Bernardus, solum Andream vere dicere potuisse, quod crucem semper amaverit: *solus etenim est, qui dicere possit, quia amator tuus semper fui*. O egragium et constantem crucis amatorem! cui alius similis, Christo excepto, inveniri nequiret. De Christo Salvatore sacrum narcat Evangelium, quod, cum cruci affixus esset, astantes Judaei eum ad descendendum de cruce invitarent: *descendat nunc de cruce*; descendisset quidem Christus, si voluisset; tanto crucem prosequeretur amore, ut ab ea descendere rennerit, et in ea pro hominum salute mori voluerit. Simili erga crucem arat amore S. Andreas apostolus; populum enim ipsum a cruce eripere volentem, rogavit *enixe*, ut eum inter amatae suae brachia mori sinerent, nec perinde stetit populus; verum clamore importuno Egeam proconsulem compulsi, ut innocentem Andream de cruce deponi juberet: annuit Egeas, jussitque sanctum hunc apostolum de cruce tolli; at ipse a cruce, quam ardentem amabat, separari nolens, Deum instanter rogavit, ne ipsum a cruce solvi sineret: *tu me Christe suscipe, neque famulum tuum propter te in cruce pendentem solvi permitte*. O ardentissimum et constantissimum erga crucem sanctissimi hujus apostoli amorem! Hic enim non solum crucem absentem summo affectu desideravit, non solum ad illum praesentiam letabundus exultavit, eam etiam ardentissime adamavit. Hi sunt sacri et mirabiles cordis S. Andreae motus erga crucem, quibus quidem motibus quisque cieri deberet. O utinam cum sanctissimo illo apostolo crucem optarent omnes! utinam crucem suam cuncti cum gaudio tollerent! utinam omnes cum Andrea crucem diligerent, eamque summo affectu amplecterentur! neque enim Andream crucis amatorem digno prosequitur obsequio, qui crucis amore cum ipso non aestuat: *merito crucis amatorem venerantur, qui sunt servi crucis*. O christiane! vis Andreae placere? vis illi de-

bitum et gratum cultum exhibere? crucem dilige, crucem cum illo amplectere. Crucem non amat, qui carnis et mundi voluptatibus indulget; e contra crucem amat, qui austeram et crucifixam sectatur vitam: *si crucem amarent, vitam crucifixam agerent*. O christiane, ita crucem diligas, ut vitae penitenti et austerae insistas. Scimus Deum a quolibet fideli non exigere, quod crucem tam duram, tamque acerbam ac S. Andreas, portare pertentet; vult tamen, quod quilibet sit fidelis crucis amator, et quod Andream crucis amatorem saltem in aliquo imitetur; vult Deus, ut ait sanctus Bernardus, quod *inveniamur vel in exiguo communicantes passioni ejus*. Crucem Andreas bonam vocabat: *o bona cruz!* Heu si sciremus, quam bona, quam utilis, quam pretiosa sit cruz, nullus quidem pro Christo pati refugeret; potius omnes crucem et quascunque tribulationes portare ambirent. Memento, et passim recogitare, quod bonum et utilissimum est pro Christo pati; crucis nostrae bonae sunt: *o bona cruz!* Leves, transitoriae, momentaneae sunt omnes tribulationes, quibus vexamur; transeunt quaevis adversitates, quibus contentimur; haec vero transitoria, volatiles et momentaneae crucis, bonae et optima sunt, quia immensam, stabilem et perpetuam parunt beatitudinem: *momentaneum et leve tribulationis nostrae, aeternum gloriae pondus operatur in nobis* (2 Cor. 4, 17). O christiane! unicum da momentum Deo, unico momento pro illius gloria crucem porta et aeterna ab ipso gloria in caelo praeambabis. Amen.

CONCIO SECUNDA.

Christo confixus sum cruci (Ad Gal. 2, 19).

Primi et antiquioris Christi discipuli, primique legis novae christiani solemnitas hodie celebratur; quam si pia sollicitudine perscrutemur et si sanctissimi hujus viri, cujus festum diem colimus, gesta sedulo perecontemur, multa haud dubie inve-

niemus, quæ omnium fidelium animas supra modum edificare valeant. Andreas siquidem in ipso suæ conversionis exordio, Christo vocanti humiliter paruit, terrena cuncta despexit, sequè totum Deo consecravit. In vitæ suæ progressu, sen cum apostolico functus est munere, magna patientiæ, humilitatis, mortificationis, zeli salutis animarum, aliarumque virtutum exempla elidit. Nemum in vitæ termino crucem, tamquam in præminentissimum gloriæ suæ theatrum ascendit, in ea gloriæ suam collocavit, eique, ad instar Christi, alligari concepit: *Christo confixus sum cruci*. Andream piscantem, retia resistentem, omnia relinquentem, Christo obtemperantem vel varias orbis terrarum provincias peragrante spectare, mei nunc non est propositi: cum solummodo supra crucem, in qua passus et mortuus est, contemplari intendo. *Ace.*

Cruz Christo fuit cathedra, altare et thronus. Cruz ei fuit cathedra, in qua verbis et exemplis humilitatem, patientiam, benignitatem, charitatem, aliasque virtutes prædicavit: *cruz Christi morientis fuit cathedra magistri docentis* (Ang. tra. 119 in Jo.). Cruz ei etiam fuit altare, in quo pro hominum redemptione se voluntarie Patri æterno in holocaustum obtulit: *Oblatus est, quia ipse voluit* (Isa. 53, 7). Cruz tandem Christo thronus gloriæ extitit, quia per tormenta, que passus est, a Patre æterno exaltari et glorificari meruit: *factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod et Deus exaltavit illum* (ad Philip. 2). Christus in hunc mundum venerat, ut Doctoris, sacerdotis et regis fungeretur officio; cruz autem fuit cathedra hujus Doctoris, altare hujus sacerdotis, thronus illius principis. A Christo nunc ad Andream transeo, a magistro ad discipulum propero, et dico, quod Andree, sicut et Christo, cruz fuit cathedra, altare et thronus. Cruz fuit cathedra, in qua populus docuit: altare, in quo se Deo in sacrificium obtulit; thronus, in quo maxime exaltatus et sublimatus fuit. Cruz igitur sancto Andree fuit 1. cathedra sui apostolatus; 2. altare sui sacrificii; 3. thronus suæ gloriæ.

I PARS.

Cruz S. Andree fuit cathedra sui apostolatus.

Præcipuum apostolorum officium fuit prædicatio verbi Dei: *euntes in mundum unicum, prædicare Evangelium omni creature* (Marc. 16). Sanctissimo quidem huic muneri omnes summo studio incubere apostoli et præcipue S. Andreas, qui, ut refert sanctus Vincentius Ferrerius, post acceptam a Deo missionem, *Jerosolimam, Galileam, Samariam, Achajam*, aliasque nonnullas regiones ferventibus suis prædicationibus illustravit; ac tandem in crucem ascendit, tamquam in eminentissimam sui apostolatus cathedram, in qua gravi cum labore, ardenti cum spiritus fervore, magna animi constantia, magnoque cum animarum fructu populus prædicavit. In prædicationis exercitio multus labor, pluresque difficultates occurrere solent: *pascere oves pabulo prædicationis, sicut est officium magnæ dignitatis et pietatis, sic grandis in eo difficultas invenitur* (Jo. Gerson). Heu! si cunctis concionatoribus grave sit munus sui exercitium, quantus labor, quantaque fuit difficultas sancto Andree cruci alligato, injuriis læcasso, doloribus oppresso et inter ipsas mortis angustias degenti, tale munus exercere? illud tamen munus tunc solerter obiit, prædicatoris officio ipse moriens tanta cum sollicitudine incubuit, ut toto biduo adstanti populo prædicare non destiterit: *cruci affixus est, in qua pendens et Christi fidem prædicare nunquam intermitterens, ad Deum migravit*. *Ægeas* corpus Andree cruci alligaverat, ejus autem linguam non ligaverat; verbum Dei in zelantissimo hoc apostolo non erat alligatum; Docteur erat, cujus corpus cruci vinciebatur, ejus vero doctrina vinciri et ligari nequibat. *Doctorem si vinceris, doctrinam vincere non vales; lingua, non manu scribitur verbum, quod nullis subjacet vinculis.* (S. Crysost.). Adversus Andream clamabat *Ægeas*, illi crudelem minabatur mortem, eique silere imperabat; nec tamen peraximii

illius predicatoris lingua et doctrina ligari potuit; in cruce tamquam in apostolatus sui cathedra, per duos dies continuos, magno cum spiritu fervore, populis predicavit: *interim ipse predicabat, et sic vivit duobus diebus*. Crux, cui alligatus est Christus, fuit cathedra, in qua efficacissimam habuit concionem, quam ad extremam usque vite terminum protraxit; eo ipso enim, quo suas finem fecit concioni, dicens: *consummatus est, ipse inclinato capite emisit spiritum*. O mirabile et divinum concionem, qui tunc solum cessat predicare, cum vivere desinit! Possent inveniri aliqui ei simili? Occurreret, qui eum imitetur? Unus nobis sese offert Andreas, qui in cruce simul cum Christo predicavit, et qui concionem suam usque ad extremum vite sue terminum protelavit. Andreas *crucifixus crucifixam predicabat*, inquit S. Chrysostomus; atque Christum crucifixum Andreas crucifixus predicare non destitit, donec animam emisit. De S. Hieronymo, acerrimo haereticorum impugnatore fertur, quod non solum fortissimis et solidissimis eos rationibus, verum et mordacibus illos verbis insectaretur; cum autem ipsi minus eum terrore pertentarent, respondit strenuus hic Christi athleta, quod etsi ipsi linguam praescinderent, adhuc praecisa lingua adversus eos balbutiendo clamarat: *licet hydra sibilet, victorque Simon incendia faciet, nunquam meum, juvante Christo, silebit eloquium; etiam praecisa lingua balbutiet* (praef. in Esdr.). Eodem prorsus modo, S. Andreas cruci alligatus Christum crucifixum populo predicabat, et licet *Egeas ei* minas intenteret, eumque variis modis a predicatione arceare conaretur, zelantissimus tamen ille Christi apostolus, lingua jam inanima et quasi vite experte, adstantibus balbutiendo praedicat, nec concionari cessavit, donec animam efflavit. Cognoscitur, quanta virtutis et efficaciae sint verba predicatorum, per fructus uberes quos faciunt, seu per animas errantes, quas in viam salutis adducunt: *manifestatur virtus praedicantium, ubi surgit seges animarum* (S. Greg. lib. 6 in regist.). Andreas autem in cruce praedicans, unus exiit ex his concionatoribus, qui potentes sunt opere et sermone; innumeri enim ex ejus auditoribus a via sua pessima conversi

clamare coeperunt: *Innocens ejus sanguis sine causa damnatur*. Non fuit Andreas ex his concionatoribus, qui, Deo ita disponente, post multos exantlatis labores, ne minimum quidem concionum suarum fructum sensibiliter agnoscerent; ipse enim fructuosius laboravit, dum unica concione, quam in cruce habuit, gloriosum viginti duorum millium fidelium semen Christo protulit. D. Augustinus ait, *quod unusquisque Evangelii predicator ita debet in Ecclesia laborare, ut defuncto fratri, hoc est Christo, suscitet semen*: sanctus autem Andreas ferventibus suis predicationibus in Scythia, in Judaea et aliis pluribus locis gloriosum fratri et Domino suo Christo semen suscitaverat, seu innumeros ad veram ejus fidem infideles converterat; tandem, antequam exiret de hoc mundo, in crucem, velut in cathedram magistralem ascendit, in qua tanta virtute, tantaque efficacia concionatus est, ut viginti duo hominum millia ad Christi fidem converterit. O predicatorum angelis et hominibus mirabilem! quis audivit unquam tale, aut quis vidit huic simile? Andreas cruci alligatus, in tenebris et quasi in umbra mortis sedens, predicare non cessat; mortis dolores patitur et concionatur, animam exhalat et verbum Dei disseminat, vita cadit, et vitam spiritualem pluribus communicat! O mirandum animarum pastorem! cui optime congruunt verba S. Augustini de S. Cypriano dicentis: *vicina corporis morte, non moriebatur in animo pastoris vigilantia pastoralis, et cura tuendi gregis. Non exercebat ab animo diligentiam fidelissimi dispensatoris manus cruenti carnificis. Ita se martyrem cogitabat, ut esse non oblivisceretur episcopum*. Sanctus enim Andreas inter tortorum manus, et in mediis suppliciiis existens non oblivisceratur se esse apostolum et animarum Pastorem; meminerat commissi sibi gregis; recordabatur, quod sibi, sicut et aliis apostolis, dictum fuerat: *attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo* (Act. 20, 28). Propterea summo accensus zelo, usque ad ultimum vite exitum ardentissime, studiosissime et efficacissime predicavit. Heu! quot modo habentur concionatores, qui non solum coram

Aggea, seu coram tyrannis, vortum et coram populis verba veritatis proferre, et vitia objurgare erubescunt. Hi sunt *canes muti non valentes latrare* (Isaia 55, 10). Jamvero vix hujusmodi concionatoribus et præcipue si animarum saluti ex officio iis invigilare incumbat: *dispensatio est nobis celestia seminis injuncta, vix si non sparserimus* (in Decret. l. p. dist. 43), inquitbat summus Pontifex Nicolaus, ut refertur in s. Canone: non ergo taceant predicatorum, cum impii et impietates eorum sunt redarguenda; clamant indesinenter et valde exaltant vocem suam, magnoque cum zelo populis prædicant ad instar S. Andreae, qui in cruce, ut in sui apostolatus cathedra, usque ad mortem prædicavit: *atque in ea sui ipsius sacrificium obtulit.*

II PARS.

Cruz S. Andreae: fuit altare sui sacrificii.

Deus, qui dominatur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum, in testimonium supremi sui in homines dominii, ab iis omni tempore sacrificia sibi offerri postulavit: *perpetuo Deus sacrificium, non quasi indigeat, querit* (l. Basil. ep. 87, ad Simplic.). Tempore legis naturæ ipsi terræ fruges offerebantur; tempore legis mosaicæ pecora immolabantur; et tempore legis gratiæ non fructus et bruta, nosmetipsos ipsi offerri et sacrificari postulavit. Verum est, quod, quemadmodum totum quod homo est, potest et habet, a Deo omnipotente accepit, sic totum quod est, quod potest, quod habet, Deo rependat et offerat necesse est; verum nihil Deo gratius offerre potest homo, quam seipsum; hæc est victima omnium plane gratissima: *quiquid præter teipsum das, nihil curo ait Christus, quia non quero datum tuum, sed te. Sicut non sufficeret tibi, omnibus habitis præter me, ita nec mihi placere poterit, quidquid dederis, te non oblato* (De imit. Chr. 4, 8). Hujusmodi autem sui ipsius sacrificium omnes sancti

Deo obtulerunt; S. Andreas autem modo quodam mirabiliori, seipsum Deo in crucis altari sacrificavit; de illo enim sancta canit Ecclesia, quod *homo Dei ducebatur ad sacrificandum*: quo ducebatur Andreas, ut summ offerret sacrificium? ad crucis patibulum: hoc erat altare, in quo sacrificaturus erat. Quæ erat victima, ad quam in crucis altari sacrificandam ducebatur? ipse erat hæc victima: non enim tauros, vitulos, boves, vel oves fetas, sed seipsum Deo sacrificavit; ipse namque ascendit in crucem, ut esset simul sacerdos et victima: fuit quidem sacerdos, quia Deo gratum obtulit sacrificium; fuit etiam victima, quia seipsum in crucis altari Deo in sacrificium obtulit, et pro illius gloria immolari voluit. Christus Dominus in hunc mundum veniens novit, quod vetera illa bonum, et aliorum pecorum sacrificia suo non placerent Patri; ideo ab illis abstinens, ut ei gratum et placabile offerret sacrificium, seipsum in holocaustum obtulit; sic enim æternum Patrem alloquitur: *hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi; holocaustomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: ecce venio, ut scilicet corpus illud, quod dedisti mihi, et me totum tibi in sacrificium offeram. Et revera tale sui ipsius sacrificium in primo sue incarnationis momento initiavit Christus, illudque consummavit in ara crucis, in qua pro totius mundi sanctificatione et salute sanguinolentum sui ipsius sacrificium obtulit: sanctificasti sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel* (Heb. 10, 10). O quantum fuit hoc sacrificium! O quam grata extitit hæc victima! heu! quis mirabile hoc sacrificium imitari valebit? Andreas quidem, qui non terræ fructus, non pecora, non exteræ victimas, sed semetipsum Deo in sacrificium obtulit. Audite miranda istius sacrificii verba, qui a longe crucem videns clamavit: *suscipe me, o bona cruz, et redde me magistro meo*; quasi diceret: o bona cruz sis, queso, sacrificii mei altare, in quo totus Deo meo immoler, totusque in ejus gloriam sacrificer. Ex D. Augustino in omni sacrificio attendendum est, cui offeratur, quid offeratur, et a quo offeratur. Attendendum cui offeratur; quia sacrificia sunt cultus, non hominibus, vel angelis, sed soli

supremo Numini debiti: *sacrificium certe nullus hominum est, qui audeat dicere deberi, nisi Deo soli* (de Civ. D. 10, 4). Videndum *quid offeratur*: in nova enim lege non tam nostra, quam nos ipsos Deo offerre debemus: *placere non poterit quidquid dederis, te non oblato*. Videndum *a quo offeratur*: sacrificia enim ab iniquis et peccatoribus oblata Deo, cujus infinita est puritas et sanctitas, placere nequeunt; hujusmodi hominum oblationes sunt Deo abominabiles: *sacrificia reprobantur oblationum, nisi purus et sanctus fuerit animus offerentis*. Hæc autem tria in suo sacrificio perfectissime servavit S. Andreas: illud enim non creaturis obtulit, verum Deo, seu Christo Domino, cujus divinitatem negabat Aegæas. In suo etiam sacrificio non pecuniam, non pecora, sed semetipsum Deo consecravit. Tale tandem sacrificium oblatum fuit non per hominem peccatorem, sed per ipsum Andream, qui ab omnibus agnoscēbatur, ut homo justus et sanctus: *in interficiis hominem justum, Deo charum*. Igitur juxta Augustini leges perfectissimum extitit S. Andree sacrificium. Aliam nihilominus in S. Andree sacrificio animadverto circumstantiam, a qua maxime commendatur, ardentem scilicet charitatem, qua succensus, illud obtulit. Deus non tam respicit ad munera, seu ad res quas ipsi offeruntur, quam ad offerentis cor; non tam attendit, quanti valoris sit res oblata, quam ex quanto cordis ardore et ex quanta charitate ipsi offeratur: *cor et non substantiam pensat Deus; non perpendit quantum in ejus sacrificio, sed ex quanto offeratur* (S. Bonav. serm. 2 Dom. 5 post. Pent.). In lege veteri holocausta, que Deo sacrificabantur, igne elementari comburebantur, et in nove legis sacrificiis quidquid Deo offertur igne charitatis succendi debet: *Hoc solum Deus sacrificium accipit, quod flamma charitatis incendit* (S. Greg. ho. 35 in Evang.). Demiremur nunc S. Andree sacrificium, qui seipsum in crucis altari ardentissimo cum Dei amore immolavit. Dum seipsum offerebat, interioris flamma charitatis cor ejus incendebat; unde D. Bernardus ait, quod S. Andree in cruce se sacrificantis verba erant scintille, que ab interiori charitatis ejus incendio procedebant: *quales, in-*

quit, *scintille sunt iste, aut a quanto incendio micant?* Idem Bernardus ait, quod cor Andree in cruce sacrificantis ardebat amore, et quod in eo erant carbones accensi, quos Christus insufflaverat: *carbones sunt ignis illius, quem de excelso Christus miserat in ossibus ejus*. O quam ardens, quantaque charitate accensus fuit S. Andree sacrificium! O christiane! memento, quod a Deo factus es sacerdos: *fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes* (Apoc. 5, 10). Sacerdos es, ut teipsum, non tauros et vitulos Deo offeras: *non pecora, non vitulos, sed te totum Deo offeras sacrificium* (Chrys. ho. 32 in Joan.). Exigit a te Deus, ut ipsi offeras sacrificium non quodcumque volueris, sed sacrificium justitiæ: *sacrificato sacrificium justitiæ* (Ps. 4). Accipisti ab eo intellectum? justum est, ut eum illi sacrifices, captivando illum omnibus fidei mysteriis a Christo revelati: *in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi* (2 Cor. 10, 5). Ab illo habes voluntatem tuam? justum est, quod eam illi sacrifices, omnibus ejus mandatis obtemperando; *melior est obedientia quam victimæ* (1 Reg. 15, 22). Corpus dedit tibi Deus? æquum est, ut illud ei sacrifices, jejuniis, vigiliis, aliisque penitentiae operibus illud mactando: *exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem* (Rom. 12). Justum est tandem, quod te totum Deo offeras; hoc est sacrificium justitiæ debitum: *sacrificate sacrificium justitiæ*. Jamvero hæc! quot diis alienis non Deo suo sacrificant! alii Veneri, alii Plutoni, alii Asmodeo suo offerunt sacrificia; iniqua quidem sunt et injusta hæc sacrificia, a quibus abstinere debetis, ut vos totos summo cum charitatis ardore Deo sacrificetis ad instar S. Andree, cui crux fuit altare sui sacrificii, et thronus suæ gloriæ.

III PARS.

Cruz S. Andreae fuit thronus suae gloriae.

Tyrannis illudunt martyres apud Tertullianum, dicentes, quod supplicia et opprobria quae patiuntur, ipsis evadant gloriosa: *crudelitas vestra nostra gloria est.* Id potissimum exprobrare poterat S. Andreas tyranno Aegese; iste quidem crucem paraverat, ut Andreae esset instrumentum mortis et infamiae titulus; ast revera crux ei honoris et gloriae thronus extitit, tum quia dum penderet in cruce ab astantibus plurimum honorabatur: tum quia propter mortem crucis, quam passus est, universa eum veneratur Ecclesia; tum quia propter tormenta quae in cruce pertulit, a Deo gloriose praemiatus et coronatus fuit. Aegese cruci, quae erat praedonum supplicium, Andream afficit, ut ejus gloriam obteneret, eumque gravi infamiae nota inureret. Egere patiebatur scelestus ille tyrannus, quod Andreas diis gentium illudendo, idola subvertendo, Christumque praedicando, honorem magnum magnamque sibi apud populos venerationem conciliaret; ideoque non solum in penam, etiam in ignominiam; non solum ut eum puniret, etiam ut ejus famam denigraret, ad probrosam et infamem crucis mortem eum damnavit. Attamen tantum abest, quod iniqui hujus tyranni maligna adimpleta fuerint vota, quodque Andream cruci affixum adstantis populus contempserit, quin e contra Andreas in cruce velut in throno gloriae suae existens a circumstantibus populis fuit honoratus; astantes enim, Andream venerantes, clamabant eum esse *hominem pium, hominem sanctum, hominem justum.* Aegese Andream ad crucem damnaverat, ut suaderet populis, eum haud dubie esse impium, qui ad tam immane et vile mortis genus damnabatur; ac populus non eum impium esse censebat, imo vero illum ut hominem piissimum venerabatur: *ne interficias hominem pium, hominem justum.* O admirabilem Dei providentiam, quae res ita disposuit,

ut inde gloriam traxerit Andreas, unde ejus ignominiam sibi proponebat Aegese! *Quae est ista rerum et quam stupenda diversitas: unum et idem poenae secum causam portat et gloriae?* (Euseb. Em. ser. de S. Rom.). Stupendum quidem est et portentosum, quod crux, cui alligatus fuit Andreas, ei instrumentum poenae et causa gloriae simul extiterit; poenam passus est in cruce, et gloriam adeptus est in cruce; in eadem cruce simul patiebatur et honorabatur; inclutus ille martyr in cruce ab Aegese puniebatur, et itidem a circumstantibus honore afficiebatur; crux sui instrumentum supplicii, suaeque gloriae thronus simul existebat. Divus Paulus suam omnem gloriam in cruce constituit: *michi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi* (Gal. 6, 4). Quae verba expendens divus Anselmus ait, quod nec in sapientia, nec in potestate, nec in majestate Jesu Christi gloriabatur apostolus, sed in cruce: *michi absit gloriari in potentia Christi, vel in majestate, seu in potestate, sed in cruce.* Quid? an nefas est Paulo gloriari in sapientia Christi, qua illustratus, Doctor gentium est constitutus? aut in potentia, qua confortatus tot miracula edidit; aut in majestate, qua sublimatus, a magnatibus et mundi sapientibus fuit honoratus? absit, longe sit a me, inquit Apostolus, in istis gloriari; major mea gloria est pro Christo cruci alligari, crucisque ignominiam pati. *Nihil sibi gloriosus putat, quam Christi portare opprobrium* (S. Bern. ser. 25 in Cant.). O Paule! ut quid tam de cruce gloriaris? de cruce et in cruce gloriatur, quia nihil homini christiano gloriosius quam crucis dominicae contumelia; nulla major ratio gloriandi quam pro Christi amore pati et crucem portare: *gloriatio gloriationum est crux.* Quod quidem verissimum esse comprobatur in D. Andrea, cui crux eminentissimum gloriae et honoris thronus extitit: si enim in regum purpura, vel inter saeculi divitias et delicias mortuus esset Andreas, jam de illo forte nec audiretur quidquam apud homines et oblivioni traditus esset tanquam mortuus a corde; quia vero in cruce pro Christo valenter mortem obiit, Ecclesia solemne in ejus honorem festum instituit; coram ejus reliquiis genua

flectunt reges et principes; ejus merita toto celebrantur orbe, illum cuncti venerantur fideles, et ut loquitur sanctus Bernardus: *crucis amatorem venerantur, quicumque sunt servi crucis*. Crux tandem est ei gloriatio gloriatorum et gloriæ thronus: *gloriatio gloriatorum est crux*. Christus Dominus morti proximus clarificari et glorificari postulavit a Patre: *Pater, venit hora, clarifica filium tuum* (Joan. 17). Quomodo tunc Pater æternus Filium clarificavit? eum clarificavit, cum cruci affigi permisit: *clarificat Patrem Filium; quomodo? suffigitur cruci* (S. Hil. 1. 3. de Trin.). Cum maledicitur, conspuitur, alapis percutitur et in cruce moritur Christus, maxima hæc est ejus gloria, tum quia per mortem crucis gloria et honore decoratus fuit in hoc mundo; tum quia per crucis mortem, quam passus est, gloriam immensam et coronam immarcescibilem sui comparavit in cælo: *videmus Jesum propter passionem mortis gloria et honore coronatum* (Heb. 2, 9). Tisdem autem forme titulus erux sancto Andrea thronus gloriæ extitit; propter passionem ejus crucis multo honore affectus est in terra et gloriosam assectus est coronam in cælo; unde, ut ait S. Bernardus, Andreas populum eum a crucis morte liberare volentem prohibuit, timens ne crucis gloriam et coronam in cælo sibi preparatam perderet: *prohibuit eos, ne non coronaretur* (ser. 1 S. And.). O quam gloriosa sancto Andrea crux extitit, in qua stans a circumstantibus fuit honoratus, qua meruit, ut eum Ecclesia religiosissime veneraretur, et per quam in cælum ascendere et in eo gloriöse coronari valuit! crux ipsi vere thronus gloriæ extitit. O utinam non in divitiis, aut mundi dignitatibus, sed in Christi cruce nostram inquireremus gloriam! utinam crucem viriliter portaremus, omneque mortificationum genus sectaremur, ut coronam gloriæ adipisci mereremur! pro Christo constanter patiamur cum Andrea, ut cum ipso æternæ beatitudinis coronam consequamur. Imitamini Andream, si glorificari cupitis cum Andrea. Si tanta, quæ passus est, supplicia vos terreant, saltem in aliquo pœnarum ejus efficiamini participes; si crucis patibulum ascendere non valeatis, cum ipso saltem jejunate, injurias inimicis condonate, et propter Jesu crucifixi amorem

alicui mentis, vel corporis mortificationi insistite: *inveniamur vel in exiguo communicantes passioni ejus*. Diceas forte, quod Andreas erat apostolus, quodque tuæ potestatis non est, id omne peragere, quod perfecere Apostoli, qui Christi amici fuere, gratiisque abundantioribus irrorari meruere. Jamvero si non in omnibus, saltem in aliquo imitare Andream; vel, ut monet sanctus Bernardus, si quod fecit Andreas, facere non valeas, fac bona, quæ a multis consodalibus et amicis tuis fieri vides. *Si dicis, Andream apostolum esse, nec posse te, qui pusillus es, ejus sequi vestigia: pudeat vel eos qui tecum sunt, non imitari* (ser. 1 S. And.). Vides multos ex amicis, aut ex contributibus tuis, qui orationi vacant, jejuniis corpora sua exsiccant, terrena omnia despiciunt, omnique mortificationem generi insistent; *pudeat eos non imitari*. Tales saltem imitari conemini, ut æternam beatitudinem consequi valeatis. Amen.

DE SANCTO FRANCISCO XAVERIO

CONCIO PRIMA.

Abandectis in omne opus bonum (2 Cor. 19, 8).

Talis morum est corruptio, tantaque hominum perversitas, ut quamplurimi malis, paucissimi vero bonis operibus incumbant, tot sunt, qui se peccati coinquant, tot qui iniquis vacant operibus, ut omnia pene vitia mundum inundare asserat Oseas Propheta: *maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt*; tam paucos etiam reperire est, qui bonis se dedant operibus, ut ne unum quidem agnoscat Vates regius, qui bonorum operum exercitio indulgeat: *non est qui faciat bonum, non est usque ad unum* (Ps. 13, 2). Omne hominum genus lustrare, ut qui bonis et qui malis va-

flectunt reges et principes; ejus merita toto celebrantur orbe, illum cuncti venerantur fideles, et ut loquitur sanctus Bernardus: *crucis amatorem venerantur, quicumque sunt servi crucis*. Crux tandem est ei gloriatio gloriatorum et gloriæ thronus: *gloriatio gloriatorum est crux*. Christus Dominus morti proximus clarificari et glorificari postulavit a Patre: *Pater, venit hora, clarifica filium tuum* (Joan. 17). Quomodo tunc Pater æternus Filium clarificavit? eum clarificavit, cum cruci affigi permisit: *clarificat Patrem Filium; quomodo? suffigitur cruci* (S. Hil. 1. 3. de Trin.). Cum maledicitur, conspuitur, alapis percutitur et in cruce moritur Christus, maxima hæc est ejus gloria, tum quia per mortem crucis gloria et honore decoratus fuit in hoc mundo; tum quia per crucis mortem, quam passus est, gloriam immensam et coronam immarcescibilem sui comparavit in cælo: *videmus Jesum propter passionem mortis gloria et honore coronatum* (Heb. 2, 9). Tisdem autem forme titulus erux sancto Andrea thronus gloriæ extitit; propter passionem ejus crucis multo honore affectus est in terra et gloriosam assectus est coronam in cælo; unde, ut ait S. Bernardus, Andreas populum eum a crucis morte liberare volentem prohibuit, timens ne crucis gloriam et coronam in cælo sibi preparatam perderet: *prohibuit eos, ne non coronaretur* (ser. 1 S. And.). O quam gloriosa sancto Andrea crux extitit, in qua stans a circumstantibus fuit honoratus, qua meruit, ut eum Ecclesia religiosissime veneraretur, et per quam in cælum ascendere et in eo gloriose coronari valuit! crux ipsi vere thronus gloriæ extitit. O utinam non in divitiis, aut mundi dignitatibus, sed in Christi cruce nostram inquireremus gloriam! utinam crucem viriliter portaremus, omneque mortificationum genus sectaremur, ut coronam gloriæ adipisci mereremur! pro Christo constanter patiamur cum Andrea, ut cum ipso æternæ beatitudinis coronam consequamur. Imitamini Andream, si glorificari cupitis cum Andrea. Si tanta, quæ passus est, supplicia vos terreant, saltem in aliquo pœnarum ejus efficiamini participes; si crucis patibulum ascendere non valeatis, cum ipso saltem jejunate, injurias inimicis condonate, et propter Jesu crucifixi amorem

alicui mentis, vel corporis mortificationi insistite: *inveniamur vel in exiguo communicantes passioni ejus*. Diceas forte, quod Andreas erat apostolus, quodque tuæ potestatis non est, id omne peragere, quod perfecere Apostoli, qui Christi amici fuere, gratissime abundantioribus irrorari meruere. Jamvero si non in omnibus, saltem in aliquo imitare Andream; vel, ut monet sanctus Bernardus, si quod fecit Andreas, facere non valeas, fac bona, quæ a multis consodalibus et amicis tuis fieri vides. *Si dicis, Andream apostolum esse, nec posse te, qui pusillus es, ejus sequi vestigia: pudeat vel eos qui tecum sunt, non imitari* (ser. 1 S. And.). Vides multos ex amicis, aut ex contributibus tuis, qui orationi vacant, jejuniis corpora sua exsiccant, terrena omnia despiciunt, omnique mortificationem generi insistent; *pudeat eos non imitari*. Tales saltem imitari conemini, ut æternam beatitudinem consequi valeatis. Amen.

DE SANCTO FRANCISCO XAVERIO

CONCIO PRIMA.

Abandectis in omne opus bonum (2 Cor. 19, 8).

Talis morum est corruptio, tantaque hominum perversitas, ut quamplurimi malis, paucissimi vero bonis operibus incumbant, tot sunt, qui se peccati coinquant, tot qui iniquis vacant operibus, ut omnia pene vitia mundum inundare asserat Oseas Propheta: *maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt*; tam paucos etiam reperire est, qui bonis se dedant operibus, ut ne unum quidem agnoscat Vates regius, qui bonorum operum exercitio indulgeat: *non est qui faciat bonum, non est usque ad unum* (Ps. 13, 2). Omne hominum genus lustrare, ut qui bonis et qui malis va-

cent operibus inquiram, mei jam non est muneris; unicum duntaxat intueor Xaverium, qui quidem non solum a malis abstinuit, verum, S. Pauli monitis obtemperans, humilitatis, patientiæ, charitatis, aliarumque virtutum operibus abundavit; *abundetis in omne opus bonum*. Natus est vir ille incomparabilis in Navarra regno, a parentibus nobilitate fulgentibus, qui eum studiorum causa Parisios miserunt, ubi a sancto Ignatio ad mundi contemptum, voluptatum abnegationem, divitiarum abdicationem, et omnis virtutis amorem vocatus et allectus, ita sub tanti magistri disciplina profecit, ut perfectionis studio se totum dederit, totoque deinceps vitæ suæ tempore altissima pietatis et perfectissimæ sanctitatis operibus incubuerit. Contemplerur et demiremur pia et portentosa opera, quibus zelantissimus et perfectissimus ille vir abundavit. *Ave*.

Sanctus Franciscus Xaverius fuit sancti Ignatii filius, sanctæ Sedis legatus, et Indiarum apostolus: *fuit spiritualis Sancti Ignatii filius*; opus enim consiliis pioque eius regimini Parisiis se commisit: *fuit sanctæ Sedis legatus*; a summo enim Pontifice Paulo III legati apostolici honore insignitus est: *fuit tandem Indiarum apostolus*; in Indiis enim tot prodigia totque conversiones operatus est, ut harum regionum apostolus dici et esse mererit: *Orientalium Indiarum apostolus a toto orbe christiano appellatus*. Hic B. Ignatii filii sanctissima peregit opera, quæ ad patris sui honorem, societatisque decus redundarunt. Hic sanctæ Sedis legatus mirabilia multa fecit opera, quæ ad fidelium utilitatem, et Ecclesiæ incrementum profuerunt. Hic tandem Indiarum apostolus, innumera et portentosa complevit opera, quæ ad Dei gloriam, religionisque argumentum cesserunt. Hæc omnia sanctissimi huius viri opera examinavi, consideravi et demiratus sum; spero, quod et ea admirabuntur quicumque illa serio perpendent et attente meditabuntur; ut autem civis clare et perfecte innolescant, enarrabimus singillatim opera quæ sanctus Xaverius fecit ut S. Ignatii filius, ut sanctæ Sedis legatus, et ut Indiarum apostolus. Videbimus 1^o opera quæ fecit hic S. Ignatii filius, antequam legati fungeretur officio; 2^o opera, quæ fecit

hic legatus, antequam apostoli gauderet titulo; 3^o opera quæ fecit hic Indiarum apostolus, antequam exiret de hoc mundo. Ex his quisque facile perspiciet, sanctum Xaverium in omne opus bonum abundasse: *abundetis in omne opus bonum*.

I PARS.

*Bona opera, quæ perfecit S. Xaverius
uti S. Ignatii filius.*

Sanctus Franciscus Xaverius in ipso vitæ spiritualis tyrocinio, et antequam legatum ageret, ardua multa altissime perfectionis opera edidit; quæ quidem omnia fuerunt mirabilia, ea potissimum, quæ complevit 1^o in mortificationis exercitio; 2^o in egrotorum obsequio; 3^o in sacerdotali ministerio.

1. Certum est, quod hostis truculentus est caro, et quod corpus nostrum est implacabilior et perniciosior animæ et perfectionis nostræ inimicus: *nemo gravior domestico adversario* (Aubr. in Ps. 43); propterea contra infensissimum hunc hostem gravibus mortificationibus est decertandum: *luctandum est igitur adversus hujus carnis illecebras*. Hanc luctam valenter suscepit Xaverius; ut primam enim spiritualis militiæ sub sapientissimo patre Ignatio nomen dedit, crudele corpori suo indixit bellum, illudque tot attrivit mortificationibus, ut in hoc genere præclarissimos quosque poenitentes superaverit. Villissimis cibis hostem illum parcissime nutrebat, assiduis et aretis jejuniis illum debilitabat; omni fere carnis, panis, vini et somni usum illum privabat, necnon acerbis flagellationibus ita illum cruentabat, ut sæpe copioso sanguine diffleret. De illusterrimo illo poenitente plerumque narratur, quod adinvento novo mortificationis genere, nodosis funibus ita tibias suas strinxerit, ut nodi, dissecta pelle, cum carne se intexuerint: et quasi nudarint. De sancto pontifice Martino refert D. Paulinus, quod tam recte dire stringeretur cilicio, ut ipse Martinus contextus sacco, aut saccus ipsi Martino contextus vide-

retur: *quin et contextus setis cooperitis amictu*. Non dissimiliter Xaverius ita corpus suum funibus strinxerat, ut funes carni contexti viderentur. Incomparabili huic penitenti parum erat jejuniis et flagellis corpus domare; illud insuper ita funibus constrinxit, ut vix incedere et dolores a tali mortificatione causatos tolerare valeret. Ecce hominem vere mirabilem in mortificationis exercitio; *videamus mirabilem in ægrotorum obsequio*.

2. Hoc est alterum bonorum operum genus, cui se addixit Xaverius; completo anim Parisiis S. Theologie curriculo, Venetias se contulit, ubi in xenodochio se totum infirmorum obsequio consecravit; iisque, omnia quæ potuit, charitatis officia impendit. Audierat vir ille piissimus Spiritum Sanctum intus dicentem, quod visitandi sunt infirmi: *non te pigeat visitare ægrotum, seu, ut explicat Tostatus, non te pigeat videre, et opem re ac verbis impendere ægrotanti*: ideo *re et verbis* ægrotantibus subvenit, cibos eis porrigendo, lectos versando, medicamenta adhibendo, vulnera alligando, de calamitate aliquid percontando, de patientia orationem habendo, aliaque multa charitatis officia eis exhibendo. Obsequia infirmis præstita ita Christo Domino placent, ut ea non secus ac sibi essent exhibita, largissimè compenset unde in tremendo iudicii die his, qui ægrotis inservierunt, tanquam sibi ipsi inservissent, dicit: *Infirmitas fui, et visitastis me* (Matt. 25, 36). Et ideo Doctor Seraphicus ait, quod Christus in xenodochiis et infirmariis invenitur, quia scilicet in quolibet infirmo infirmatur et representatur: *Christus in infirmitate jacet, ibi angustiat, ibi torquetur; curre et ipsi ministra, ipsi compatere infirmanti* (in *stim. dio. am.*). Mirabilis vir S. Franciscus Xaverius Christum inveniebat in oratione, ubi ejus familiari colloquio fruebatur; in sacre Eucharistie receptione, ubi sanctissimo ejus corpore saginabatur, et in cruce, ubi ei associabatur; insuper eum quæsit in infirmariis et xenodochiis; eum in persona infirmorum visitavit, illos consolando, dolores illorum leniendo, omniaque ardentioris charitatis officia eis impendendo, in tantum, ut manantem ex orrendo alicujus pauperis ulcer-

saniem semel atque iterum suxit. De B. Basilio narrat S. Gregorius Nazianzenus, quod xenodochium extra urbem Casaream exedificaverit, ubi infirmos frequens invisibat, et leprosoꝝ vulnera lubens osculabatur. *Ne labra quidem vir generosus, et generosis parentibus ortus, nominisque splendore clarissimus, ægrotis admoere gravabatur* (or. de laud. Basil.). At Sanctus Franciscus Xaverius, licet sanguine clarus et nobilitate sua illustris, non solum ægrotos et eorum vulnera osculabatur; horrenda etiam ulcera lingua lambebat, ore sugebat, et fluentem fœulentam saniem exhauriebat. Demirata est olim Senensis civitas suam S. Catharinam, quæ toto prius fœtido cujusdam pauperis ulcere, aquam, quæ huic charitatis muneri inservierat, tanquam liquorem exquisitum hauserat; non minus admirandus Xaverius, qui os ulcere horrendo admovit, et manentem inde saniem, veluti pretiosum et suavissimum liquorem suxit et exhausti. O qualia charitatis officia! o quam miranda hujus viri opera in ægrotorum obsequio! Et miranda pariter ejus opera in sacerdotali ministerio.

3. S. Franciscus Xaverius Venetiis Romanæ perrexit; et inde, visitatis prius sanctorum Petri et Pauli sepulchris, aliisque pietatis christianæ præstitis operibus, Venetias repetiit, ubi sacrum Presbyteratus ordinem ab hujus civitatis Archiepiscopo recepit, eoque characterè insignitus, omnia sancti sacerdotis munia perfectissime adimplevit; ipse etenim magno cum zelo in compitis et plateis prædicavit; ipse Sacramenta magno cum cordis affectu ministravit, et augustissimum Missæ sacrificium tanto cum spiritus fervore Deo obtulit, ut præmentis júbilo, prima die, quæ Altissimo sacrificavit, torrentem lacrymarum effuderit, et aliquoties deinde inter sacrificandum extra se raptus, a terra sursum elevatus visus sit. Augustissimum hoc sacrificium tam pie, tam attente, tam ferventer celebrabat, ac si, ut verbis utar Chrysostomi, *in ipsi coelis collocatus, inter celestes illas virtutes mediis staret*. Proprium et perfectissimum sacerdotum ministerium est, Deo sacrificium offerre; dicuntur namque sacerdotes, quasi sacra dantes, vel sacrificantes. Ut autem sacerdotes illo digne fungantur ministerio, magna

debet corporis puritate nitere; nam, ut ait S. Hieronymus, *sacerdotalis dignitas clamat puritatem*. Hi etiam debent per aetas fidei, amoris, desiderii, aliosque pios cordis affectus ad celebrandum tantum mysterium se præparare, quia ut monet Joannes Gersen, *non homini præparatur habitatio, sed Deo* (de imit. Chr. 4, 5). Debent tandem sacrificium magna cum reverentia et devotione Deo offerre. *Sacerdos factus est* inquit præfatus author, *vide, ut fideliter et devote Deo sacrificium offeras*. O quam pauci sacerdotes hæc corporis puritate nitent, hæc mentis præparationem adhibent, et cum hac reverentia et devotione Deo sacrificium offerunt! Jamvero S. Franciscus Xaverius tanta corporis puritate polluit, ut illibatam virginitatem semper servaverit; tantam adhibuit mentis præparationem, ut quadraginta dierum spatio sub tugurio latens, ad sacrum prima vica celebrandum se præparaverit; tanta denique reverentia et devotione hoc sacrificium offerre consuevit, ut interdum a nimio spiritus fervore in extasim rapereetur et sursum sublevaretur; eo devenit, ut in rerum contemplatione deficiat, e terra aliquando sublimis elevaretur, quod illi *sacriscenti coram populi multitudine aliquoties evenit* (Brev. Rom.). Ecce aliqua ex bonis operibus, quæ perfecit S. Xaverius, ut Sancti Ignatii filius, antequam legati fungeretur officio. Videamus modo bona opera, quibus abundavit ut *legatus, antequam apostoli titulo insigniretur*.

II PARS.

Bona opera, quæ fecit S. Xaverius ut legatus apostolicus.

Sanctus Franciscus Xaverius Venetiis Romanam rediit, quo vocatus est a S. Patre Ignatio, ut quoddam Societati Jesu initium daretur, utque ea in Religionis formam exigeretur; quod ubi peractum fuit, cum Lusitanie rex per suum procuratorem seu nuncium petisset a summo pontifice Paulo III aliquos hujus Societatis religiosos, qui ad Indias pro Indorum

conversione mitterentur, S. Franciscus Xaverius ad hoc munus obeundum, fuit destinatus, et legati apostolice per Indias dignitate insignitus. Ad tantum opus se accinxit vir ille sanctissimus, et antequam Goam appelleret, ubi Indiarum apostolus esse cepit, mirabilia explevit opera 1^o humilitatis profunde; 2^o paupertatis voluntariæ; 3^o charitatis fraterne.

1. Non omnia precontabor profundissimæ humilitatis exercitia, quibus vacavit novum hic legatus; unum enervabo, quod alia multa includit, nempe quod Roma Goam versus pergens in tam longo itinere non ministrari, sed ministrare voluerit. Ministros ei plures obtulit regis Portugallie Nuncius, rogans et soliteciter urgens eum, ut si non omnes, saltem eorum aliquem suo manciparet obsequio: atvero advertens humilis Xaverius, quod *Filius Homini non venit ministrari, sed ministrare* (Matt. 20, 2), ut magistrum et Dominum suum perfecte imitaretur, oblatos sibi quosque ministros recusavit; imo sive in spiritalibus, sive in corporalibus officiis aliorum sese ministrum præbuit; ipse enim infirmorum confessiones audiebat, sordes eorum extergebat et pannos abluabat; ipse sociis et aliis multis in vilioribus quibusque ministeriis inserviebat; ipse non ut legatum apostolicum, verum ut omnium ministrum se inspiciens, tanta cum sui abjectione servorum et ministrorum se immiscebat officiis, ut dixerit nonnullus hæc indigna esse legato apostolico; quod cum audierit Xaverius, magna cum modestia respondit: *nihil dignus esse humilitate christiana*. S. Paulus apostolus, Doctor Gentium et orbis præceptor, servorum examina non accumulavit, sed Christum Salvatorem imitatus aliorum se ministerio subdidit: *necessitatibus meis*, inquit, et *his quæ mecum sunt, ministraverunt manus istæ* (Act. 20, 34). O christiane, inquit S. Chrysostomus, *tu nisi multos post te servorum greges trahas, turpe putas*: vide Paulum, attende Doctorem Gentium, respice orbis præceptorem et hominem celo dignum, qui aliis innumeris hominibus servire non est dedignatus: *ille orbis præceptor et vir colli plane dignus, servire mortalibus innumerabilibus veritus non est*. O christiani! videte Paulum, nec non Xaverium in-

spicite, attendite hunc legatum apostolicum, cujus tanta extitit humilitas, ut vilibus quibusque humilitatis ergo se subdidit ministeriis, æstimans nihil dignius esse humilitate christiana. O quam mirabilia fuere opera humilitatis ejus! insuper et paupertatis ejus!

2. Sæpe sæpius excogitavi, quam diversa in Christi mente pauperum et divitum sit sors; divitibus enim non nisi mala prophætatur; pauperibus vero æterna pollicetur bona. Cum divites alloquitur, ait: *Vae vobis, divitibus* (Matt. 5, 3); cum autem de pauperibus sermonem instituit, ait: *beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum cælorum*; unde, ut ait Augustinus, paradisi ad pauperes, inferni ad divites attingit: *si est Regnum cælorum pauperum, restat ut infernus sit divitum*. O quam felices sunt pauperes spiritu, qui propter Christi amorem voluntariam sectati sunt pauperatem! O quam infelices sunt divites, qui divitiis temporalibus nimio cum affectu adhaeserunt! ideo quanta felicitas Xaverii, qui Roma profectus, ut Goam adiret, nihil aliud ad sui usum habuit, quam Breviarium et vestem obsoletam; et qui in toto hoc itinere nec domum, nec locum, nec aliquam rem sibi propriam habere voluit; atque ut vilis pauperculus ex emendicatis ubique victitavit. Cum Lusitania transiret, obtulit ei rex Portugalliæ ædem regiam, ut in ea diversaretur; obtulit ei et amplam pecuniam, qua mediante commodius iter pararet; utrumque recusavit, ut cum pauperibus in xenodochiis habitaret, ac tamquam egenus humilli mendicatione sibi ad victum et vestitum necessaria quariret. O Xaveri! recordare, quod legatus es apostolicus; memento, quod ad Indias legatus mittaris ad instantiam regis potentissimi, qui beneficium percipere censebit, cum oblatas acceptabis pecunias. Adverte, quod grandis tibi restat via, et quod sive in mari, sive in terra veriseris, multa tibi deesse possent; quapropter a tanto rege accipe, quibus, si non opipare, saltem frugaliter et religiose nutriri valeas. Apage: Franciscus paradisi, ut regnum pauperibus debitum inspicit; ideo tamquam peregrinus incedere, et velut egenus quotidiana mendicatione sibi necessaria pro-

curare intendit. O altissimam Xaverii paupertatem, atque ardentissimam ejus erga homines charitatem!

3. Ab instanti, quo Roma profectus est, usque ad instans, quo Goam appulit piis fratrum charitatis officii incumbere non destitit; nunc enim pernos prima fidei catholice elementa docebat; nunc indurata impiorum corda ferventibus prædicationibus concutebat; nunc familiaribus colloquiis peccatores ad penitentiam et infideles ad Christi fidem vocabat. Carceres frequens et xenodochia lustrabat; illic moestos consolabatur, et hic infirmos sublevabat: ubique discurrebat benefaciendo, et ubique pia fratrum charitatis officia impendebat; unde sanctissimi hujus legati charitatem mire depinxisse videtur Augustinus, dicens: *Charitas alios parturit, cum aliis infirmatur; alios curat edificare, ad alios se inclinat, alii blanda, nulli inimica, omnibus mater* (de catechis. rud. 15); ipse etenim, charitatis fratrum igne succensus, multos Christo parturiebat, cum infirmis infirmabatur, omnes verbis et exemplis edificare satagebat; ad multos se studiose inclinabat, ut eos versus cælum sublevaret; blandis colloquiis complures ad Dei obsequium suaviter attrahebat, nulli erat inimicus, et omnes tamquam pia charitativa mater ardentè diligebat, ut omnes ad Christi et celestis beatitudinis amorem alliceret. O quanta in uno Xaverio videntur fratrum charitatis officia! Tanta quidem, ut quidquid potuerit, pro hominibus fecisse videatur. Ut Deus manifestet quantis beneficiis vineam suam, seu animam fidelem affecerit, ait, quod pro ea egerit, quiquid facere debuit: *Quid est, quod debuit ultra facere vineæ meæ, et non feci ei?* (Isai. 5). Pro animarum nostrarum salute, fecit Deus quiquid juxta infinite suæ sapientiæ leges debuit et potuit. S. Franciscus Xaverius, charitatis fratrum igne accensus, suo etiam modo omnia que potuit charitatis officia hominibus impendit; ipse etenim omnibus se debitorum arbitrabatur; ideoque erga omnes magno charitatis affectu ferebatur, et unicuique omnia que poterat charitatis officia præstabat; unde si quæras, quæ legatus ille zelantissimus infirmis, quæ ignaris, quæ peccatoribus, quæ fidelibus

et infidelibus, quæ domesticis et alienigenis, quæ tandem omnibus, cum quibus conversatus est, charitatis officia præstiterit, uno verbo responderi posset, quod omnia præstitit, quæ præstare valuit: *quid potui facere, et non feci?* Ecce opera, quæ S. Xaverius fecit, ut legatus; videamus ea, quibus ut Indiarum et Japoniæ apostolus abundavit: *abundetis in omne opus bonum.*

III PARS

[*Bona opera, quæ S. Franciscus Xaverius fecit, ut Indiarum et Japoniæ apostolus.*]

Tandem S. Franciscus Xaverius Goam appulit, et Indias peragravit, ubi et apostoli nomen meruit, et apostolica munia perfectissime exercuit; omnia autem, quæ ibi peregit bona opera, vix et ipsi cœlestes spiritus enarrare valerent: quare aliquid solum dicam de peregrinationibus, conversionibus et miraculis, quæ ibi operatus est: 1. de peregrinationibus, quæ fuere difficillimæ; 2. de conversionibus, quæ innumera extiterunt; 3. de miraculis, quæ fuere maxima.

1. De humano animo scribit Zeno Veronensis, quod *dicto citius, nunc ultra Oceanum est, nunc in cœlos evolat, nunc in abyssis est, nunc Orientem Occidentemque perlustrat;* (in ps. 129) quo perfecte nostrum delineasse videtur Xaverium, qui ratione variarum peregrinationum, quas brevissimo tempore perfecit, non corporeus, sed totus spiritualis fuisse fieretur; ipse etenim brevissimo temporis intervallo a Goa adivit Cammorinum, a Cammorino Japoniam, et Japoniam in Sinarum oras se transtulit: in vastissimis autem illis orbis terrarum spatiis diversa regna et innumeras provincias pedibus semper, et sæpe nudis peragravit: ita ut undecim annorum spatio, quo in his regionibus permansit, undecim leucarum millia pergrasse credatur. Unde si de D. Paulo dicat Chrysostomus, quod, *tamquam pennatus totum docendo percolavit orbem;* quidni de

Xaverio dicemus, quod, quasi pennatus et alatus fuerit, innumera remotarum illarum regionum loca pervolavit? *Provincias innumeras, pedibus semper, et sæpe nudis peragravit.* Apostolos alloqui videtur Isaias propheta dicens: *ite angeli veloces ad gentem conculsam et dilaceratam, ad populum terribilem, post quem non est alius.* Hæc verba apostolo etiam nostro Xaverio perfectissime conveniunt; ipse etenim fuit angelus, ratione puritatis angelicæ, qua floruit; hic angelus ad Indias se conferens ivit *ad gentem conculsam et dilaceratam*, seu ad Indos a vitis et demonibus convulsos et dilaceratos: ivit *ad populum terribilem*, seu ad Indos, qui modo terribili adversus eum inardescentes, venena illi pararunt, sagittis illum potierunt, illumque fluvii et mari pluries naufragum exposuerunt. Ivit tandem ad populum *post quem non est alius*, quia ad terræ usque terminos se contulit; atque hæc omnia loca pervolavit tamquam angelus velox: *ite angeli veloces.* Goam, Cammorinum, Japoniam, Sinas et alia multa regna tanta velocitate peragravit, quanta si fuisset angelus; propterea si de D. Paulo dicat Chrysostomus, quod *mundi regiones omnes, quasi libero a corpore animo percolavit;* cur de Xaverio Indiarum et Japonum apostolo non dicemus, quod vastissimas illas regiones, *quasi libero a corpore animo*, et quasi esset angelus velocissimus peragraverit? Non facile percipitur, quæ sit mens regii prophætæ, cum a Deo petit, quod oculos suos inclinet: *Domine, inclina cœlos tuos et descende* (Ps. 143, 5); qui sunt cœli, quos inclinari postulat? ane hi, qui circa nos voluntur? æquæquam; si enim inclinarentur versus terram, tota mundi perturbaretur machina: qui ergo sunt cœli, quos inclinari poscit propheta? acutissime respondet Augustinus: *cœli inclinati sunt apostoli humilitati; isti enim cœli enarrant gloriam Dei, et de his cœlis enarrantibus gloriam Dei mox dicitur; in omnem terram exiit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.* O mirabilem explicationem! o quam perfectissime apostolo nostro Xaverio congruit! Ipse etenim cœlum extitit radiis divinæ gratiæ emicans, virtutum side-

ribus stellatum, miraculis tonans, apostolicisque operibus et trophæis coruscans. Illud cœlum, seu ille apostolus se inclinavit; tanta enim erat sanctitate conspicuus, ut multi ex barbaris eum, veluti quoddam numen e cœlo delapsum respicerent; eique, tanquam Deo, delubra, aras et victimas obtulissent, nisi ipse se inclinasset et humiliter clamasset, se esse hominem infirmum et non Deum omnipotentem: ecce cœlum inclinatum: ecce apostolum humiliatum; apostolum vero cujus sonus prædicationis exivit usque ad fines orbis terræ: nam ipse *Paravis, Malais, Jais, Aenis, Mindanis, Malacensisibus et Japonibus Evangelium Christi annuntiavit* (Bulla Canoniz.). Hasque et alias multas regiones usque ad fines terræ habitabiles peragravit, et quasi *libero a corpore animo percolavit*. O quam mirabilis extitit hic apostolus in peregrinationibus, quas perfecit, et in conversionibus, quas operatus est!

2. Non credendum, quod Xaverius inutiliter et quasi aërem verberans præfatas regiones percurrerit; eas quippe peragravit peccatorum spinas evellens, verbum Dei seminans, fugans errores, idola subvertens, ex hominibus angelos faciens, et innumeros ad fidem catholicam, necnon ad veri Dei cultum adducens: *fidem Japonice et aliis sex regionibus iniecit, multa centena hominum millia ad Christum in Indiis convertit, magnosque principes, regesque complures sacro fonte cepiavit* (Brev. Rom.). Nonnulli auctores opinantur, Xaverium trecenta hominum millia sacro baptisate abluisse, et ad Christum convertisse; alii plures, et alii pauciores recensent. Thomas Bosius comparans idololatras, quos Xaverius ad Christi fidem adduxit, cum catholicis, quos hæretici a vera religione avocarunt, ait: *Xaverium plures Christo aggregasse de idolorum veneratoribus, quam suos traduxerint ad errores quotquot unquam extiterunt hæretici a Servatore passo per decem et sex sæcula*. Heu! quot idololatrarum conversiones a sancto illo Indiarum apostolo operatæ fuerunt. De fratre Martino a Valentia, seraphici Francisci filio et viro vere apostolico fertur, quod cum aliis undecim fratribus ejus sociis in America quater decies dena centena hominum millia baptizaverit; unde

auctores hunc Martinum a Valentia, Martino Luthero famoso hæresiarchæ conferentes asserunt, quod plures Martinus a Valentia in America ad Christi fidem converterit, quam Martinus Lutherus in Germania a fide avocaverit. Hoc quidem mirabile; mirabilis autem quod Xaverius *plures Christo aggregavit de idolorum veneratoribus, quam suos traduxerint ad errores quotquot unquam extiterunt hæretici a Christo passo per decem et sex sæcula*. Miremur has idololatrarum conversiones, et aliquid dicamus de miraculis, quæ sanctus operatus est.

3. S. Bernardinus Senensis docet, Christum miracula fecisse *in angelicis spiritibus, in hominibus et in creaturis irrationabilibus* (Tom. 2, serm. 56): miracula fecit *in angelicis spiritibus*, demones a corporibus humanis expellendo; *in hominibus*, eos a variis infirmitatibus sanando, virosque mortuos ad vitam revocando; *et in creaturis irrationabilibus*, ut in aëre et in aqua, cum *imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna* (Matth. 8). O mirandam Christi potestatem! o Christi bonitatem, qui similem potestatem dedit Xaverio! ipse enim potestate a Christo accepta miracula fecit *in demonibus*, quos eos ab idolis ejecit; *in hominibus*, quia multis agris sanitatem, pluribusque mortuis vitam restituit; *in aqua*, quia solo crucis signo multam aquæ marinæ convertit in dulcem; *et in aëre*, quia ipsis barbaris in mari periclitantibus faustos a Deo obtinuit ventos. Alia multa ab ipso facta passim ab authoribus referuntur miracula; a quibus patrandis neque post mortem cessavit: mortuum enim ejus corpus odorem efflabat suavissimum; et licet viva calce per multos menses his obrutum fuerit, penitus incorruptum permansit, purpureoque sanguine manavit, et ubi Malacæ delatum est, urbem illam a sævissima peste liberavit. Quo, quanta in cœlo sancti illius sit gloria, facile auspicari quisque potest. S. Hilarius cilicium vocat *habitum prophetalem*, quia cilicium, quo homo poenitens vestitur, est inexistens virtutis indicium, et futura beatitudinis prophetia. Non minus convenienter de Xaverii corpore dicere possumus, quod fuit *corpus prophetale*, quia tot

miracula, quæ in hoc corpore, vel ad presentiam et contactum hujus corporis peracta fuere, sunt prophetia cœlestis beatitudinis et gloriæ præcellentis, quæ vir ille sanctissimus in cœlo præfulget. Vel etiam dicendum, quod omnia bona opera, quibus abundavit Xaverius, sive ut S. Ignatii filius, sive ut Apostolicæ Sedis legatus, sive ut Indiarum apostolus, sint certissima eminentis gloriæ, quæ fruitur in cœlo, prophetia. Vir ille sanctissimus, *ut S. Ignatii filius*, mirabilia fecit opera in mortificationis exercitio, in ægrotorum obsequio, et in sacerdotali ministerio. *Ut Sancti Sedis legatus*, mirabilia fecit opera humilitatis profunde, paupertatis voluntaria, et charitatis fraternæ. Tandem *ut Indiarum apostolus*, peregrinationes difficillimas, conversiones innumeras, miracula portentosa et alia multa perfecit opera; quæ omnia sunt *opera prophetalia*, quæ Xaverii maximam in cœlo gloriam indicant et prophetant. Jam vero heu! quid nostra prophetant opera? alia quidem infernum, alia purgatorium et alia paradysum. Sunt qui gravibus non timent se implicare criminibus, quorum alii ventri serviunt, alii luxuriæ indulgent, alii avaritiæ adherent, et alii superbi inflantur: hi et alii omnes peccatores, qui mortalibus se inquinant peccatis, ad tartara in æternum cruciandi trahentur, nisi convertantur: *ibunt hi in supplicium æternum* (Matth. 25, 46); eorum opera illis inferni supplicia prophetant. Alii sunt, qui a gravibus quidem abstinere peccatis; venialibus vero facile indulgent, mentiri non timent, otiosa et vana profersæ diligunt, nugis occupari querant, et in minimis a Dei et Ecclesiæ legibus delibere parvipendunt: hi congregant *lignum, fœnum, stipulam*, quibus in purgatorio componetur ignis, quo eorum delicta purgantur; hujusmodi enim opera illius purgatorium prophetant. Sunt tandem alii, qui a peccatis pro viribus abstinere, qui misericordiæ et pietatis operibus vacant, qui orationi, piorum librorum lectioni et frequenti Sacramentorum Ecclesiæ perceptioni se occupant; qui tandem quæcumque Dei gloriam, sive salutem spectant, ferventer operantur: hi ibunt in vitam æternam; opera eorum prophetant, quod cœlestem beatitudinem consequentur. Videte

fratres, quid vestra prophetent opera; hucusque forsitan infernum semper prophetaverunt, quia hucusque in statu peccati mortalis commorati estis, O quales prophete! qui perpetua vobis prophetant mala; tales prophetas pro viribus extinguere contendite; opera vestra mala, seu peccata, quæ æternam prædicunt vobis damnationem, per poenitentiam destruite. Abluite etiam levia quæque delicta, quæ vestram coinquinant animam, et quæ purgatorium ignem vobis prophetant. Bona demum opera perficere satagite; quidquid potest manus vestra, instanter operamini; *abundetis in omni opere bonum*, sicut S. F. Xaverius, ut cum eo æternam beatitudinem assequi mereamini. Amen.

CONCIO SECUNDA.

Vocatus apostolus (Rom. 1).

Sanctus Xaverius non apostolus simpliciter, sed Indiarum et Iaponiæ apostolus vocatur, quia ibi potissimum verbum Dei disseminavit, miracula multa fecit, innumerosque infideles ad veram Christi fidem et religionem adduxit. Natus est novus ille apostolus non in Galilæa, sed in Navarra; non inter retia, sed inter divitias; non ex patre piscatore, sed ex parentibus nobilitate fulgentibus, qui eum studiorum et educationis causa Parisios miserunt; ubi altissimæ perfectionis viam sub spirituali suo parente S. Ignatio, didicit, et summo spiritus fervore amplexatus est. In Italiam deinde, Lusitaniam, aliasque nonnullas Europæ partes exivit sonus virtutum ejus: ac tandem in fines orbis terræ exiit verba ejus: ad remotissimas enim et vastissimas Indiarum et Japonum regiones se contulit, eas peragravit et in his luxit virtutibus, miraculis coruscavit, tonavit prædicationibus, totque centena hominum millia ad Deum convertit, ut harum nationum apostolus dici et esse meruerit:

vocatus apostolus. In nascentis Ecclesiae primordio demirata est Antiochia apostolum suum Petrum, Hispania apostolum suum Jacobum, Achaja apostolum suum Andream, Asia Joannem et Aethiopia Mathiam; novissimis autem temporibus, India et Japonia apostolum suum Xaverium audierunt et demiratae sunt. Istius novi apostoli labores hodie enarremus, virtutes manifestemus, privilegia propleamus et elogia pro viribus contexamus. *Apo.*

Christus Dominus, ut ex variis S. Evangelii locis constat, apostolos mundi lumina, sal terrae et amicos suos vocavit: *Vos estis lux mundi. Vos estis sal terrae. Vos autem dixi amicos.* Totus mundus in tenebris ignorantiae sedebat; ideo Christus apostolos velut coelestia lumina delegavit, quorum radiis totus illustraretur orbis. *Vos estis lux mundi* (Matt. 5, 24). Universa humani generis infatuata erat natura et stultorum, seu peccatorum infinitus erat numerus; propterea Christus apostolos tanquam sapientiae suae salem misit, ut eorum mores condiret et infatuatos homines coelesti sapientia repleret. *Vos estis sal terrae* (Matt. 5, 13). Omnes tandem fere homines tum per originale, tum per actualia peccata inimici Dei erant constituti; quapropter Christus apostolos sibi amicissimos esse voluit, ut eis ad peccatores sibi reconciliandos uteretur. *Vos autem dixi amicos* (Joan. 15). Quis non miretur duodecim illos apostolos, qui ut mundi lumina totam terrarum orbem illuminarent; ut sal terrae multa hominibus beneficia impenderunt; et ut Dei amici maxima ab eo privilegia perciperent? est autem quod miremur novum apostolum Xaverium, qui cum aliis apostolis apostolus fuit, illorumque favores et privilegia participavit; ipse etenim simul cum aliis apostolis fuit 1. lux mundi; 2. sal terrae; 3. amicus Dei. *Ut lux mundi,* populos multos illuminavit. *Ut sal terrae,* eos beneficiis replevit; *et ut amicus Dei,* multos ab eo favores recepit.

I PARS.

S. Franciscus Xaverius fuit lux mundi.

Christus Dominus, qui seipsum mundi lucem vocaverat, eadem qualitate apostolos suos honorat. De seipso dixit Christus *ego sum lux mundi* (Joan. 11); et suis apostolis ait: *vos estis lux mundi;* magna tamen inter utramque hanc lucem intercedit differentia, cum Christus sit lux primordialis, per seipsam lucens et alios illuminans; apostoli vero sunt lux de luce, seu lux a Christo et per Christum lucens: *Christus est lux primitiva; apostoli quasi lumina a Christo derivata* (Hugo card.). Vera autem et miranda mundi lumina extitere omnes apostoli, qui non unam duntaxat, aut alteram civitatem, universum mundum doctrina, virtutibus et miraculis illustrarunt; lux etiam fulgentissima fuit Xaverius, qui variis populis et praecipue Indiis et Japonia 1. luxit scientia; 2. luxit virtutibus; 3. luxit miraculis.

1. Quicumque ad erudiendos populos vocatur, doctrina vel infusa, vel acquisita pollere debet, *ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere;* atque scientiae lumina in primis fulgere debebant Apostoli, qui, ut ait S. Hilarius, a Christo erant *vocati, ut mundum errorum, vitiorumque tenebris obscuratum luce doctrinae illuminarent.* Et revera si apostoli ignorantiae tenebris fuissent obvoluti, non lux, potius tenebrae mundi extitissent: ideo sicut in principio Deus Soli lucem dedit, ut toti luceret mundo, ita et Christus apostolis scientiae coelestis et evangelicae lumen infudit, ut omnibus populis illucescere valerent. Eadem prorsus luce superflusus fuit Xaverius, qui non solum acquisita, verum et infusa polluit scientia, qua abstrusas et reconditas quasque Japoniae et Indiarum partes mirabiliter illuminavit, et caecos illos populos perfectissime irradiavit. Innumeri harum regionum populi in densissimis ignorantiae, erroris et idololatriae tenebris

jacebant; diligebant magis tenebras, quam lucem; in via salutis aberrabant et palpabant, ut cæci; Xaverius, quasi novus sidus et quasi sol oriens ex alto, iis mirabili et celesti sua scientia illuxit: ipse illorum populorum fuit Doctor à Deo missus, qui eos prædicationibus, catechesibus, colloquiis familiaribus et publicis disputationibus mirabiliter erudit et illuminavit; vel inspicendus Xaverius in medio remotarum illarum regionum quasi una ex templi Salomonis basibus, in quibus erant *leones et boves et Cherubim* (3 Reg. 7); ipse namque inter barbaras illas gentes quasi leo generosissimus, charitatis flammam undique spiravit; ipse pariter veluti bos fortis et patiens, labores multos et ærumnas graves, magna cum mansuetudine et patientia portavit; ipse tandem velut Cherubim, scientiæ suæ fulgore reges, principes et innumeros populos illuminavit. *Quibus etiam refulsit virtutibus suis.*

2. Explicavit Christus, quomodo populus potissimum lucere deberent apostoli et viri apostolici, dicens: *sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est* (Math. 5): quæ verba sic exponit et ponderat Cajetanus; *sic luceat lux vestra*, id est doctrina vestra *coram hominibus* non videntibus cor, nec ea quæ interiori sunt, *ut videant opera vestra* non mala, nec habentia speciem mali, *et glorificent Patrem vestrum*. O pulcherrimam Christi doctrinam! o quam perfectissime illum professus est Xaverius! ipse enim Goam, Cammorinum, Japoniam, Sinas, aliasque multas regiones non solum scientiæ suæ splendore, verum mirabilibus etiam suis operibus et virtutibus illustravit: non solum hi populi eum audierunt docentem, verum et eum viderunt facientem. Non apprehenderunt in eo vel minimam ejusvis peccati speciem; imo viderunt opera ejus bona, et in eo heroicas omnes virtutes demirati sunt. In eo quasi stupentes talem viderunt abstinenciam, ut sæpe biduo et interdum triduo cibum non sumeret. Tantam in suo Apostolo intuiti sunt carnis mortificationem, ut corpus ejus præ nimio onere quasi fatisceret. Tantus ei inerat puritatis amor, ut virginitatem illasam per-

petuo servaverit. Talis ejus erat obedientia, ut per unicam vocalem I pater Ignatius cum ad nutum movere, eumque ad extremas usque orbis oras mittere potuisset. Paupertatem tantam coluit, ut Breviarium et vestis obsoleta totam suam suppellectilem constituerent. Humilitate tandem, mansuetudine, charitate et aliis omnibus virtutibus ita præfulsit, ut mihi figuratus videatur Xaverius per candelabrum illud, in quo erant lucernæ septem, ut luceant ex adverso, de quo sic habetur Exodi 25. *Facies candelabrum ductile ex auro purissimo; facies et lucernas septem, et ponas eas super candelabrum, ut luceant ex adverso*: Xaverius enim fuit quasi *candelabrum ex auro purissimo*, ratione sanctitatis et vite suæ purissimæ; in hoc candelabro septem fuere lucernæ, seu tres virtutes theologice et quatuor cardinales, ad quas cunctæ penitus virtutes reducuntur; ipse autem septem illarum virtutum fulgore hominibus illuxit *ex adverso*, quia illuxit peccatoribus, qui aversi erant a Deo. Per fidem illuxit infidelibus et idololâtris; per spem præsumptuos et desperatis; per charitatem invidis et obduratis. Superbos irradiavit per humilitatem; avaros, per paupertatis amorem; gulosos, per abstinentiam; iracundos, per mansuetudinem, et desides, per Spiritus Sancti fervorem, quo agitabatur: hæc autem omnes virtutes fuere quasi faces, et quasi lucernæ ardentes, quibus ita affulsit, ut supra trecenta hominum millia, ab ignorantia, erroris et peccati tenebris eduxerit, et ad lumen veritatis et evangelii adduxerit. O quam perfectissime luxit Xaverius virtutibus quas coluit, et *miraculis quæcunctis*.

3. A nobis exigit Christus, quod lucernas ardentes in manibus gestemus: *lucernæ ardentes in manibus vestris* (Luc. 12, 35); hæc lucernæ ardentes sunt virtutes animam *pulchrificantes*, ut ait S. Vincentius Ferrerius, easque lucernas in manibus portare debemus, quia, ut aliis luceamus, ad opus nos accingere et virtutum operibus incumbere necesse est. Jamvero præter hæc virtutum lucernas, alias in manibus portarunt apostoli, nempe miracula, quæ, potestate sibi a Deo tradita, operati sunt; hæc fuere quasi faces, quibus fidei mysteria manifestarunt, quibusque

homines illuminarunt et in fide confirmarunt. Unde D. Augustinus miracula vocant splendida et lucida: *splendor miraculí*, quia miracula sunt lucernæ, quibus Sancti splenderunt et hominibus illuxerunt. Has autem lucernas manibus gestavit novus apostolus Xaverius, qui cæcos illuminavit, ægros sanavit, mortuosque plurimos ad vitam revocavit. His populis illucescebat Xaverius doctrina et virtutibus, quibus affluebat; cum autem hæc ad fugandas errorum tenebras et ad suos auditores convincendos non sufficiebant, miraculis sua dicta confirmabat, et *splendor miraculí* eos penitus illustrabat. Postquam Christus in cælum ascendit, apostoli *prædicaverunt ubique*, *Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis* (Marc. 16, 10); illi prædicationibus suis populos docebant et illuminabant; hæcque prædicationum Dæus addebat lucem miraculorum, quæ perfectius et clarius populi illustrabantur. Quod contigit apostolis, contigit et Xaverio; populi enim audientes doctrinam ejus et videntes portentosa virtutum ejus exempla mirabantur, attamen sæpe non convertabantur; deinde sequebantur et superveniebant miracula, quibus quasi facibus, omnino illustrabantur et ad fidem christianam amplectendam adducebantur. O quam perfectissime populis illuxit Xaverius! et o utinam omnes prædicatores, pastores et superiores suis auditoribus, ovis et subditis similiter illucescerent! Heu, quot conversiones in mundo fierent, si hi qui præsuat, et a Deo constituti sunt, ut aliis luceant, illos si non miraculis, doctrina saltem et virtutibus illuminarent! *Unus profecto Paulus*, inquit Chrysostomus, *tam multos ad Dei attraxit notitiam. Si omnes essemus hujusmodi, quos terrarum orbis attrahere et ipsi possemus?* Heu! *si nos essemus hujusmodi*; si Paulum, si Xaverium imitaremur: si vos pastores, si vos prædicatores, si vos patresfamilias, si vos omnes qui aliis præcæstis, iis saltem bonis moribus et virtutibus illucesceretis: *quos terrarum orbis attrahere et ipsi possetis!* Verum heu! qui alios illuminare tenentur, pæcæpe eos obcæcant, scandalizant et ad mala pertrahunt. Væ vobis, qui talia agitis! desinite perverse agere; et qui alios obcæcatis, illis in posterum

virtutibus illucescite; estote lux mundi sicut Xaverius; qui fuit etiam *sal terræ*.

II PARS.

S. Franciscus Xaverius fuit sal terræ.

Carolus Quintus imperator festiva dicere solebat, se conjicere de cujusvis civitatis, vel reipublicæ statu ex triplici litera P., seu ex præceptoribus, prætoribus et pastoribus; *ex præceptoribus*, qui sunt quasi sal scholarum; *ex prætoribus*, qui sunt quasi sal reipublicæ; et *ex pastoribus*, qui sunt quasi sal Ecclesiæ. Idem ferme dicendum ad rem nostram, nempe quod ex unica litera X, seu ex unico Xaverio conjectari potest de Japonicæ et Indiarum orientalium statu; ipse enim harum regionum fuit sal 1. sapientiam inspirans; 2. corruptiorem tollens; 3. fecunditatem communicans.

1. Sapientia a sapore dicitur, eo quod ipsa sit quasi sapor mentis, et ex hoc sal ab omnibus agnoscitur, ut sapientiæ symbolum; nam sicut sal condit cibos, ut sapidi sint, ita sapientia condit animos, ut sapientes sint. Unde de insipientibus dici solet, quod insulsi sint, et quod sale careant, juxta illud Catulli: *nulla in tam magno est corpore mica salis*. Et e contra, de viris sapientibus dicitur, quod habeant sal, et quod saluti sint; unde dominus virum sapientem alloquens, ait: *si quis haberet salem, qui in te est*. Sale sapientiæ non carebat Xaverius, qui altissimam possidebat sapientiam, qua profundiora divinitatis scrutabatur mysteria, et qui veram sapientiam aliis inspirabat, quæ insulsi et stulti quosvis peccatores, sapidos et sapientes efficiebat. Ipse non fuit sal infatuatum, alios salivæ et condire non valens; fuit sal mirabile non mundi, sed Christi sapientiam Indis et Japonibus inspirans; hic etenim non honorum culmina querere, non injurias injuriis reddere, non summo affectu divitias appetere, non cor machinationibus tegere, nec alia multa, quæ apud mundi sapientes pluris fiunt,

eos docuit; fuit sal mirabile et verus apostolus, qui mala libenter tolerare, injurias condonare, bonum pro malo reddere, terrenas opes contemnere aliaque plurima quæ christianam et evangelicam redolent sapientiam, perficere eos edocuit. Non fuit Xaverius similis malis iis pastoribus, qui sal infatutum dicuntur; quia cum ipsi quasi Ecclesiæ sal fidelium mores condire deberent, per gulam, luxuriam, errorem, ambitionem, aliaque vitia, quibus indulgent, suam spiritualis salis vigorem amittunt. De iis locutus Christus, ait: *si sal evanuerit, in quo salietur?* (Matt. 5, 15); seu qua ratione avaritiam, luxuriam et honores fulgere docebit, qui talia ambit et solícite quærit? Quomodo humilitatem inspirabit superbus, castitatem luxuriosus et liberalitatem avarus? Hoc certe nequiret. Xaverius autem non fuit sal hujusmodi, non fuit sal insulsum et infatutum; ipse ab avaritia, gula, luxuria, aliisque vitiis, que pastores insulsos et insipientes efficiunt, maxime abhorruit; ipse fuit sal mirabile, castitatem, patientiam, benignitatem, humilitatem, aliasque virtutes, que Verbi incarnati sapientiam redolent, perfectissime possidens et aliis inspirans. Ipse fuit, quasi universalis Indiarum et Japoniæ pastor, qui sale sapientiæ cristianæ et apostolicæ repletus populis eandem sapientiam inspiravit. Et ab iis *peccati corruptionem sustulit*.

2. Sal materiale carnes integras servare valet; jam putridas et corruptas sanare et redintegrare minime potest: *sal potest carnem servare incorruptam; putridam autem mundare non potest* (Cyclost.); sed S. Xaverius fuit sal mirabile, quod Indos et Japonæ jam vitiis putridos et corruptos sanavit; eisque integritatem, quam nunquam habuerant, indidit. Unde, si de apostolis ait Euthimius, quod sint *sal terra*, quia a Christo fuerunt electi ad tollendam totius mundi putredinem, Xaverius etiam fuit sal Indorum et Japonum, quia ab iis corruptionem et putredinem vitiorum maxima cum sollicitudine sustulit. Temporibus Noë tot vitiis homines patruerant, totque peccatis coinquinabantur, ut sacer textus dicat, quod *omnis caro corruperat viam suam* (Gen. 6, 22). Idem sane dici poterat de Indis et Japonibus, antequam ad eorum regiones venisset

Xaverius; ibi enim idolorum cultus, carnis illecebæ, Dei oblitio, avaritia, luxuria et omnia vitia altas radices egerunt; ibi *omnis caro corruperat viam suam*, seu omnes homines peccatorum suorum putredine tæscabant. Xaverius autem harum regionum apostolus fuit sal spirituale et mirabile, quo idololatræ, avari, luxuriosi et innumeri omnis generis peccatores a suorum vitiorum corruptione liberi evaserunt; ipse enim Goam, Malacam, Japoniam et innumeras provincias prædicando et peccatorum putores tollendo peragravit. Hic undecim annorum spatio undecim leucarum millia percurrit, ubique dæmonum dissolvens opera, ubique vitia extirpans, ubique homines a peccatorum suorum corruptione liberans; *neque non bonis operibus eos fecundans*.

3. Sal aptum est ad terram, quæ ex se fecundissima est, sterilem reddendam; sic enim legimus, nonnunquam exercituum duces, civitate aliqua expugnata, sal seminare, ut fundus sterilis fieret et nil viride in eo cresceret: *sal reddit terram sterilem; imperatores enim olim solebant seminare urbes sale, ne quod in eis germen oriretur* (Hugo card. in Math. 5). Hoc sensu dici posset, quod Xaverius fuit sal admirabile, quia destructo in Indis regno peccati, germen vitiorum conspexit; illamque terram, quæ vitiis luxuriabat, in omni peccatorum genere fecundam vitiis et peccatis sterilem reddidit. Quid autem mirabilius ad Xaverii laudem est proferendum; cum nenipe sal exitissime, quod fecunditatem communicavit, quoque innumeros populos, qui spinas solum et trifolios peccatorum producere consueverant, virtutibus et bonis operibus fecundavit. Postquam Elias curru igneo in coelum vectus est, Elisæus ejus discipulus venit trans Jordanem circa civitatem Jericho et filii prophetarum accesserunt ad eum dicentes: *ecce habitatio civitatis hujus optima est, sicut tu, domine, perspicias; sed aquæ pessimæ sunt, et terra sterilis* (4 Reg. 1). Elisæus autem ut terræ tolleretur sterilitatem, eamque fecundam redderet, ait: *afferte mihi vas novum et mitte in illud sal*. Attulerunt sal, et misit illud propheta cum vase novo in aquas, dicens: *hec dicit Dominus, sanavi aquas has; et sanate sunt aquæ; aquis autem*

sanatis, terra fertilis facta est per salem in ea projectum. Ecce mirabilem modum fecundandi terram! ecce mirabilem etiam figuram eorum, quæ in Indiis et Japonia peracta sunt! harum enim regionum terra erat plane sterilis, eo quod corda hominum nullos in ea pietatis et virtutis fructum producerent et quod aque doctrine in ea essent amaræ et pessimæ; verus autem Eliseus Christus sumpsit vas novum sale plenum, seu novum apostolum S. F. Xaverium, verum vas electionis, quod Spiritus Sanctus sapientia sale repleverat et mediante illo sale, seu mediante Xaverio, Indiarum et Japoniæ terra, antea sterilis, seu illarum regionum homines bonis operibus et virtutibus infecundi, facti sunt fecundissimi; qui erant avari erga pauperes mutati sunt in liberales; qui erant libidinosi, castitatem coluerunt; qui superbi, humilitatem sunt sectati; et alii innumeri, qui benefacere nesciebant, facti sunt in productione bonorum operum fecundissimi. Ideo Xaverium in medio vastissimarum illarum regionum, veluti petram salis intueor: quasi inter bruta animalia petra salis debet esse sacerdos in populis, inquitabat S. Gregorius: vero bruta animalia erant Japonens et Indi ob carnalia, quibus adhaerebant, vitia; Xaverius autem in medio eorum erat velut sal spirituale, iis sapientiam christianam inspirans, ab iis vitiorum omnium corruptionem tollens, eosque bonis operibus fecundans. O utinam quilibet animarum pastor in medio ovium suarum, quilibet paterfamilias in medio domesticorum, et quilibet superior in medio inferiorum esset petra salis, ab iis omnem fugans peccati corruptionem, eosque ad omnium virtutum exercitium inducens! Jamvero heu! non pauci in medio suorum non sunt petra salis, imo potius lapis offensionis et petra scandali, dum eos a virtutis semita avertunt, et ad pravas peccatorum vias alliciunt: *oæ homini illi, per quem scandalum venit* (Matt. 18): vae vobis, qui alii estis petra scandali; estote iis imposterum quasi petra salis, sicut Xaverius, qui fuit sal terræ et amicus Dei.

III PARS.

S. Franciscus Xaverius fuit amicus Dei.

Tanta amoris sui signa dedit Deus Xaverio, ut interdum charissimus hic Dei amicus, quasi iis obrutus clamaret: *satis est Domine, satis est Domine*. Nostrum non est, Seraphici Xaverii cor penetrare, ut ibi adnotemus, quanto eum Deus amore affecerit: tantum ad exteriora et pluribus nota, me convertens, magnam Dei erga Xaverium amicitiam, ex tribus donis specialibus colligam: 1. ex dono linguarum, quo illum ditavit; 2. ex dono prophetia, quo illum honoravit; 3. ex dono incorruptionis, quo illum decoravit.

1. Christus Dominus ita apostolos suos dilexit, ut iis donum linguarum largitus sit, quo dono honorati aliquando variis loquebantur linguis, et aliquando una lingua loquentes, tamquam si variis linguis locuti essent, audiebantur. Ipsi divinitus edocti variis linguis loquebantur; de iis enim dicitur, quod repleti sunt omnes Spiritu Sancto et cœperunt loqui variis linguis (Act. 2, 4). Ipsi etiam unico idioma diversarum nationum populis concionantes, ab unoquoque audiebantur tamquam si propria ejusque lingua locuti fuissent; de iis enim dicitur, quod audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes. Deus autem tanto amore prosecutus est Xaverium, ut utroque modo donum linguarum ei concesserit; ipse namque miraculose variis linguis loquebatur, et primum in Indias appellit, illico variarum gentium difficillimis et variis linguis instructus apparuit. Ipse etiam unica lingua loquens, a diversarum linguarum populis fuit intellectus: eum quandoque unico idioma ad diversas gentes concionantem unaqueque sua lingua loquentem audivit. Erant Jerosolymis viri ex omni natione, quæ sub celo est; seu ex diversis nationibus orti: ibi erant Parthi et Medi, Cretes et Arabes: ibi erant ex his qui habitant Mesopotamiam, Judæam et Cappadociam, Pontum et Asian,

Phrygiam et Pamphyliam; qui apostolos prædicantes sic audierunt, quasi propria cuiusque ex his nationibus lingua locuti fuissent: *quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram in qua nati sumus?* (Act. 2, 8). Dubitant auctores, quomodo loquentibus apostolis, tot populi ex tam diversis nationibus oriundi concipere et intelligere possent quæ dicebant, ac si illi propria cuiuslibet auditoris lingua locuti fuissent: respondent aliqui, quod rêvera apostolis ita concessum erat donum linguarum, ut his omnibus linguis successive loquerentur, prædicando modo una ex his linguis et modo altera. Alii dicunt, quod apostolis ita datum erat donum linguarum, ut unica loquentes lingua, a diversarum nationum hominibus sic audirentur, ac si distincte, seorsimque variis linguis locuti fuissent. Xaverium ita dilexit Deus, ut ei utroque illo modo donum linguarum impertitus sit; ipse enim divinitus ita fuit instructus, ut diversorum populorum, cum quibus conversabatur, linguis omnibus loqueretur; ipse etiam unico idiomate diversis gentibus prædicans, unaquaque sua lingua eum loquentem audiebat. Ecce selectum Dei amicum, cui Deus donum linguarum concessit, et donum prophetiæ.

2. Dono prophetiæ Deus B. Virginem Mariam, Elisabetham, Zachariam, Joannem Baptistam, pluresque alios ex suis amicis decoravit, et specialiter apostolos, quibus dedit, quod abscondita penetrarent et futura prænucciarent. Prophetavit Petrus, prophetavit Paulus, prophetavit Joannes Evangelista, prophetaverunt et alii apostoli: hi etenim fuere filii Dei charissimi, super quos effudit de spiritu suo, et quibus donum prophetiæ concessit: *effudam de spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri* (Act. 16). O magnum Dei erga apostolos amicitie signum! quod apostolo etiam nostro Xaverio non denegavit; tanto enim illum persecutus est amore, ut super eum prophetiæ spiritum effuderit, quod afflatu plurima et loco et tempore remotissima enuciavit. Unde sicut de quibusdam discipulis habetur in novo Testamento, quod *venit Spiritus Sanctus super eos, et loquebantur linguis et prophetabant* (Act. 19, 6); ita dicendum, quod Xaverius fuerit dilectus Christi

discipulus, super quem venit Spiritus Sanctus, qui ei linguarum et prophetiæ dona concessit. Et ei *donum incorruptionis largitus est*.

3. Sanctissimo Christi corpori ratione unionis hypostaticæ debebatur incorruptio: *non dabis sanctum tuum videre corruptionem* (Act. 2, 17). Licet autem nonnulli alteri de jure deberetur incorruptio, eam tamen attentis amicis suis, ut donum singulare concessit Christus et specialiter apostolis, quorum corpora a tot sæculis nondum sunt totaliter corrupta, ut patet ex eorum reliquiis, quæ variis in locis adhuc asservantur. Quam etiam gratiam impertitus est apostolo Xaverio, quem tanto persecutus est amore, ut ejus corpus diu incorruptum servari voluerit. Proprium corpus sanctificaverat, et quasi angelificaverat Xaverius, exsticcans illud jejuniis, fustibus constringens, dilanians flagellis, vilissimis obsequiis mancipans, aliisque modis innumeris illud affligens; propterea noluit Christus, quod sanctum illud corpus videret corruptionem. Sanctissimum Christi corpus, ut ait Andreas Cretensis, fuit corruptionis expers *propter præsentiam Verbi*, et sanctum Xaverii corpus diu servatum fuit incorruptum per potentiam et singularem protectionem Verbi incarnati, seu Christi, qui ita Xaverium dilexit, ut ejus corpus incorruptum servaverit, Christus Dominus erga aliquos ex suis sanctis tanto afflictor amore, ut de ipsis eorum crinibus et ossibus mortuis custodiendis sit sollicitus: *custodit Dominus omnia ossa eorum: unum ex his non contemetur* (Ps. 34, 21). Majorem vero curam habuisse censetur de Xaverii cadavere: sanctum enim hunc apostolum ita amavit, ut corpus ejus pluries calce viva coopertum, incorruptum servaverit, ita quod diu post mortem ex eo sanguis manaverit. O varum et novum Christi apostolum! qui, non secus ac alii apostoli, fuit lux mundi, sal terræ et amicus Dei. Fuit *lux mundi*, fulgens doctrina, virtutibus et miraculis. Fuit *sal terræ*, sapientiam inspirans, corruptionem tollens, et homines bonis operibus focundans. Fuit tandem *amicus Dei*, quem Deus donum linguarum ditavit, dono prophetiæ honoravit et dono incorruptionis decoravit. O quantum et quanta veneratione dignum

apostolum! Deus supra modum suos honorare voluit apostolos: *nimis honorati sunt*; honoremus et nos novum apostolum Xaverium. Cum turbae Paulum et Barnabam miracula facientes viderunt, eos ut deos inspexerunt, vocaruntque Barnabam *Jocem*, Paulum vero *Mercurium*; tantoque eos honore affecerunt, ut iis, tanquam diis, sacrificare vellent. Xaverio pariter multi ex Indis et Japonibus tantum impenderunt honorem, ut illi, tanquam Deo, victimas et libationes offerre contenderent, ac revera obtulissent, ni ille constanter eos cohibuisset. Ad hoc quidem idololatriæ genus declinare impium esset et gentile; attamen si barbari tanto venerationis affectu erga novum hunc Christi apostolum exarserunt, si illum honore summo prosequi cogitarunt et voluerunt, nos, qui christiani sumus et qui ejus merita rectius ponderare novimus, omni saltem quo poterimus honore, eum afficere contendamus. Honoremus Xaverium, ejusque patrocinium imploremus. Cum mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur, Christum tetigit, virtus ab illo exivit, quæ hæc infirma sanata est: *tetigit me aliquis; nam ego novi virtutem de me exisse* (Luc. 8, 46). Tangamus similiter Xaverium precibus, ejusque nos protectioni subdamus, et virtus de illo exibat. Si superbiæ spiritu torqueamini, ad Xaverium accurrite, crebris orationibus eum invocate; orabit pro vobis Deus et illius interventa humilitatis virtutem obtinebitis. Si luxurie spiritu agitemini, ad purissimum et castissimum Xaverium advolate, ejus favores precibus multis implorate et ab eo exibat ad vos virtus castitatis. Si invidia, avaritia, vel aliud aliquid vitium vos premat, petite a Xaverio quod his vitii oppositas a Deo vobis virtutes obtineat, et ejus meritis tales vobis infunderentur virtutes; cognoscat ille, quod hæc virtutes ad vos exierint: *ego novi virtutem de me exisse*. Dum sanctissimus ille apostolus in hoc mundo conversaretur, caecos illuminavit, infirmos sanavit, et mortuos multos suscitavit; hæc virtutes ab illo exierunt, et eadem virtutes ab illo nunc exirent, si ardentius illum precibus exoraremus: igitur in omni tribulatione et angustia ad eum confugite, eumque supplices orate. De illustri illius Indiarum apostoli reliquiis fertur, quod ubi Mala-

cam delatæ sunt, urbs illa a sævissima peste fuit liberata; hæc reliquia fuere quasi fimbria vestimenti sancti Xaverii, quam ut primum Malacenses cives tetigerunt, ab eo exivit virtus sanitatis: tangite reliquias animæ ejus, seu virtutes illius, eas imitando: tangite et reliquias corporis illius, eas venerando, et ex his reliquiis sic tactis ad vos effluent sanitas corporis et media efficacia ad salutem æternam consequendam. *Amen.*

DE SANCTA BARBARA.

CONCIO UNICA.

Gloriosa dicta sunt de te (Ps. 87, 3).

Sicut pulchri et sentibus flores, et venuste ac fragrantissima e spinosa stirpe rosa prodeunt, ita non raro ex maligna radice fructus pietatis assurgunt, et a parentibus infidelibus et impiis filii fideles, et omni pietate ornati nascuntur. Hujus veritatis celebre præfert testimonium S. Barbara, quæ licet a parentibus infidelitatis errore obsecratis, idololatriæ totaliter deditis, indole sua barbaris, et a Deo ad æterna incendia destinatis originem duxerit, ipsa tamen christianæ religioni nomen dedit, virginitatem suam Deo vovit, Christi martyri extitit et ab eo in coelis recepta ac gloriose coronata fuit. Nata est illustri hæc virgo in civitate Nicomediensi a patre nobili et prædite, cujus nomen erat Dioscorus, et cujus natura ita agrestis erat et barbara, ut insontem filiam in alta turri diu clausam detinuerit, eamque inde eductam ad præsidiis Martiani tribunal tanquam ream raptaverit; et tandem propria manu, patricidali magis quam paterna, ei caput amputaverit. Hæc sunt gloriosa et mirabilia, quæ de S. Barbara narrantur: *gloriosa dicta sunt de te*: gloriosiora hæc apparebunt, cum ea toto hoc discursu encomasticò diligenter perpenderitimus. *Ave.*

apostolum! Deus supra modum suos honorare voluit apostolos: *nimis honorati sunt*; honoremus et nos novum apostolum Xaverium. Cum turbae Paulum et Barnabam miracula facientes viderunt, eos ut deos inspexerunt, vocaruntque Barnabam *Jocem*, Paulum vero *Mercurium*; tantoque eos honore affecerunt, ut iis, tanquam diis, sacrificare vellent. Xaverio pariter multi ex Indis et Japonibus tantum impenderunt honorem, ut illi, tanquam Deo, victimas et libationes offerre contenderent, ac revera obtulissent, ni ille constanter eos cohibuisset. Ad hoc quidem idololatriæ genus declinare impium esset et gentile; attamen si barbare tanto venerationis affectu erga novum hunc Christi apostolum exarserunt, si illum honore summo prosequi cogitarunt et voverunt, nos, qui christiani sumus et qui ejus merita rectius ponderare novimus, omni saltem quo poterimus honore, eum afficere contendamus. Honoremus Xaverium, ejusque patrocinium imploremus. Cum mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur, Christum tetigit, virtus ab illo exivit, quæ hæc infirma sanata est: *tetigit me aliquis; nam ego novi virtutem de me exisse* (Luc. 8, 46). Tangamus similiter Xaverium precibus, ejusque nos protectioni subdamus, et virtus de illo exibat. Si superbiæ spiritu torqueamini, ad Xaverium accurrite, crebris orationibus eum invocate; orabit pro vobis Deus et illius interventa humilitatis virtutem obtinebitis. Si luxurie spiritu agitemini, ad purissimum et castissimum Xaverium advolate, ejus favores precibus multis implorate et ab eo exibat ad vos virtus castitatis. Si invidia, avaritia, vel aliud aliquid vitium vos premat, petite a Xaverio quod his vitiis oppositas a Deo vobis virtutes obtineat, et ejus meritis tales vobis infunderentur virtutes; cognoscat ille, quod hæc virtutes ad vos exierint: *ego novi virtutem de me exisse*. Dum sanctissimus ille apostolus in hoc mundo conversaretur, caecos illuminavit, infirmos sanavit, et mortuos multos suscitavit; hæc virtutes ab illo exierunt, et eadem virtutes ab illo nunc exirent, si ardentius illum precibus exoraremus: igitur in omni tribulatione et angustia ad eum confugite, eumque supplices orate. De illustri illius Indiarum apostoli reliquiis fertur, quod ubi Mala-

cam delate sunt, urbs illa a sævissima peste fuit liberata; hæc reliquia fuere quasi fimbria vestimenti sancti Xaverii, quam ut primum Malacenses cives tetigerunt, ab eo exivit virtus sanitatis: tangite reliquias animæ ejus, seu virtutes illius, eas imitando: tangite et reliquias corporis illius, eas venerando, et ex his reliquiis sic tactis ad vos effluent sanitas corporis et media efficacia ad salutem æternam consequendam. *Amen.*

DE SANCTA BARBARA.

CONCIO UNICA.

Gloriosa dicta sunt de te (Ps. 87, 3).

Sicut pulchri et sentibus flores, et venuste ac fragrantissima e spinosa stirpe rosa prodeunt, ita non raro ex maligna radice fructus pietatis assurgunt, et a parentibus infidelibus et impiis filii fideles, et omni pietate ornati nascuntur. Hujus veritatis celebre præfert testimonium S. Barbara, quæ licet a parentibus infidelitatis errore obsecratis, idololatriæ totaliter deditis, indole sua barbaris, et a Deo ad æterna incendia destinatis originem duxerit, ipsa tamen christianæ religioni nomen dedit, virginitatem suam Deo vovit, Christi martyri extitit et ab eo in coelis recepta ac gloriose coronata fuit. Nata est illustri hæc virgo in civitate Nicomedienſi a patre nobili et prædite, cujus nomen erat Dioscorus, et cujus natura ita agrestis erat et barbara, ut insontem filiam in alta turri diu clausam detinuerit, eamque inde eductam ad præsidi Martiani tribunal tanquam ream raptaverit; et tandem propria manu, patricidali magis quam paterna, ei caput amputaverit. Hæc sunt gloriosa et mirabilia, quæ de S. Barbara narrantur: *gloriosa dicta sunt de te*: gloriosiora hæc apparebunt, cum ea toto hoc discursu encomasticò diligenter perpenderitimus. *Ave.*

Dioscorus, teste S. Damasceno, erat vere princeps et regulus; ac proinde S. Barbara, non plebeji cujusdam, sed principis filia extitit; unde ei merito, sicut sponsae canticorum dicere possumus: *quam pulchri sunt gressus tui filia principis!* Quocumque enim graderetur illa principis filia, tanta ejus erat modestia, tanta prudentia, tantaque pietas, ut omnes ejus gressus pulcherrimos, Deoque gratissimos extitisse nemo non videat. Jamvero tres potissimum et specialiter notandi ejus fuerunt gressus: *primus* fuit a domo navitatis suae ad altam turrim, in qua a patre clausa, et diu detenta remansit: *secundus* fuit ab excelsa illa turri ad tribunal judicis Martiani, quo audita et judicata est: *tertius* fuit ab hoc tribunali ad paradisum, in quo a Christo, sacrarum Virginum sponso, benigne recepta et glorioso premiata est. S. Barbara propter pulchritudinem in turri fuit clausa; propter fidem ad judicis tribunal vocata, et propter sanctitatem in caelo recepta fuit. Contemplerur purissimam hanc Virginem in turri, in judicis tribunali et in caelo: 1. in turri, in qua clauditur; 2. in tribunali, ad quod sistitur; 3. in caelo, in quo recipitur; et in his omnibus locis adnotabimus gloriosa et mirabilia, quae de illa narrantur: *gloriosa dicta sunt de te.*

I PARS.

Gloriosa narrantur de S. Barbara, dum in turri clauditur.

Dioscorus in Barbara, velut in unica sibi filia, spem omnem deflexerat; eaque adhuc balbutientem nobilissimo cuidam destinarat connubio: cum ergo esset formosissima, illam in excelsa clausit turri, ne illam vir aliquis nec ipsis oculis attingere valeret; vel etiam ne ab aliquo sibi parum grato ad matrimonium sollicitaretur. Intra in hoc puritatis suae fortalium virgo prudens, ibique gloriosa peregrisse narratur: ibi enim idola despexit, fidem catholicam sectata est, et virginitatem vovit;

ibi 1. haec hominis idololatriae filia idola despexit; 2. haec hominis infidelis fidem catholicam amplexata est; 3. haec hominis impuri filia virginitatem vovit.

1. S. Barbara ab ineunte aetate idola in corde suo despiciebat; cum autem intra altae turris parietes fuit inclusa, ibi a saeculi tumultibus elongata serio et majori cum solitudine de vera divinitate cogitavit. Vexatio subtiliorem ei dedit intellectum, et solitudo, quae altiorum cogitatum, sensorumque parens esse solet, ei opportunam praebuit occasionem vortum a falso discernendi, ac dignoscendi deos gentium esse daemonia, et idola vilia solummodo esse hominum opera, quae oculos habent et non vident, aures habent et non audiunt; quapropter idola, eorumque cultum ex tunc maxime despexit et execrata est: *idolorum errorem ac cultum execrationi habebat.* S. Barbara in excelsa illa turri, velut in specula, mundi molem saepe saepius intento animo contemplatur, ejus pulchritudinem et magnitudinem demirabatur, et caeli, solis, necnon stellarum splendorem, terraeque ornatum et profunditatem perpendens, haec omnia ei pro codice erant, in quo legebat, quod cunctae creaturae essent opera veri Dei, cujus potestas est infinita: non autem idolorum, quae manus habent et non palpant, et quae ne unicum quidem culicem, vel vitem vermiculum efformare valerent; idcirco idola et idololatriam ita sprevit, exhorruit et detestata est, ut ad simulacra, quibus impius pater incensa adolere solebat, accedens, *in eorum despicibiles cultus despuerit, opportune Davidicam illum melos usurpans: similes vobis fiant, qui faciunt eos, et omnes qui confidunt in vobis.* Per idololatriam, seu idolorum cultum triplex, ut ait S. Bernardinus Senensis, Deo fit injuria: *prima ex eo, quod ei debite honorificentiae cultus subtrahitur. Secunda ex eo, quod alii impenditur et appropriatur. Tertia ex eo, quod ei aliud equatur.* Deus autem in corde S. Barbarae intra turrim latentis illud praecceptum sculpserat: *Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies* (Matth. 4): itaque Deo, quem unicum adorandum credebat, cultum debitum non subtraxit; talem cultum alicui creaturae, seu idolo non im-

pendit, nec supremo numini aliquam creaturam adaequavit; imo idola ita desepxit, et execrata est ut in eorum despiciabiles vultus despuerit. Miramini fervidum sanctae illius virginis zelum, quae licet patrem haberet idolis sensu carentibus ad insaniam usque devotum, illa tamen maxime desepxit, et quae, licet esset hominis infidelis filia, fidem christianam amplectata est.

2. Facile est homini a creaturis ad Creatorem, et a factura ad opificem ascendere; ex ipsa enim creaturarum consideratione facile cognoscitur et infertur supremum quendam esse conditorem, a quo ipsae originem habent; *invisibilia ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus et divinitas* (Rom. I, 20). Hanc divinitatis cognitionem S. Barbara in turri commemorata a creaturis habere cepit, ac insuper ibi de altioribus fidei christiana mysteriis foit erudita, tum a Deo, qui spirat ubi vult, et qui facientibus quod in se est, nunquam deest; tum ab Origene qui per epistolas, quae credenda et quae agenda essent, eam docuisse creditur; tum etiam a Valentino presbytero piissimo, a quo fuisse edoctam et baptizatam nonnulli arbitrantur; undecumque vero fidei lumine fuerit illustrata, certe constat innocentem hanc puellam in turri degentem de immortalitate animae, de caelesti beatitudine, de suppliciis perversorum, necnon de altissimis divinae Incarnationis et sanctissimae Trinitatis mysteriis fuisse edoctam, fidemque catholicam amplectatam: *veram christianorum fidem, velut in caelos subvehentem, confovebat, ac totam amplectabatur* (S. Jo. Dam., ser. de S. Barb.). Fides est ad salutem necessaria, nam *sine fide impossibile est placere Deo*; et ut assertit Christus (Marci 16), *qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur*. Unde Augustinus ait, quod *si non fuisset Cornelio necessaria fides Christi ad salutem, non fuisset ad illum edificandum missus architectus Petrus apostolus* (de corr. et gr. 7). Porro cum fides sit absolute necessaria ad salutem, quaerunt theologi, quid fieret de puero in silvis enutrito, qui ad aetatem adul-

tam perveniens, aliquandiu bene uteretur ratione naturali et recte juxta illius leges viveret? ad quod indubitanter respondendum, quod Deus hunc hominem de fidei mysteriis erudiret: quia sicut certum est, quod sine fide impossibile sit placere Deo, ita et certum est, quod Deus *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (Joan. 1, 9): illum autem hominem illuminaret et fidei mysteriis Deus doceret, vel exterius per homines, vel interius ministerio angelorum, vel etiam per se ipsum modo suae providentiae congruo. Quod et factum est in S. Barbara, quae licet intra excelsae turris moenia latitaret, Deus tamen eam de mysteriis fidei sive per homines, sive per angelos, sive per seipsum ita erudit, ut altissima etiam Incarnationis et sanctissimae Trinitatis mysteria eam non laterent. Noverat Incarnationis et Passionis Christi mysterium; parietibus enim crucis figuram in testimonium suae in Christum crucifixum fidei efformabat: noverat etiam et palam profitebatur fidem de augustissimo sanctissimae Trinitatis mysterio; cum enim Dioscorus pater ejus in turri, in qua ipsa habitabat, duas solum fenestras fieri imperasset hae Trinitatis ancilla, ut triplicem fenestram structure aptarent, operarios compulsi: patre autem ex ea percentante, cur tertiam illam fenestram praeciperit? constanter respondit, id se praecipisse caementariis ob reverentiam Trinitatis; indeque occasionem sumpsit de Trinitatis mysterio coram patre disserendi: *communodissimum argumentum nacta virgo inclyta, Trinitatis palam gloriam ac divinitatem, incredulum patrem ad fidem cohortans praedicabat*. O mirabilem adolescentulam, quae altissimorum fidei mysteriorum facta est magistra! illa credit, illa explicat, illaque patri infideli summo cum fervore praedicat: *et licet hominis impuri esset filia, virginitatem suam Deo vocet*.

3. Interim Dioscorus pro filia jam nulli sollicitatus fuit a multis nobilibus et praedivitis viris, qui ejus pulchritudine et opulentia allesti eam in matrimonium expetebant; ideo Barbaram opportuno tempore ipse convenit, ejus exploraturus voluntatem, ejusque consensum eliciturus. At ipsa animo in-

inobili declaravit patri, quod nil sibi cum terrenis hominibus, quodque mortali sponso nunquam nuberet, utpote quia immortalis Deo se jampridem per castitatis perpetuae votum totaliter dicaverat. Institit pater, ei representans quanto affectu optaret, ut sociale connubium iniret, ac prolis susceptione domini suae heredem relinquere, necnon magnatis ejusdem matrimoniali foedere totius familiae suae basis, columna et fundamentum evaderet; utque fortius ad suae consentiendum voluntati eam moveret, jubet ipsam votis annuere, inquit S. Damascenus: *at illa sermones ejusmodi, velut nugae intuens, denunciat patri rem hujusmodi nunquam suggerat. Nempe ridiculum, prorsusque absurdum censuit virgo, quae se semel caelesti ac immortalis sponso addixisset, eique adhuc visisset, ut iis qui, vermium instar in gentilitio festulento luto versabantur, obsecundaret.* O praecellam puellam, quae virginitatem suam Deo voverat, responsionem! o quam diverse etiam et oppositae dignoscuntur. Dioscori et S. Barbara cogitationes! Cogitaverat ille, cum filiam suam intra turrim clauserat, eam intactam, inviolatam et ab omni suspitione laesae integritatis immunem servare, ut per hoc gratior illi fieret, qui eam in matrimonium postularent. At illa intra turrim commorans cogitavit se cassam, puram et illibatam servare, non ut terrenum et carnalem virum, verum et Christum sponsum habere mereretur. Cogitabat Dioscorus non quae Domini sunt, sed quae sunt mundi; et Barbara cogitabat non quae mundi, sed quae Domini sunt: *virgo cogitat quae Domini sunt* (1 Cor. 7, 34). Cogitabat hic infidelis domus suae incrementum, familiae suae splendorem et filiae suae temporalem profectum; Barbara, quae erat virgo mente et corpore, cogitabat solum, quomodo placere posset Christo sponso, quomodo ad altius perfectionis christianae fastigium conscendere valeret, et quo modo ad caeli sedes elevari mereretur; idcirco de nuptiis temporalibus contrahendis non curavit, oblatos sibi quosque sponso respuit; et animo ita generoso et constanti virginitatis votum, quo se adstrinxerat, servare statuit, ut absurdum censuerit, relicto immortalis sponso, terreni ei proponerentur et

mortales, qui respecta illius sunt veluti viles vermiculi: *absurdum censuit virgo, quae se semel caelesti ac immortalis sponso addixisset, ut iis qui, vermium instar, in gentilitio luto versabantur, obsecundaret.* Sciebat purissima haec virgo quod bona est pudicitia conjugalis, melior est continentia vidualis, optima autem castitas virginalis. Igitur eligens quod optimum est, suam virginitatem Christo dicavit et non obstantibus paternis conatibus illesam servavit. Ecce quae de beata Barbara in turri existente narratur: modo ab illa turri ad praesidis Martiani tribunal transeamus; ibi innocentem hanc contemplerur adolescentulam et semper dicamus gloriosa, quae de illa narratur: *gloriosa dicta sunt de te.*

II PARS.

Gloriosa narratur de S. Barbara dum ad tribunal judicis sistitur.

Cum Dioscorus audivit a Barbara, quod esset christiana et virginitatis voto adstricta, patrem se esse oblitus et ira supra modum exastuans, illam coma arripuit, latera pedibus, scapulas pugnis contudit et per viam asperissimam summa violentia illam raptavit, ut praesidi Martiano traderet cruciandam; ad ejus tribunal cum fuit adducta, iniquus ille iudex nil intentatum reliquit, ut eam a proposito dimoveret, et ad deum sacrificandum compelleret: usus est enim blanditiis et minis; imperavit insuper eam flagellis et ignibus torqueri; iniqua tandem sententia eam ad uberum et capitis amputationem damnavit. Gloriosa quidem ista quae hic de S. Barbara narratur; ipsa etenim 1. generose restitit blanditiis et minis; 2. sustinuit patienter flagella et ignes; 3. passa est constanter uberum et capitis abscissionem.

1. Blanditiarum, inquit S. Joannes Damascenus, sunt diaboli prima esca, quia veterator satanas tyrannus inspirat, ut primo blanditiis christianos inescare et pervertere contendat. Tali

esca erga S. Barbaram usus est praeses Martianus; sedens pro tribunali et conspecta virginis illius florente vultus forma, in stuporem actus, blanditiis eam tentare cepit, ostendens, quam chara esset patri jam seni, cujus unica erat filia, in qua spem totam defixerat; eique persuadens illam non decere, quod tot amasios despiceret, quos maxima, qua rutilabat, pulchritudo ipsi conciliaret. Affirmans insuper quod, si a nova christianorum secta discederet, toto vite suae tempore deliciis multis frueretur, divitiis et honoribus cumlaretur; quod tandem, si diis immolare et incensa adolere vellet, parentibus, amicis et ipsi imperatori opus pergratum perficeret. His et aliis similibus blanditiis generose resistit S. Barbara, *illasque, volut canas incantationes, ac serpentis virus, horrendaque venena detestata est.* Quare praeses ad aliud tentationum genus animum convertit et quam blanditiis vincere nequivit, minis superare pertentavit, fratre vultu ipsi indicens, quod nisi diis sacrificet, acerba experietur supplicia mortemque crudelissimam patietur. Ipsa vero, ut subjungit sanctus Joannes Damascenus, *minas pariter ac blanditiis derisit,* dicens: ego parata sum ut immolein Domino meo Jesu Christo, qui fecit coelum et terram, ac mare et omnia quae in eis sunt; vestros autem deos pulchre propheta his verbis subsannavit: *os habent et non loquuntur: ventos habent et non videbunt: aures habent et non audiunt* (Ps. 113). O generosam Virginem, quae Martiani minas non extimuit; non fuit ipsa similis tyrannus, qui ad ramosculos et ad minimum aure flatum trepidant; timent, nullus licet eis minas intente: *sonitus terroris semper in auribus ejus et cum pax sit, ille semper insidias suspiciatur* (Job. 15, 2). Barbara autem, licet mortem minaretur praeses, nequaquam trepidavit; *sed minas pariter ac blanditiis derisit.* Quapropter scelestissimus ille tyrannus, fumanti ira commotus, alio animum suum convertit et pertentavit, *an flagellis et ignibus innocentem virginem superare possit.*

2. Flagellatio apud romanos vile et probum erat servorum supplicium, ut habetur in jure (ff. de pen. l. sercor). Hinc martyres saepe ad ignominiam flagellabantur, et veluti vilissima

mancia virgis vapulabant. Unde in aliquorum martyrum actis legimus: *martyr catomo, id est in scapulis, coedatur, aut virgis flagellatur.* O immanitatem et sevitiem Martiani, qui Barbaram non quidem conditione sua servam, sed unicam Dioscori principis filiam, ad ignominiosum illud servorum damnavit supplicium! o inauditam tortorum barbariem, qui immane decretum executioni mandantes, nudatae hujus virginis carnes teneras nervis bubulis dire ceciderunt, inflictaeque ex verberibus plagas acriter perficauerunt, ita ut totum corpus horrendum in modum erueret ruberet, nec a planta pedis usque ad verticem aliqua in eo appareret sanitas! ipsa autem, tanquam ovis coram tendente obmutuit et non aperuit os suum; pro sponsi sui Christi amore cuncta patientissime sustinuit. Unde si de Christo flagellato dicatur, quod in toto illius corpore amor ejus descriptus cerneatur: *cernis ut in toto corpore sculptus amor?* ita et cum flagellis caesa fuit S. Barbara, in toto illius corpore descripta et exarata ejus erat patientia, qua magis et magis exardescibat praesidis ira, qui flagellis ignes superaddidit et quam flagellari jusserat, *flammae torreret imperavit.* Ignium poenam, quam Tartullianus summam vocat: *summam ignium poenam* (I ad Mart. 4), tanta cum patientia sustinere tres pueri in fornace accensa inclusi, ut in medio ignis gaudentes deambularent: *legimus Ananiam Azariam Misael in camino ignis inclusos, in penarum suarum deambulasse flammis et igneos globos pedibus conculcasse* (Ambros. de ss. Laur. et Cyp.). Similem in puella Barbara demiror patientiam: discepto enim et dilaniato ejus corpore, jussu praesidis ignitae faces sunt admotae, ut sic tenella ejus caro adureretur; et cum sic cruciaretur virgo, gaudebat et jubilans dicebat: *non sunt condigna passionis hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis* (Rom. 8). O mirabilem hujus virginis patientiam! quam perfecte delineasse videtur Augustinus (ser. de S. Vincent.), ubi de illustri illo martyre ait, quod *tanta poena erat in membris, tanta securitas in verbis, tanquam alius torqueretur, alius loqueretur;* dum enim S. Barbara corpus dilaniaretur et flammis

adureretur, alia videbatur esse quæ torquebatur et alia quæ loquebatur: nam tanta ejus mediis in suppliciis erat patientia, ut cum torqueretur, lætaretur, omniaque tormenta velut oblectamenta respiceret, ajens: *non sunt condigne passionis hujus temporis ad futuram gloriam*. O miram Barbaram patientiam! o stupendam præsidis rabiem, qui innocentis hujus victimæ sanguinem flagellis elicitum et carnes adostas videns, nullatenus veneratur, imo nova excogitans supplicia, *ei ubera et caput amputari jussit*.

3. Pereximie dicit Chrysostomus, quod *virgo a bello nunquam cessat*; quod patet in B. Barbara, quæ quidem a bello nunquam cessavit: a teneris enim annis a patre fuit impugnata; deinde a præside Martino acerbissima experta certamina, dum ejus jussu flagella et ignium vim passa est; et nondum hæc transierat prelia, cum novum ei certamen obeundum occurrit, quia ab iniquo hoc tyranno ad uberum abscissionem virgo præclara damnatur. O supplicium omni exceptione majus; o intolerandam præsidis immanitatem! cui quidem S. Barbara S. Agathæ verba assumens dicere potuisset: *impie et crudelis tyranne! non te pudet in femina amputare, quod in matre susisti?* Ast gloriosa et constantissima Christi martyr non ad tyrannum, sed ad Deum oculos et verba sua convertit, damque ejus cæderentur et avellerentur ubera, cœlum inspiciens, ait: *ne projicias me Domine a facie tua, et spiritum sanctum tuum ne auferas a me* (Ps. 50, 13); hæcque plagam, ut refert S. Damascenus, *constanti animo, inque gratiarum actione effusa, decepit*. O spectaculum horrore plenum! Virgini ætatis duodecim annorum, purissimæ, innocentissimæ et sanctissimæ avelluntur ubera, consentiente insensibili patre, ordinante impio giudice et exequente barbaro carnifice. O angeli Dei! hæc demiremini adolescentulam virginitate sua sororem vestram, quæ ubera non habet: *soror nostra parvula ubera non habet* (Can. 8); ac tu, o nequissime tyranne, erubescere, quod tam immaniter hujus Christi oviculae ubera avulseris! excogita jam, si possis, molestius aliud cruciationis genus; imaginare novum aliquod tormentum muliebri durius sexui;

adde si lubet et aggera supplicii supplicia, invenies semper Barbaram virginem ad diriora quæque perferenda constantissimam: *adamantem invenies, ipsoque firmiorem adamantem*. Certe crudelis et acerbis tormentum advenire nequibat præses; ideo morte vitam ejus cito extinguere cogitavit et iniqua sententia *caput amputari imperavit*. Virginis Barbara in ultimo hoc certamine nunc contemplerur et demiremur constantiam; constans fuit et adamanto firmior, cum ei abscissa sunt ubera; cum vero ferali ei denunciatur decretum, tanta præstat constantiam, ut gaudium et insolitam quandam præferat alacritatem; mori gaudet, quia festinat ad palmam: *cum gaudio pulchra hæc columba, Christi causa, necem suscipit*. Quis autem inique hujus sententiæ erit actor? a quo occidetur innocens hæc victima? ab ipso patre, cui innocens Virgo toto animo cervicem protendit, et ipse propriæ prolis carnifex immani feritate ictum adegit. O infelicissime et miserande pater, vel potius, o dire tyranne! quomodo non horruisti sanctæ hujus martyris cervicem abscindere? quomodo non obtorpuit dextera qua propriæ filie lethalem ictum inferre pertentasti? O patris insani rabiem! O feritatem inauditam! O vesaniam furentis idololatriæ, simulque o admirabilem inelythe hujus virginis constantiam! Quæ animo hilari mortem recipit et patitur: *cum gaudio pulchra hæc columba, Christi causa, necem suscipit*. Doctet nos Spiritus Sanctus, quod inimici hominis domestici ejus (Math. 10), cujus dogmatis veritas sæpissime probata est apud Gentiles, qui a fide catholica aberrantes et abhorrentes, eorum inimici facti sunt, qui eam amplexabantur, licet propinquissimo cognationis gradu ipsi conjungerentur. Sic S. Tecla propriæ matris consilio accusata est et judicii tradita, ut viva exureretur. Sic S. Lucia Romana ab Eutropio ejus filio christiane religionis coram præfecto fuit accusata. Sic S. Christina virgo, jubente et præsentate patre, unguis ferreis toto corpore fuit dilacerata. Quid autem dirius et immanius in Dioscoreo deprehenditur, qui propriam filiam ad judicis tribunal raptavit, ad mortem damnari curavit et ferali gladio caput ei amputavit? O spectaculum omnibus sæculis de-

testandum et in aeternum praedicandam mansuetudinem et constantiam S. Barbara, quae antequam gladio feriretur, patri non improperavit, imo nec adversus eum missitavit! flexis genibus aliquantulum oravit, paransque collum gladio constanter ictum percepit et feliciter in Domino obdormivit. Ecce gloriosa quae narrantur de S. Barbara, dum ad iudicis tribunal sistitur. Jam autem sursum corda et mentem elevemur: contemplantur nunc sanctam illam virginem in coelo, et gloriosa in ejus laudem semper enarremus: *gloriosa dicta sunt de te.*

III PARS.

Gloriosa narratur de S. Barbara, dum in coelo recipitur.

Certissimum est, S. Barbaram in coelo a Domino receptam, ibi cum aliis Sanctis mercedem laborum et coronam glorie percipisse, ibique cum aliis virginibus et martyribus duplici virginittatis et martyrii aureola fuisse redimitam. In his autem, quae ipsi cum aliis Sanctis sunt communia, non immoror: ut specialiora de praecleara hac virgine in coelo existente enarrem, dico, quod ibi potentissima est respectu eorum qui illam pie invocant, quos efficaciter protegit in vita, in morte et in die iudicii. Igitur si ei sumus devoti et ejus auxilium precibus humiliter et ferventer imploraverimus, ipsa nos proteget. 1. in via nostra, quae est plena miseriis; 2. in morte, quae est plena periculis; 3. in iudicio, quod est plenum terroribus.

1. Quamdiu homo in hoc mundo degit, morbis et miseriis obruitur: *homo natus de muliere, brevi vivens tempore repletur multis miseriis* (Job. 14, 2): non unica ei inest miseria; multis repletur miseriis exterioribus et interioribus, ut exponit Hugo cardinalis et ut habetur in glossa interlineari, omnibus miseriis homo circumdatur et repletur, *quia omnia hic misera sunt*. Quare potenti quodam egemus protectore, cujus auxilio aut a mundi hujus miseriis tueamur, aut ab iis liberemur, aut saltem

in iis aliquomodo adjuvemur. Quis autem erit nobis adjutor in tribulationibus et in omnibus felicis vitae nostrae miseriis? Hoc beneficium libenter et efficaciter nobis impendet S. Barbara, si ad ejus confugiamus patrocinium, ejusque auxilium devote imploremus; quicumque enim ferventi fide ad sanctam hanc virginem accurrunt, eamque pie et enixe invocant, in omnibus morbis, periculis et adversis casibus eam adjutricem experiuntur; *omni liberantur periculo, aduersoque casu, qui te adjutricem, tuamque vindicem opem invocant* (S. Damasc.). Mirabili Dei providentia ordinatum est, ut Sancti in coelo existentes specialem habeant potestatem curandi morbos iis similes, quibus ipsi laboraverunt et infirmitates in iisdem partibus, quibus ipsi passi sunt, advenientes tollendi. Sic S. Rochus, qui peste laboravit, eodem morbo laborantibus subvenit. Sic S. Apollonia, cui avulsis fuere dentes, dolorem dentium patientibus succurrit. Sic S. Lucia pro infirmitatibus oculorum specialiter invocatur. Sic item S. Barbara, cui abscissa fuere mamillae, a mulieribus in mammis infirmitatem quandam patientibus invocari solet, ejusque intercessione a talibus infirmitatibus plerumque liberantur. At non est hic unicus morbus nec unica miseria, a qua Barbaram invocantes liberantur; ipsa enim in omni morbo et in omni adverso lujus vitae casu suis clientibus est propitia: *omni liberantur periculo, aduersoque casu, qui te adjutricem, tuamque vindicem opem invocant*. O miram protectricem in vita nostra, quae est plena miseriis et in morte nostra, quae est plena periculis.

2. In magnis versabatur periculis D. Paulus, dum in hoc mundo cum hominibus conversaretur: *periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus* (2 Cor. 12, 26). His autem immo et gravioribus in hora mortis versamur periculis; tum ex parte peccatorum, quibus obruimur; tum ex parte demonum, a quibus tentamur; tum a doloribus, quibus gravamur; tum saepe ex parte hominum, a quibus seducimur. Tunc torrentes et flumina iniquitatumstrarum nostrarum conturbant nos: pe-

riculis fluminum. Tunc demones, quasi latrones infensissimi, animam nostram furari et abripere conantur: *periculis latronum.* Tunc sæpe homines ex genere christianorum, vel etiam Gentiles, seu religionem christianam odio habentes nostræ salutis adversantur: *periculis ex genere, periculis ex gentibus.* Tunc timemus, ne nobis claudatur civitas sancta Jerusalem: *periculis in ciuitate.* Tunc nonnunquam angeli ob ingratitude[m] nostram soles nos deserunt: *periculis in solitudine.* Tunc mare variarum cogitationum in intellectu nostro periculosas excitat tempestates: *periculis in mare.* Tunc multi inveniuntur falsi fratres, imo et falsi filii, qui non de salute nostra, verum de temporalibus bonis auferendis sunt solliciti: *periculis in falsis fratribus.* Quod vero magis formidandum est, tunc in magno damnationis æternæ periculo versamur: *pericula inferni inuenerunt me* (Ps. 114, 3). Heu! quis inter tot pericula nos proteget? Deus quidem, qui protector est omnium sperantium in se, omnes etiam Sancti, si eos pio cum affectu invocauerimus; specialiter tamen S. Barbara, quæ non sine ratione a fidelibus pro mortis tempore invocari solet; eos enim, qui ipsi fuere devoti, tunc fideliter et efficaciter protegit; cuius rei plura adduci possent exempla, quorum aliqua qui scire voluerit, legat Pepini sermonem de S. Barbara, ubi de quodam mercatore huic sanctæ virgini devoto refert, quod *cum illum latrones decapitassent, caput non cessavit clamare pro confessione, quousque venit sacerdos, qui coniungens caput corpori, alter receit et confessus est: atque sacra communionem percepta obdormivit in Domino.* Illa etiam de alio sancto huic virgini devoto narrat, quod cum a carnificem in patibulo fuisset suspensus, vixit, donec sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum receperit. His et aliis exemplis, necnon quotidiana experientia constat, S. Barbaram clientes suos protegere in hora mortis, quæ est plena periculis et eos etiam protegit in extremo iudicio, quod est plenum tortoribus.

3. Cum venerit formidanda extrema iudicii dies, *cælum et cæli colorum, abyssus et uniuersa terra, et quæ in eis sunt, in conspectu illius commovebuntur: montes simul et colles*

et fundamenta terræ, cum conspexerit illa Deus, tremore concutientur (Eccl. 16, 18). Sicut principe pro tribunali sedente, non solum adstantes rei, verum et qui nil sibi consci sunt, timore et tremore comprehenduntur propter iudicis terrorem, ita, inquit S. Augustinus, cum genus humanum iudicabitur, non solum peccatores, sed etiam homines pii, immo et celestes ministri pœcunt et contremiscent. Heu! si tunc cælum et terra, homines iusti et ipsi angeli paveant, qualibus concutientur terroribus peccatores et impij? magni quidem et inexplicabilibus; propterea sive iusti, sive peccatores simus, timeamus et potentissimum quemdam inquiramus patronum, qui in hac die nos protegat; vel qui ita pro nobis intercedat, dum in hoc seculo vivimus, ut in statu gratiæ morientes, æternæ damnationis sententiam devitemus. Jamvero ubi talis inveniatur patronus? in terra vivitium, seu in cælo: ibi est S. Barbara, quæ clientibus suis pro die iudicii efficaciter patrocinatur; de ea enim legitur, quod antequam mortis sententiam subiret, flexo poplite, hanc ad Deum orationem fuderit: *da, Domine, ancillæ tuæ gratiam, ut quisquis mei meminerit, tu, Domine, ne memineris illius peccatorum in die iudicii, sed illi propitiis efficiaris:* et tunc, ut ait Damascenus, *facta est vox de cælo dicens: quæ postulasti, omnia concessi.* O qualem S. Barbaram in cælo potestatem! Astrologi ita signa in Zodiaco disposita esse adnotant, ut signum Virginis inter Leonis et Libræ signa collocetur. In die autem iudicii terribilis apparebit Zodiacus, in quo Christus velut leo rugiens videbitur; libræque dextera tenens homines librabit, ut in infernum mittantur hi, quorum opera non erunt plena; in regem, quorum opera inveniuntur plena et charitatis auro fulgentia, ad cælestes thronos subleventur. Reos in hoc Zodiaco signa leonis et libræ; Christus est leo; libræque manu gestat; ubi est signum Virginis? Erit sane, si velimus, in hoc Zodiaco signum Virginis nobis faustissimum, si pie et ferventer, dum in terra vivimus, sanctam virginem Barbaram invocemus, ad ejus patrocinium confugiamus; eam in singularem patronam eligamus; singulis diebus ferventi quadam oratione ejus pro-

piationem nobis conciliare conemur, et in die iudicii Barbara nobis erit in signum; tunc hæc virgo, Christi, Leonis de tribu Juda, iram mitigabit, ejusque libram in nostri gratiam inclinabit; non verbo ita res componet, ut Christus in die iudicii nobis propitius fiet. Ecce mirabilia quæ de B. Barbara in turri, in iudicis tribunali et in cælo existente narrantur. *In turri*, hæc hominis idololatæ filia idola desepxit; hæc hominis infidelis filia fidem catholicam sectata est, et hæc hominis impuri filia virginitatem vovit. *In iudicis tribunali*, hæc eadem adolescentula restitit generoso blanditis et minis: sustinuit patienter flagella et ignes, et passa est constanter uberum et capitis abscissionem. *In cælo tandem*, tanta apud Deum gaudet potestate, ut nos protegat in vita nostra, quæ est plena miseriis; in morte, quæ est plena periculis et in die iudicii, quæ est plena terroribus. Miramini gloriosa hæc, quæ dicuntur de S. Barbara: miramini, et his ad instructionem vestram utimini. Verum est, quod *omnis Christi actio nostra est instructio*; at velim etiam, quod ex actis S. Barbaræ duplicem eliciamus instructionem; *prima* et potissima instructio sumetur ex hoc, quod S. Barbara, in turri solitaria remansens, sanctificata sit. Heu! si vanis et perversis juvenum conversationibus frequens adfisset, forsân periisset: et quia in solitudine permanere coacta est, eminentem nacta est sanctitatem. Discite ex hoc mulieres, non circumcursare, non frequentibus juvenum colloquiis et conversationibus vos immiscere; discite domi tacere, ibi clauso ostio orare Dominum, vel sedulo domesticis vestris negotiis incumbere. O quam deploranda sors quarundam adolescentularum, quæ inter juvenum greges libere conversantur, ludunt, choreos ducunt, colloquia nocturno etiam tempore miscunt, ridunt, impuras narrationes audiunt et alia his similia operantur, quorum finis est infamia et interitus. O patres! o matres! serio perpendite, quantum in his conversationibus insit castitatis et salutis periculum, et ab iis filiis vestras pro viribus elongate: *filie tibi sunt, conserva corpus illarum* (Eccli. 7); vestras solícite filias custodite; ne illas vagari, talibusque conversationibus illaqueari sinatis; nunquam a vestro discedant

inspectu, vos comitentur in Ecclesia, a qua redeuntes maneat vobiscum in domo, ibi laborent, orent, peccata desistant et animam suam sanctificent, ad instar Bestiæ Barbaræ, quæ in solitudine sanctificata est. Hæc est prima instructio. *Secunda* desumi potest ex his quæ passa est S. Barbara. Heu! si hæc virgo duodecim solum annos nata, tot et tanta pro Dei gloria perpassa est tormenta; nonne nos pudebit, vel minimum quid pro Christo nolle pati? Heu! si tam immania animo hilari hæc Virgo devoravit supplicia, nonne nos pudebit, nolle jejunare, injurias condonare et alia, quæ in lege Dei videntur difficilia observare? Attendite illustrem martyrem, quæ gravissima pro Christo patitur et illius exemplo excitati, quæcumque dura et gravia in observatione præceptorum Dei occurrunt, generose portate, ut aliquando cum illa in cælis beari mereamini. *Amen.*

DE SANCTO NICOLAO

CONCIO UNICA.

Vir fidelis multum laudabitur (Prov. 28, 20).

Semper quidem operæ pretium fuit, illustria Sanctorum gesta enarrare, portentosa eorum propalare miracula, et cælestem illorum vitam populo annunciare. Verum si Sanctis omnibus illud observantia et religionis nostræ impendi debet officium, iis maxime, qui præ ceteris in Ecclesia non solum heroicis virtutibus, verum et mirandis affulsere prodigiis, e quibus haud dubio extitit S. Nicolaus Myræ episcopus, cujus tanta fuit abstinentia, ut ab incunabulis jejunare cepit; cujus talis in oratione extitit perseverantia, ut ab ea vix aliquando destitit; cujus tanta erga pauperes liberalitas, ut omnia sua in elemosinas

erogaverit; cujusque tot et tanta fuere miracula, ut juvenum et virginum, senum et juniorum, omniumque penitus hominum laudes sibi conciliarit: *hic est Nicolaus, quem laudat orbis terræ et qui habitant in eo; juvenes et virgines, senes cum junioribus laudant nomen ejus.* Laudavit eum Constantinus Magnus, qui, cum ejus sanctitatem inspiciebat, in cœlum suspiciebat. Laudavere eum omnes Concilii Nysseni Patres, qui ejus prudentiam, gravitatem et eminentem sanctitatem demirati sunt. Laudaverunt illum omnes pauperes, omnesque suae diocesis miseri, qui ejus beneficia senserunt et pervoperunt. Virum tandem hunc fidelem et sanctissimum in præteritis sæculis laudarent, in futuris laudabunt omnes populi: *vir fidelis multum laudabitur.* Eum et nos in hac concione pro viribus laudare conabimur. *Ace.*

Sanctus Nicolaus fuit dives, praelatus et justus. Fuit dives, non quidem avarus et immanis, sed erga Christi pauperes et egenos maxime liberalis. Fuit praelatus, non suo sane indigno ministerio; sed eo supra modum dignus. Fuit tandem homo justus, non sane justitia apparenti et pharisaica, sed vera, Deo grata, multisque miraculis declarata. Hic homo dives fuit pauperum pater; hic praelatus fuit episcoporum exemplar, et hic homo justus fuit afflictorum protector. Unde S. Nicolaum inspicio respectu pauperum, quibus abundanter subvenit, *ut dives; respectu grægis, cui sollicito invigilavit, ut praelatus; et respectu afflictorum, quos efficaciter protexit, ut justus.* Nicolaus, *ut homo dives,* ita pauperibus succurrit, ut eorum pater dici debeat; *ut praelatus,* ita de grege fuit sollicitus, ut episcoporum exemplar vocari queat; et *ut homo justus,* tantos in afflictorum gratiam a Deo favores impetravit, ut eorum protector nuncupari possit. Quæ omnia, ut fustis et clarus ad sanctissimi hujus Pontificis laudem explicentur, dicamus, quod fuit pater pauperum, exemplar episcoporum et protector afflictorum. S. Nicolaus fuit 1. dives et pater pauperum; 2. praelatus et exemplar episcoporum; 3. justus et protector afflictorum. Hæ sunt laudes, quibus S. Nicolaum prosequi cupimus; *vir fidelis multum laudabitur.*

I PARS.

S. Nicolaus fuit pater pauperum.

Job vir ditissimus pariter ac sanctissimus se pauperum patrem vocabat: *pater eram pauperum.* Quo quidem titulo merito insigniri debet S. Nicolaus, qui pauperes fuit pater amantissimus, beneficus et sapientissimus. Fuit 1. *pater amantissimus,* qui eos ut filios adamavit; 2. *pater beneficus,* qui eorum miseras sublevarit; 3. *pater sapientissimus,* qui eorum necessitates prævenit.

1. Job, qui non minus charitate, quam patientia sua a cunctis laudari meruit, pauperum pater dicitur ob singularem affectum, quo erga pauperes forebatur: *Job vocatur pauperum pater,* inquit S. Gregorius, *quia nimirum magno charitatis officio, studium misericordie vertit in affectum naturæ.* Paterna erga pauperes erant Jobi viscera, et sicut pater naturaliter prolem diligit, ita ut habetur in glossa interlineari, Job pauperum pater appellatur, *quia eos ut filios carnebat per amorem;* non eos solum ut clientes inspiciebat, qui ejus patrocinio indigerent; nec solum ut miseros, qui ejus egerent auxilio, sed ut filios charissimos, quos non secus ac filios magno affectu diligebat. Jobi erga pauperes amorem demiror; et in Jobo S. Nicolaum intueor, qui eodem spiritu accensus simul cum ipso fuit pauperum pater amantissimus; eos amavit ut pater, eos fovit ut pater, eosque non minori prospectus est amore, quam si proprii filii existissent; unde sicut Judæi dicebant: *pater noster Abraham est* (Io. 8), ita et pauperes dicere poterant et debebant: *pater noster Nicolaus est,* quia ut pater amantissimus eos veluti filios diligebat. Deus mirabili sua providentia ita naturales hominum inclinationes disponit, ut in diversis diverse esse soleant; alius enim ex innata sibi propensione ad divitias comparandas fertur et alius ad eas effundendas movetur; iste ludens amat et ille refugit;

hic cum hominibus conservari appetit et ille vitam solitariam supra modum diligit. Diversæ etiam et oppositæ hujusmodi propensiones in viris sanctis adnotantur; aliqui enim sunt proni ad liberalitatem et alii ad castitatem; aliqui ad opera misericordie sunt propensi et alii ad paupertatis, obedientiæ, vel alterius cujusdam virtutis actus sunt proclives. Talis autem innata propensio in viris sanctis per Dei gratiam et per continuum exercitium ita crescere solet, ut quilibet in virtute, ad quam specialiter est proclivis, plurimum proficiat, ino et aliquando ita progrediatur, ut hac in parte nullus eis videatur æqualis: *non est inventus similis illi*. O Nicolæ! quæ tua fuit propensio? ad cuius potissimum virtutis actus naturaliter fuisti proclivis? *Ab infantia crevit mecum miseratio et de utero matris meae egressa est mecum* (Job. 31); ipse ex ingenua sua propensione ad pauperum amorem ferebatur, et sicut Job dicitur *pater pauperum*, quia *per affectum paternum eos ut filios suos diligebat*, inquit Lyranus, ita Nicolaus respectu pauperum fuit pater pietissimus, qui per affectum paternum eos ut filios dilixit. Cor ejus paterno erga pauperes affectu indesinenter morebatur: si languiebant pauperes, langueret et ipse; si dolores patiebantur, dolore etiam cor ejus afficiebatur; si illi infirmabantur, infirmabatur et ipse; iis condelebat ut pater, iis compatiebatur ut pater; erat tandem pater amantissimus, qui eos ut filios adamabat: *et pater beneficis, qui eorum miseras sublebat*.

2. Job fuit pauperum pater non solum per affectum, verum etiam per effectum, ut ait Lyranus, quia scilicet non solum paterno corde eos diligebat, etiam quia manus suas ad illos extendebat, et largis quas erogabat elemosynis, paternum suum erga illos patefaciebat affectum. O Nicolæ! quis est paternus ille amor, quo pauperes prosequeris? Est ne amor pure internus, in solo cordis affectu reconditus? Nequaquam; Nicolaus enim non affectu solum, verum et effectu pater fuit pauperum; fuit enim pater beneficis, qui iis benefacere nunquam destitit; quippe qui ab adolescentia sua magnam divitiarum copiam, quas hereditate possederat, eis elargitus est; ita quod ille cum

pauperibus pauper remanserit, cum autem ad episcopatum erectus iterum divitiis afflueret, quidquid de redditibus suis carpere poterat, pauperibus erogabat; oblata etiam sibi a fidelibus bona ipse confestim in elemosynas impendebat, et non raro accidit, ut cum non haberet quo pauperum miseras sublevaret, ei divinitus daretur, quo illis subveniret; ipse vero tamquam legitimus Dei minister et veluti talium bonorum dispensator fidelis, nil de iis sibi retinens, ea pro cujuslibet necessitate distribuerebat. Unde hujus sancti viri manus tornatiles videbantur: *manus ejus tornatiles*; quia fere nihil de propriis ei de oblatiis sibi bonis suis usibus reservabat. Vel etiam dicendum, manus ejus fuisse quasi canales, quibus bona temporalia sive a parentibus, sive a fidelibus, sive immediate a Deo ad ipsum obvenientia, ad pauperes meabant. Vel etiam manus ejus erant quasi vehicula, quibus talia bona ad pauperes deferbantur, dum tamquam pater beneficis, quidquid suis juris erat, iis dispergebat. Unde Andreas Cretensis illum vocat *annonæ emporium*, quia in ejus manibus, velut in emporio, pauperes annonam, omniaque sibi necessaria raperebant. Luculenter de seipso dixit Ambrosius, quod pauperibus, quantum poterat et plus quam poterat, erogaret: *necessitates aliorum quantum possumus, juvamus, interdum plus quam possumus*. O mirabilem Antistitem Ambrosium, qui et id poterat et supra id quod poterat, in elemosynas effundebat! Atvero, o mirabilem etiam pontificem Nicolaum, qui in quocumque statu fuerit, quod potuit et plus quam potuit, pauperibus erogavit. In statu laicali suum eis distribuit patrimonium, ecce quod poterat; atque illud ita eis distribuit, ut nec ad victum necessaria sibi reservavit, ecce plus quam poterat. In statu clericali, et cum ad infulas fuit sublimatus, illam proventuum suorum dedit pauperibus portionem, quæ ab Ecclesia illis destinatur, ecce quod poterat; insuper alias ipsis elargitus est portiones, ita quod vix aliquid ad sui sustentationem servaverit, ecce plus quam poterat. In statu sanctitatis pereximia, ad quam erectus est, pluries Deus arcam et crumenam, quas prodiga ejus charitas ovacuaverat, pecuniis replevit; et quo magis erga ipsum Deus erat libe-

ralis, eo ipse erga pauperes magis prodigus, sibi vix retinebat, quo arcte victitaret, ecce *quod poterat et plus quam poterat*. O quam erga pauperes beneficus fuit S. Nicolaus! *Fuit etiam pater sapientissimus, qui eorum necessitates providit et praevenit.*

3. Cum Job, vir utique sanctissimus, se pauperum patrem vocat: *pater eram pauperum*, protinus subiungit, se patrem fuisse providum, eorum necessitatibus invigilantem, easque sedulo investigantem: *pater eram pauperum et causam quam nesciebam, diligentissime investigabam* (Job. 29, 16). Sciebat Job, quod patris prudentis et sapientis est, nondum praesentes filiorum necessitates sublevare, verum et futuras praevinire, lisque obviam ire. Quod et probe novit S. Nicolaus, qui iamquam verus pauperum pater non solum a praesentibus, etiam ab imminentiis et futuris necessitatibus eos liberavit; supra egenum et pauperem intelligebat, seu in eorum domo et corde legebat; ibi divino affulgente lumine, latentes et imminentes eorum necessitates scrutabatur et paterni amoris spiritali accensus, his solcite occurrebat. Videte qualis ejus fuerit sapientia, quantaque charitas et misericordia erga patrem illum nobilem et pauperem, qui de tribus filiabus suis prostituendis cogitabat; divino enim Nicolaum irradiante lumine, in hujus patris cor et mentem penetravit, pessimam ejus novit cogitationem; novit etiam, quod tam immania cogitaret, quia non habebat, quo filias suas jam nubes juxta earum statum et conditionem nuberet; ut ergo tanto occurreret malo et ut afflicti parentis necessitati subveniret, noctu et clam tantum pecunie per fenestram in ejus domum iniecit, quantum unius virginis doti satis esset, quod cum iterum et tertio fecisset, tres ille virgines honestis viris in matrimonium traditae sunt; unde dici potest, quod in hoc casu sancti Nicolai manus *distillaverunt myrrham*; quia sicut myrrae proprium est res integras servare, easque ne corrumpantur impedire; ita elemosyna, qua Nicolaus afflicti hujus patris necessitatem sublevavit, fuit quasi myrrha, qua ejus filias peccati corruptione defendit. Vel etiam dicendum, quod in hoc casu Nicolaus usus

sit arte Hippomenis de quo forte fabulose narratur, quod ut Athalanta velocissimum cursum retardaret, tria poma aurea successive et obviam projecerit, ad hoc ut illa, auri nimis avida, collectione pomorum suum interromperet cursum. Nicolaus autem, modo quodammodo simili, praevidens tres praefatas virgines ad corruptionem et damnationem praecipites currere, tria poma aurea, seu tres crumenas pecunias refertas jecit obviam, ut earum cursum retardaret et totaliter sisteret; o miram patris sapientissimi industriam! De Acrisippo refert Seneca, quod cum unum ex amicis infirmum et pauperem invisit, crumenam denarii plenam secreto et industrie sub ejus pulvinari posuerit; quam cum invenit infirmus, confestim clamavit: *O bonam Aristippi adinventionem!* Clamemus similiter ad sancti Nicolai laudem, quod magna ejus sapientia, mirabilisque ejus fuerit adinventio ad subveniendum harum puellarum necessitatibus: *O bonam Nicolai adinventionem!* Duos Deus in Arca aureos voluit esse Cherubim: *duos quoque Cherubim aureos et productiles facies*; voluit insuper, ut hi duo Cherubim se invicem respicerent: *respiciantque se mutuo*. Aurum, ex quo conflati erant duo illi Cherubim, auream proximi charitatem denotat. Hi autem Cherubim se mutuo respiciebant, quia qui proximum diligit, illum solcite inspicit, ejusque serio scrutatur necessitates, ut praesentibus occurrat, ut futura praeviniant. O quam paucos hujusmodi in mundi reperire est Cherubim, qui auro charitatis erga proximum fulgeant et qui oculos pauperum necessitatibus apertos habeant, ut eas misericorditer praeviniant! Ast his Cherubim similissimus fuit Nicolaus; quippe qui totus aureus extitit, ratione amoris paterni, quo erga pauperes, velut erga filios, exarsit; idemque amor, quo cor ejus succendebatur, et oculos dedit lynceos, ad praevidendas et praeveniendas eorum necessitates; praevidit quidem, ut diximus, praedicti patris necessitatem, quae tanta erat, ut ad sibi subveniendum filiarum suarum pudicitiam vendere cogitaret; praevidit etiam saepe saepius quid agrotis, quid esurientibus, quid navigantibus, quid gregi suo penuria afflicto, quid miseris multis ab ipso longe distantibus, quidque aliis puerilis foret

necessarium; prævidit et paterno affectu necessitates prævisas prævenit et sublevavit. Ecce verum patrem pauperum. Ad hæc sanctus Nicolaus fuit etiam *exemplar episcoporum*.

II PARS.

S. Nicolaus fuit exemplar episcoporum.

Ita in Ecclesia Mediolanensis fide, sapientia, sanctitate effulsit S. Carolus Borromeus, ut merito vocatus fuerit *exemplar vicum prelatorum, norma episcoporum*: aliud autem episcoporum exemplar, Nicolaum scilicet Myrensem episcopum jam propono. Hunc Andreas Cretensis *pastorum optimum ac antistitem gloriam* vocat; ipse autem extitit episcoporum exemplar 1. in vocatione sua ad episcopatum; 2. in exercitio bonorum operum; 3. in solitudine gregis.

1. Ambitio veluti pessimum virus, sæpe in corda etiam hominum aliunde piorum se diffundit, illosque ad multa crimina pertrahit: *sæpe quos vitia nulla defectunt, quos nulla potuit movere luxuria, nulla acartia subruere, facit ambitio criminosos* (S. Ambr. in Luc.). Non enim quisquam sumit, seu sumere debet sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron (ad Heb. c. 4). Unde qui non divina vocatione, sed cæca ambitione ducti, ad Ecclesiasticas dignitates ascendunt, fiunt facili criminosi, et ut ait S. Anselmus, explicans præfata D. Pauli verba, hi sæpe æterna maledictione feriuntur: *qui se ingerit et propriam gloriam querit, non sumit honorem, si pontifex aut prelatus in Ecclesia factus fuerit; sed gratia Dei rapinam faciens, jus alienum usurpat. Et ideo non accipit benedictionem, sed maledictionem*. Hi utique accipiunt maledictionem, quia nisi penitentiam egerint, iis a Deo dicitur: *discedite a me maledicti*. Tali autem maledictione feriri nequibat sanctus Nicolaus, utpote qui fuit exemplar episcoporum in vocatione sua; non enim caro et sanguis revelaverant illi, quod episcopalem ambiret dignitatem; non ad

illam adspiravit, ut oves tonderet et de illarum pinguedine saginaretur; non in ovile Myræum intravit ut lupus rapax, verum ut pastor sanctissimus a Deo ad illud custodiendum mirabili et insolito modo vocatus; mortuo enim Myrensi episcopo, cum provinciales episcopi ad eligendum successorem congregarentur, divinitus admoniti sunt, ut eum eligerent, qui postridie mane primus in Ecclesiam ingrederetur Nicolaum nomine; quod ipsi unanimi consensu exultantes perferunt, renuente Nicolao, qui tali se dignitate indignum censebat; illamque solummodo acceptavit, ut obtemperaret evidenti Dei vocationi, cui sine peccato obsistere nequibat. Lega Cæsarea sancitur, ne in episcopos eligantur ambitiosi; imo vero qui inviti sunt, qui cogendi sunt et qui veluti indigni talem honorem fugiunt: *queratur cogendus, qui rogatus recedat, invitatus fugiat. Profecto indignus est sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invitatus*. Illujusmodi utique fuit S. Nicolaus, qui cum audivisset se esse electum in episcopum, in corde suo, quasi alter S. Leo, dixit: *quid tam insolitum, tam pavidum, quam labor fragili, sublimitas humili, dignitas non merenti*. Hæc tunc fuerunt piæ cordis ejus cogitationes, quas verbis suis propalavit: omnibus enim quibus potuit rationibus, electoribus suadere conatus est, se tali indignum ministerio, nec illud acceptavit nisi invitatus; imo nec illud unquam acceptasset, nisi Dei vocationi resistere pertimuisset; unde Doctor Angelicus Nicolaum omnibus ad episcopatum aspirantibus in exemplum vocationis proponit: *tales, inquit, debent assumi, qui non se ingerunt, sed qui a Deo vocantur, sicut patet de beato Nicolao*. Fuit ergo sanctus Nicolaus exemplar episcoporum in vocatione ad episcopatum et in exercitio bonorum operum.

2. *Episcopatus nomen est oneris non honoris*, quia episcopi de dignitate sua non debent superbire, verum indesinenter bonis operibus insistere. Unde Christus apostolis, quorum episcopi sunt successores, dixit quod populis per bonorum operum exempla lucere deberent: *sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona* (Matth. 5, 16). Et ideo etiam D. Paulus Titum episcopum hortatur, ut non in

aliquo solum, in omnibus se præbeat exemplum bonorum operum: *in omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum* (Ad Tit. 2, 7). Nicolaus autem in episcopatu, non honorem, sed opus et onus quaesivit: ad hanc dignitatem erectus bonis et mirandis luxit operibus, necnon in omnibus, ubique et semper se bonorum operum exemplar præbuit. Ipse, ut de S. Cornelio pontifice ait S. Cyprianus, *episcopatum non postulavit, nec voluit, nec vi, ut ceteri quos arrogantiter et superbiæ suæ tumor inflat, incasit, sed quietus et modestus, et quales esse consueverunt qui ad hunc locum dignitatis eliguntur, vim passus est, episcopatum coactus accepit*; et postquam ad episcopalem assumptus est dignitatem, laus et suo munere dignis operibus indesinenter vacavit. Antequam fieret episcopus, jejuniis, orationibus, elemosynis et pijs alijs continuo insistebat operibus, a quibus nullatenus desistit, cum ad episcopatum fuit sublimatus; imo ivit de virtute in virtutem et ardentius quibuslibet pietatis operibus incubuit; jejunia ejus crebriora fuerat et arctiora; ferventiores et prolixiores ejus extitere orationes, charitas in eo eluxit ardentior, humilitas profundior, paupertas gravior, semperque seipsum ad perfectiorem et sublimius bonorum operum exercitium incoandum excitabat, dicens: *o Nicolaus! dignitas ad quam erectus fuisti, a te perfectiorem requirit vitam, ut alii sis in exemplum bonorum operum*. Ad summi pontificis Clementis quarti laudem dici solet, quod *quis magis crevit dignitate, eo magis floruit sanctitate*. Quod quidem apertissime Nicolaus congruit; cum enim monasterio fuit præpositus, pluribus et altioribus emicuit virtutibus, quam cum esset homo privatus; cum deinde ex abbate factus est episcopus, adhuc meliora simulatus est charismata: tunc quod potuit, instanter operata est manus ejus; tunc ad omnium virtutum fastigium majori cum sollicitudine contendit; tunc viliori usus est veste: tunc minus delicatè esse coepere cibi quibus vesceretur; semel dumtaxat in die deinceps comedit, et reliquo vitæ suæ tempore altioribus humilitatis, patientiæ, paupertatis et omnium virtutum operibus sedulo incubuit. Unde vere dici debet exemplar episcoporum in bonorum operum exercitio, ac etiam *in sollicitudine gregis*.

3. Bonitas pastoris non solummodo mensuratur ex virtutibus, quibus ut homo privatus incumbit, verum etiam ex iis, quas ut pastor, in cura et sollicitudine gregis sectatur; nam *bonitas pastoris ostenditur, cum sollicitè vigilat et custodit gregem suum* (S. Bonav. ser. Dom. 2 post Pasch.). Hanc gregis sollicitudinem pastoribus animarum commisit Deus, ita quod tam de seipsis, quam de omnibus animabus eorum cure demandatis rationem sint reddituri: *quasi rationem redditori pro animabus vestris* (Heb. 13, 17). Quilibet pastor in tremendo iudicii die duplex subibit examen; unum ut homo privatus et aliud ut pastor: ut homo privatus, de seipso: ut pastor, de grege reddet rationem; *pastor non solum de se, sed de grege sibi credito rationem Pastori pastorum omnium reddet*. Heu! quale onus prelati et omnibus animarum pastoribus incumbit. Heu quanta illorum erga gregem debet esse sollicitudo! Magna quidem et utinam tanta esset in quolibet pastore, quanta in S. Nicolao extitit: ipse enim, expletis his quæ ad Deum spectabant, suo totus esse videbatur gregi; ipse populis efficaciter prædicabat, instabat opportuna, importuna arguebat et increpabat in omni patientia et doctrinâ; ipse ardentissimo accensus zelo viduas ad continentiam, conjugatos ad castitatem conjugalem, avaros ad liberalitatem, iracundos ad mansuetudinem et omnes peccatores ad veram morum conversionem hortabatur. Ipse doctos et pijs instituit pastores, qui tam corporalibus, quam spiritualibus gregis necessitatibus sublevandis invigilarent. Ipse quod infirmum fuit, consolidavit: quod agrotum extitit, sanavit: quod contractum, alligavit: quod abjectum, reduxit: quod perierat, quaesivit. Ipse oves suo regimini creditas, verbo, orationum suarum studio, et piæ conversationis exemplo sollicitè pavit. Ipse strenue pugnavit contra Arianos, Sebellenos et alios multos hæreticos gregem suum infestantes. Ipse simulatorum aras, dæmonumque sedes everit, Christo ecclesias erexit, ac sacra martyrum templa plurima extruxit. Ipse tandem fuit pastor de grege sibi credito ita sollicitus, ut eum depinxisse videatur Hugo à S. Victore, dicens, quod pastor *oves agnoscit, infirmas consolidat, ad pascua ducit et reducit*,

lupos arcet, morbtidas sanat, errantes reducit, debiles portat, pereuntes requirit (de propr. rer. 4). O verum pastorem animarum, qui quidem aliorum extitit pastorum exemplar et atque etiam protector afflictorum.

III PARS.

S. Nicolaus fuit protector afflictorum.

Reges et magnates in potentie sue partem eos vocare solent, quos speciali amore prosequuntur: *princeps amicos suos participes facit ejus potentie, qua ipse ceteris antecellit* (Plato in Georg.). Deus ipse, qui nullius eget, quos amicitia sua honorare dignatur, potentie sue participes efficit: et sicut ipse protector est omnium sperantium in se, ita et sibi amicis clientes suos protegendi potestatem conferre solet. Unicum ex Dei amicis ad hujus rei confirmationem adducam, nempe S. Nicolaum, qui Dei subsidio fretus protexit 1. navigantes horribili tempestate jactatos; 2. innocentes ad mortem injuste damnatos; 3. infirmos variis morbis gravatos.

1. Cum die quadam Christus naviculam simul cum discipulis conscendisset, magna in mari exorta est tempestas, ita ut navicula operiretur fluctibus: tunc apostoli dormientem suscitavere magistrum, dicentes: *Domine, salva nos, perimus* (Matt. 8.). Jesus autem surgens, imperavit ventis et mari, et *facta est tranquillitas magna*. Quid simile S. Nicolao, pietatis causa Jerosolymam adeunt, accidit: cum enim navim conscendisset et cum aliis multis mari se commisisset, repentina coorta est tempestas, que tanta fuit, ut tota pene fluctibus operiretur navis: tunc nauta, qui Nicolai sanctitatem prænoverant, ad eum velut ad protectorem occurrerunt, clamantes: o Nicolaus! in manibus tuis nostram sortes: scimus, quod homo sanctus sis, quodque tempestatem sedare, et nos a presentis periculo liberare valeas, si velis; ideo supplices rogamus te, ut a Deo nostram impetres salutem: *salva nos,*

perimus. Oravit Nicolaus et subito *facta est tranquillitas magna in mari*, omnesque in navicula degentes, ipsius protectione evidens illud naufragii periculum evaserunt. Quod et in aliis pluribus eventit casibus, in quibus navigantes Nicolaum et dum viveret et post ejus mortem, ut potentissimum protectorem experti sunt; eos enim, ut ait Andreas Cretensis, pluries ad optatum portum quasi manu duxit: *o Nicolaus, ad te fide accedentes ad portum manu ducis*. Finxere poetae, Neptunum, Saturni et Opis filium, deum esse maris. Fallebantur quidem; nam unicuique est qui dominatur potestati maris et motum fluctuum ejus mitigat; hic autem non est Neptunus, sed Christus Dominus, cui ut Deo, ut creatori et moderatori suo mare fideliter obtemperat: *venti et mare obediunt ei* (Matth. 8, 27). Quae verba explicans Lyranus, ait, quod *ei obediunt ut creatura Creatori*. Etsi vero Deus solus per se et ex se potestatem habeat supra mare, ita quod ipse solus potestate sibi propria motus ejus mitigare, et tempestates sedare valeat, Nicolaus tamen intravit in potentias Domini et per potestatem sibi a Deo traditam navigantium subvenit, eosque a gravibus imminenti naufragii periculis saepe eripit: *qui descendunt mare in navibus*, inquit S. Bernardus, *ipsi videntur opera Domini et Nicolai per Dominum in profundo*. Unde sicut S. Rochus a pestilentia afflictis, et S. Laurentius a dolore dentium laborantibus invocatur; ita et S. Nicolaus navigantium patronus et protector agnoscitur; sic enim subjungit sanctus Bernardus: *si corruscationes fulgurant et procellis detonantibus a supernis vindicta procedit, Nicolaus patronum adsunitur, Nicolaus dulciter invocatur. Si tempestas siccitatis et crudelitas maris navigantium intentatur, flebiliter exoratur ut audiatur, suppliciter incoatur ut veniat, ut eruat misericorditer, acclamatur*. O potentissimum protectorem navigantium, ac etiam innocentium ad mortem damnatorum!

2. De sanctissimo Christi precursore dicitur, quod venerit in spiritu et virtute Eliae; in eodem quoque spiritu venisse videtur Nicolaus: similis enim fuit Eliae in abstinentia, in amore solitudinis, in vitae austeritate, in paupertate, in mundi con-

temptu, in zelo salutis animarum, et libertate prædicandi; magna tamen videtur differentia Eliam inter et Nicolaum in usu potestatis ipsis a Deo commissæ; nam potestate sibi a Deo tradita utebatur Elias ad plectendos peccatores, et Nicolaus ad protegendos innocentes. Elias terribili exardescens zelo, minas, terrores et flammam adversus iniquos spirabat, eosque igne de celo misso comburi et quasi annihilari optabat; Nicolaus autem potestate sibi a Deo data utebatur non ad impiorum destructionem, sed ad protectionem innocentium, quos a mortis faucibus pluries eripuit. Idecirco Andreas Cretensis illum vocat *velocissimum adiutorem injurias patientium, insontes liberantem et periculis*. Cum civitatis Myræ præfectus Eustachius tres cives ad mortem injuste damnasset, de iniqua hac sententia admonitus Nicolaus, subito ad locum supplicii occurrit, ubi tres illos innocentes, velatis oculis, manibus ligatis, flexisque genibus, feralem ictum expectantes invenit. Paraverat jam carnifex gladium, aptatus erat ad amputanda eorum capita; jamvero sicut olim Abraham angelus cohibuit, ne supra Isaacum suam extenderet manum: *non extendas manum super eum* (Genes. 22), ita Nicolaus, quasi alter angelus, ensam jam evaginatam e tortoris manibus eripuit; insontesque morti adjudicatos ab imminente supplicio generose et religiose liberavit tanta autoritate et majestate, ut præ reverentia ne unus quidem ei resistere attentaverit. De aliis tribus innocentibus injuste ab imperatore ad mortem damnatis fertur, quod in somnis imperatori apparuit Nicolaus, illum acriter objurgaverit, atque ad innocentes illos libertate donandos compulerit; unde præfatus Andreas Cretensis Nicolaum sic affatur: *eos qui velat injurias facere colubus, clara in somnis visione ipsos imperatores informans*. O mirandum protectorem innocentium! ac etiam infirmorum.

3. In Verbo Incarnato infirmitatum et necessitatum omnium remedium esse dignoscitur: *in verbo sunt omnia: ibi remedium vulnerum, ibi subsidia necessitatum* (S. Bern. in cant. 86). Verbum autem Incarnatum, seu Christus, qui potestatem habuit curandi omnes infirmitates, hujusce potestatis Nicolaum

participem effecit: quamdum enim sanctus hic pontifex in terra cum hominibus conversatus est, non animarum solum, etiam corporum fuit medicus, dum potestate sibi data desuper innumeros infirmos miraculose sanavit. Quæ potestas non ad tempus solum, in æternum a Deo ipsi concessa videtur. In sanctis pluribus hæc potestas sanandi infirmos, non permanens, verum transitoria fuit, quia simul cum ipsis desiit; in Nicolao vero permanens, constans et perpetua extitit, quia ipso defuncto, non defuit, nec languores curare cessavit, cum vivere destitit; etiam post mortem innumeros curavit infirmos et per liquorem quemdam pretiosum et sacrum ex ejus fluentem reliquiis variis gravatos infirmitatibus adhuc curat, et ut merito creditur, usque ad finem seculorum curare non desinet: *crebescunt quotidie mirabilia, nec requiescit spiritus Dei ad memoriam militis sui sua continuare miracula*. Deus piis nonnunquam sanctorum obsecrandæ inclinationibus, eorumque innatis favet propensionibus; sic cum D. Paulus zelo salutis animarum quasi sibi innato uteretur, Deus, ut illius faveret inclinationi, omnes qualitates, quæ perfectum efformare valent concionatorem, ei concessit: *factus sum ego predicator*. Et quod mirum est, voluit etiam Deus, quod prædicationis donum in Paulo mortuo perseveraret et hic Gentium Doctor per epistolas quas scripsit et per virtutum exempla quæ reliquit, populi concionaretur: *Paulus etiam post mortem prædicat*, inquit Chrysostomus. Sic sanctus Nicolaus, cui ab adolescentia innata quedam ad infirmos et omnes miseris sublevandos inerat propensio, a Deo infirmos curandi potestatem obtinuit, ac potestatem firmam et constantem, quæ post ejus etiam mortem perseverat: ejus enim reliquæ pretiosam distillant myrrham, seu sacrum quemdam liquorem effundunt, qui perpetuo et subsistenti quodam miraculo pluribus infirmis ad medelam prodesse non desinit. Unde licet mortuus sit Nicolaus, non est simul cum illo mortua potestas sanandi languores: vivit enim in hoc liquore, qui efficitur quasi perpetuum medicamentum, quo mediante sanctus ille pontifex adhuc infirmos consolatur, protegit et sanat. O mirandum pontificem Nicolaum, qui non solum

pater pauperum et exemplar praelatorum, etiam protector extitit afflictorum: fuit pauperum pater amantissimus, qui eos ut filios adamavit: pater beneficus, qui eorum miseria sublevavit: et pater sapientissimus, qui eorum necessitates praevenit. Fuit etiam S. Nicolaus exemplar episcoporum in vocatione sua ad episcopatum, in exercitio bonorum operum et in solitudine gregis. Fuit tandem protector afflictorum, qui protexit navigantes horribili tempestate tactatos, innocentes ad mortem injusto damnatos et infirmos variis morbis gravatos. Ecco laudes, quas ad sancti Nicolai honorem promere fas mihi fuit. Miramini nunc, fratres, sanctum hunc Antistitem in multis vere mirabilem; verum et virtutes ejus pro viribus imitari conamini. Parum est, quod ejus merita et miracula laudemus et demiremur, ni ejus virtutes et sanctos mores imitemur: oportet, ut qui sanctorum merita religiosa charitate miratur, quique justorum glorias frequenti laude colloquitur, eorum mores sanctos atque justitiam imitetur (S. Crisost. de Mart.). Optarem in primis, quod cum omnes in amore et charitate erga pauperes imitarentur. O utinam divitibus hujus saeculi similis inesset erga pauperes amor! utinam omnes divites essent pauperum patres! heu! e converso eorum plurimi pauperum fiunt pateremptores, potius quam patres; eos enim ut quietis suae perturbatores et bonorum suorum praedones saepe respiciunt, hisque pluries dare renunt, quod sine quadam immanitatis nota brutis denegare nequirent: pauperes et divites Deus de uno limbo fecit, et pauperes et divites una terra supportat; pauperibus autem subveniendi Deus divitibus onus imposuit; divitibus a Deo relictis sunt pauperes, ut eorum necessitatibus occurrant: tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor (Ps. 9). Pauper a divite debet petere quae sibi sunt necessaria et divites ad ea eroganda tenentur: pauperis est rogare, et divitis erogare. Heu! si scirent divites, quantum a Deo amentur qui pauperes diligunt, quanto Deus prosequatur odio eos qui pauperes oderunt; eos utique diligenter et erga illos se misericordes exhiberent. Certissimum est, quod qui facit misericordiam, a Deo misericordiam consequetur; et quod judicium erit sine mi-

sericordia ei qui misericordiam non fecerit; itaque, o viri divitiarum, estote misericordes, ut a Deo misericordiam consequi valeatis. Peccastis? Estote misericordes erga pauperes et elemosyna a peccatis vos liberabit: elemosyna ab omni peccato liberat (Tob. 4, 12). Supersunt vobis aliqua peccatorum reliquia, seu aliqua ponere exsolvenda? elemosynis eas solvite: peccata tua elemosynis redime. Timebis ad tartara detrudi et in infernum praecipitari? Facite elemosynam et ipsa vos ab aeterna morte liberabit: elemosyna a morte liberat. Elemosyna tandem a Deo impetrabit, ut cum S. Nicolao ad aeterna tabernacula perducamini. Amen.

DE SANCTO AMBROSIO

CONCIO UNICA.

Ministerium tuum imple (2 Tim. 4, 5).

Si ad praeclearissimum mediolanensem archiepiscopum hominibus commendandum faciendus quidam et disertus requireretur orator, meis, fateor, humeris hoc impar esset onus. Si sanctissimi hujus Antistitis scientia, virtutes et merita artificiosis et exquisitis sublimis eloquentiae floribus forent exornanda, mihi ipsi nunc altum indicerem silentium, et ingenue faterer, me nescire loqui: ecce nescio loqui. Hodie vero rem jam milles factam iterum aggredior et merita proclamanda suscipio quae a fama, veluti sonora quadam tuba, jam dudum vulgata sunt; sancti enim Ambrosii fama per omnem jamdudum volavit Europam, quam scriptis suis ditavit: per universam diffusa est Ecclesiam, quam virtutibus et meritis suis exornavit, et per totum dispersa est terrarum orbem, cujus decus, sidus et quasi sol extitit. Quapropter huic sideri novum decus, huicve soli novam lucem afferre nec

pater pauperum et exemplar praelatorum, etiam protector extitit afflictorum: fuit pauperum pater amantissimus, qui eos ut filios adamavit: pater beneficus, qui eorum miseria sublevavit: et pater sapientissimus, qui eorum necessitates praevenit. Fuit etiam S. Nicolaus exemplar episcoporum in vocatione sua ad episcopatum, in exercitio bonorum operum et in solitudine gregis. Fuit tandem protector afflictorum, qui protexit navigantes horribili tempestate tactatos, innocentes ad mortem injusto damnatos et infirmos variis morbis gravatos. Ecco laudes, quas ad sancti Nicolai honorem promere fas mihi fuit. Miramini nunc, fratres, sanctum hunc Antistitem in multis vere mirabilem; verum et virtutes ejus pro viribus imitari conamini. Parum est, quod ejus merita et miracula laudemus et demiremur, ni ejus virtutes et sanctos mores imitemur: oportet, ut qui sanctorum merita religiosa charitate miratur, quique justorum glorias frequenti laude colloquitur, eorum mores sanctos atque justitiam imitetur (S. Crisost. de Mart.). Optarem in primis, quod cum omnes in amore et charitate erga pauperes imitarentur. O utinam divitibus hujus saeculi similis inesset erga pauperes amor! utinam omnes divites essent pauperum patres! heu! e converso eorum plurimi pauperum fiunt pateremptores, potius quam patres; eos enim ut quietis suae perturbatores et bonorum suorum praedones saepe respiciunt, hisque pluries dare renunt, quod sine quadam immanitatis nota brutis denegare nequirent: pauperes et divites Deus de uno limbo fecit, et pauperes et divites una terra supportat; pauperibus autem subveniendi Deus divitibus onus imposuit; divitibus a Deo relictis sunt pauperes, ut eorum necessitatibus occurrant: tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor (Ps. 9). Pauper a divite debet petere quae sibi sunt necessaria et divites ad ea eroganda tenentur: pauperis est rogare, et divitis erogare. Heu! si scirent divites, quantum a Deo amentur qui pauperes diligunt, quanto Deus prosequatur odio eos qui pauperes oderunt; eos utique diligenter et erga illos se misericordes exhiberent. Certissimum est, quod qui facit misericordiam, a Deo misericordiam consequetur; et quod judicium erit sine mi-

sericordia ei qui misericordiam non fecerit; itaque, o viri divitiarum, estote misericordes, ut a Deo misericordiam consequi valeatis. Peccastis? Estote misericordes erga pauperes et elemosyna a peccatis vos liberabit: elemosyna ab omni peccato liberat (Tob. 4, 12). Supersunt vobis aliqua peccatorum reliquia, seu aliqua ponere exsolvenda? elemosynis eas solvite: peccata tua elemosynis redime. Timebis ad tartara detrudi et in infernum praecipitari? Facite elemosynam et ipsa vos ab aeterna morte liberabit: elemosyna a morte liberat. Elemosyna tandem a Deo impetrabit, ut cum S. Nicolao ad aeterna tabernacula perducamini. Amen.

DE SANCTO AMBROSIO

CONCIO UNICA.

Ministerium tuum imple (2 Tim. 4, 5).

Si ad praeclearissimum mediolanensem archiepiscopum hominibus commendandum faciendus quidam et disertus requireretur orator, meis, fateor, humeris hoc impar esset onus. Si sanctissimi hujus Antistitis scientia, virtutes et merita artificiosis et exquisitis sublimis eloquentiae floribus forent exornanda, mihi ipsi nunc altum indicerem silentium, et ingenue faterer, me nescire loqui: ecce nescio loqui. Hodie vero rem jam milles factam iterum aggredior et merita proclamanda suscipio quae a fama, veluti sonora quadam tuba, jam dudum vulgata sunt; sancti enim Ambrosii fama per omnem jamdudum volavit Europam, quam scriptis suis ditavit: per universam diffusa est Ecclesiam, quam virtutibus et meritis suis exornavit, et per totum dispersa est terrarum orbem, cujus decus, sidus et quasi sol extitit. Quapropter huic sideri novum decus, huicve soli novam lucem afferre nec

intendo, nec valeo; attamen ne in tam digna, tamque ampla dicendi materia totaliter immutescam, dicam solummodo, quod episcopale ministerium digne impleverit Ambrosius: *ministerium tuum imple*. Episcopalem dignitatem tanti fecit sanctos ille Antistes, ut eam omnibus mundi dignitatibus præterlerit: *nihil in hoc seculo sublimius episcopis reperitur*. Ardentissime simul optabat, ut quilibet episcopus digne suum impleret ministerium: *ad hoc ut nomen congruat actioni, actio respondeat nomini, ne sit nomen inane et crimen immane; ne sit honor sublimis et vita deformis*. Quod autem in aliis episcopis peroptabat Ambrosius, ipse perfectissime possedit: ipse enim dignissime suum ministerium implevit, ut videbimus. *Ace.*

Ut episcopus digne ministerium suum impleat, mores suos componere, hæreticos arcere et populo sibi credito lucere debet. Necessè est, quod episcopus a seipso incipiat, moresque suos ita componat, ut aliis sit in exemplum: *seipsum præbe exemplum*. Postquam autem episcopus mores et vitam suam debite composuit, a grege suo lupos arcere, seu hæreticos gregem infestantem vitare et exterminare debet: *hæreticum hominem decipit*. Debet tandem episcopus populo sibi commisso lucere, eumque pro viribus instruere: *luceat lux vestra coram hominibus*. Hæc tria qui perfecte observaverit, recte ministerium suum implebit, et eo quis suum dignius adimplebit ministerium, quod perfectus hæc executioni mandaverit. Ex quo auspicari quisque facile potest, quam digne et quam perfecte episcopale ministerium adimpleverit sanctus Ambrosius; ipse namque mores suos ita composuit, ut vita ejus aliis episcopis in speculum exponi queat. Ipse etiam hæreticos ita impugnavit, ut eorum fuerit flagellum. Ipse tandem populis ita illuxit, ut fulgentissimum eorum lumen extiterit. S. Ambrosius fuit 1. speculum prælatorum; 2. flagellum hæreticorum; 3. lumen populorum. Tribus his honoris titulis hæreticis constabit, quam perfecte sanctus hic Antistes ministerium suum impleverit. *Ministerium tuum imple.*

I PARS.

S. Ambrosius fuit speculum prælatorum.

Divus Ambrosius se episcopatu indignum et omnium episcoporum minimum esse arbitrabatur; *non eram, inquit, dignus cocari episcopus, et sum quidem minimus omnium episcoporum, et infimus merito* (De pen. 2, 8). Aliter de sancti Ambrosii meritis sentiebat Theodosius imperator, qui dicere consueverat: *solum Ambrosium novi episcopum dignum eo nomine*. Ipse quidem episcopatu ita dignus fuit, et episcopale ministerium tam perfecte implevit, ut in omnibus prælatorum speculum extiterit et præcipue 1. in fuga dignitatum; 2. in dispensatione honorum suorum; 3. in innocentia vita.

1. Episcopalis dignitatis græve onus habet adnexum; *nomen episcopi plus sonat operis, quam honoris: quoniam episcopus non tam ut præsit, quam ut prosit, eligitur* (lun. III, de myst. mts). Unde in S. Concilio Tridentino habetur, episcopatum esse *onus angelicis humeris formidabile*. Et sanctus Vincentius Ferrarius ait, illud onus esse culiibet importabile, nisi speciali Dei auxilio adjuvetur: *prælatio habet onus importabile, nisi Deus juvet*. Non desunt tamen, qui ad episcopalem dignitatem evehi ambiant, quia non onus, sed honorem inspicunt; vel, ut loquitur sanctus Bernardus, quia *sola attenditur gloria, non poena*. Ast S. Ambrosius onus, poenam et pericula a dignitatibus inseparabilia perfecte inspiciebat, ad episcopalem dignitatem sublimari pro viribus recusavit, omnemque movit lapidem, ut oblato huic se subderet honori. Audita orat in medio eligentium centu infantis vox miraculose formata, dicentis: *Ambrosius episcopus*. Hæc voci omnium electorum accesserant vota; gauderat omnis populus, quod in episcopum eligeretur vir prudentissimus, qui cum insignibus consularibus ad gubernandam mediolanensem provinciam missus fuerat; Ambrosius autem gravissimum prælaturæ onus extimescens, nil intentatum

reliquit, ut illud declinaret. De sancto Gregorio, revera magno, narratur, quod cum totius Ecclesie votis in summum pontificem fuerit electus, enixa efflagitavit fieri irritam electionem suam; quod ut nequivit impetrare, dissimulato habitu Roma excedens, in silva aliquandiu latuit, donec Deus columna ignea ejus latebras apernit. O mirabilem pontificem, qui exemplo suo dignitatum fugam omnes Ecclesiasticos docet! Similiter mirabilem se exhibuit sanctus Ambrosius, qui non solum electionem suam irritam fieri petiit, verum et populum ad suae electioni contradicendum movaret, nunc gravibus usus est minis, nunc se fore crudelem fluxit, et tunc suadere voluit, se honestis moribus destitutum, ac proinde tali munere indignum; ubi vero has omnes industrias sibi inutiles esse novit, imperatorem rogavit, ut electionem irritam faceret; quod cum impetrare minime potuisset, noctu semel et iterum clam e civitate fugit, necnon aliquandiu absconditus delituit. Unde si de homine ambizioso dicat Sidorus, quod *per fas, nefasque crescere affectat*, videtur, quod e contra Ambrosius per fas, nefasque decrescere conatus sit; dixi per nefas, quia ne eligeretur in episcopum, finxit se esse impudicum, non bonae fame mulieres in suam inducens domum, quod quidem nefas et malum censendum, nisi sancta Sancti hujus intentio, quod de se et ex sui natura malum erat, bonum, sanctum et omnibus saeculis mirandum effecisset (1). Viri ambitiosi Dei gloriam non respiciunt, solum dignitates, quas ambiunt: *hoc maximum habet vitium ambitiosus, quod non respiciit Deum, sed per fas et nefas ad dignitatem tendit* (S. Antonin.). Sancti Ambrosii intentio semper fuit sancta, semper Deum et Dei gloriam respexit; in omnibus industriis ad quas se vertit, ut episcopatum se subduceret, semper Dei gloriam intendit; nec

(1) Potius dixisset: nisi sancta intentio factum de se malum excusasset: nec enim fieri potest ut intentio bonam reddat, quod natura sua malum est; tantummodo excusat a peccato enim, qui illud operatur bona fide, putans se recte agere; atque hisce adiunctis opus est materialiter sive in se, non formaliter sive in agente malum. X. E.

illum unquam acceptasset, si Dei gloriae et voluntati contradicere non timuisset. O mirabilem praelatum et vere speculum praelatorum in fuga dignitatum, *ac etiam in dispensatione bonorum temporalium.*

2. Pessimum vitium est avaritia, quo innumeri et omnes fere homines ligantur: *a minore usque ad majorem omnes avaritiae student et a propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum* (Jerem. 8, 13). Exitiosum illud vitium, omnium peccatorum radix et causa esse videtur: *radix omnium malorum cupiditas* (1. Tim. 3); propterea D. Paulus quemlibet episcopum specialiter hortatur, ut omnem avaritiae spiritum a se abloget: oportet, inquit, *episcopum non esse litigiosum, non cupidum*; seu, ut explicat D. Hieronymus, oportet episcopum *esse sine avaritia*. Praefata etiam D. Pauli verba explanans S. Ambrosius, ait, episcopum ab omni avaritia ita debere esse alienum, ut nulla superflua ambiat; ex paucis Ecclesiae, quos recipit, redditibus, quod poterit pauperibus distribuat. *Penitus non ambiat, quae intelligit esse superflua; sed de ipsa potius paupertate Ecclesiae suae libenter impertit pauperibus Christi (de dign. Sacerd.).* Ecce regulam perfectionis, quam episcopis praescribit sanctus Ambrosius, et quam ipse perfectissime tenuit; postquam enim ad episcopalem cathedram ascendit, non solum ecclesiasticos proventus, suum etiam patrimonium, quod pinguisimum erat, in eleemosynas, aliosque pios usus erogavit: *omne aurum et argentum quod habere potuit, Ecclesiae, vel pauperibus contulit: praedia autem, quae habebat, donavit Ecclesiae, ut nullus et expeditus miles Christum Dominum sequeretur.* Sanctus Gregorius, re et nomine magnus, vult, quod *episcopus longam manum habeat*. Heu! debetne episcopus aliis longiorem habere manum? eam utique ita longam habere debet, ut plus quam ceteri eam ad pauperes et necessitatem patientes extendat; *longam manum habeat, necessitatem patientibus occurrat*, inquit Sanctus Gregorius. Manus episcopi non debent esse contractae et clausae, sed pauperibus aperte et extense, ut eorum necessitatibus provideat: *gloria episcopi est pauperum inopiam providere.* Haec est gloria episcopi, inquit Sanctus Hieronymus;

et si cuique diviti turpe et indecorum est pecunias coacervare et mendicantibus eleemosynam denegare, maxime episcopo; nam, ut ait Sanctus Augustinus, *non est episcoporum serpare aurum et argentum, et a se recocare mendicantis manum.* Hæc probe noverat sanctus Ambrosius, qui *omne aurum et argentum, quod habere potuit, Ecclesie vel pauperibus contulit.* Unde Sanctus Ambrosius talis extitit, qualem esse optabat quemlibet episcopum S. Bruno: *verus episcopus desiderat non aurum, non divitias, non jucunditatem sæculi, sed laborem utilem sibi et his supra quos intendit* (in ep. ad Tim. 1). Talis autem extitit sanctus Ambrosius, qui pro salute populi sibi crediti sollicitè laboravit, pugnando contra hæreticos, hæresum excindendo spinas, vivam pietatis doctrinam affatim seminando, et omnia boni pastoris munia adimplendo; utque expediret esset ad laborandum pro salute proximi, *omne aurum et argentum, quod habere potuit, Ecclesie vel pauperibus impendit.* O non satis commendabilem episcopum! qui vere fuit speculum prelatorum in dispensatione bonorum temporarium: *ac etiam in innocentia vite.*

3. Christi summi et divini pontificis innocentiam prædicat divus Paulus, dicens: *talis enim decebat, ut nobis esset pontifex sanctus, innocens, impollutus* (Heb. 7, 6), tantamque ejus innocentiam extitisse declarat, ut a peccatis et peccatoribus totaliter elongatus fuerit: *segregatus a peccatoribus.* O utinam huic similem omnes peccatis homines haberent innocentiam! Jamvero vae nobis miseris, qui in hoc mundo diu vivere non valeamus, quin in aliquid saltem leve peccatum incidamus: *neque enim est homo qui non peccet.* Unde cum dicit apostolus: *oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse,* non debet intelligi, quod tanta episcoporum esse debeat innocentia, ut non in quodque vel minimum peccatum incidant; sed quod tanta esse debeat, ut sint bonæ famæ et propter aliquid grave crimen non male audiant. Et hæc innocentia perfectissime potuit est sanctus Ambrosius; ita innocens fuit, ut de aliquo crimine vere argui non poterit; nam cujus, quaeso, criminis reus diceretur sanctus hic Antistes? Dicetne quis illum fuisse avarum?

Heu! cuncta sua in pios usus impendebat. Forte quis susurabit, illum fuisse luxurie obnoxium? Imovero si credimus Hieronymo, Ambrosius virginitatem perpetuo servavit illasam. Suspiciamurne illum fuisse gulæ addictum? Heu! ad convivia invitatus, nunquam accessit et maximam sectatus est abstinentiam. De quo ergo peccato illum arguemus? Non de superbia, cum humilitatis ergo, ad ecclesiasticas dignitates sublimari renuerit. Non de hæresi, cum hæreticos fortiter confutaverit et pro fide catholica generose decertaverit. Non de vindicta, cum omnibus benefacere studuerit. Non tandem de alio quocumque crimine: cum enim, ut in episcopum eligeretur, se secolotum esse flexit, hoc populis suadere nequivit. Unde si de Juditha dicitur, tantam ejus extitisse innocentiam, quod non esset *qui loqueretur de ea verbum malum,* ita sancti Ambrosii tanta extitisse videtur innocentia, ut non esset qui de eo loqueretur verbum malum; nec revera de eo quis verbum malum absque injustitia loqui poterat, quia, ut ait divus Bonaventura, in Ambrosio nullum peccatum, nullaque immunditia apparebat: *fuit, inquit, dicens Ambrosius candor lucis æternæ, nihil habens immunditiæ.* Ecce in Ambrosio verum speculum prelatorum, qui fuit etiam *flagellum hæreticorum.*

II PARS.

S. Ambrosius fuit *flagellum hæreticorum.*

Attila, qui cuncta ferro et flammis vastabat, ut omnibus terrorem incuteret, se *flagellum Dei* nuncupabat; flagellum pariter Dei S. Ambrosium appellabo, non quidem hujusmodi flagellum, quo Deus usus est ad profuganda regna et ad seclera multa punienda; fuit flagellum Dei adversus hæreticos, seu flagellum hæreticorum eo quod eorum 1. potentiam compressit; 2. audaciam coëruit; 3. sectas dissipavit.

1. Hæretici, ab his qui ad eorum conversionem non mittuntur,

summo studio sunt vitandi, tum quia pravum omnino et undequaque corruptum animum habent: tum quia, ut ait Bernardus, homo hæreticus est inimicus crucis Christi, seminator discordiæ, fabricator schismatum, turbator pacis, unitatis divisor (ep. 195 ad Const.); ob hoc maxime vitandi sunt, quod maligna sua doctrina, eos cum quibus conversatur, decipere festinent. Hi sunt serpentes venenati, qui undique serpunt et omnes quibus se affricant, veneno suo intoxicare conantur et eos præcipue, qui sunt divites et potentes in sæculo, eorum animos et benevolentiam sibi conciliare contendunt, ut eorum autoritate fulti, si rationibus et argumentis vincere minime valeant, saltem minis et tormentis terreat: imo et ut eorum autoritate frefi, impune crucient quos ad sectas suas adducere non valent; solent, inquit Bernardus, sibi allicere blandis sermonibus et simulatione virtutum divites et potentes, juxta illud: solent in insidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem (ib.). Fraudulento hoc artificio nisi sunt hæretici, ut de sancto Ambrosio triumpharent; divitum multorum et hominum auctoritatem habentiam sibi conciliarunt animos et præcipue imperatricis Justinæ, quæ adversus sanctum pontificem sæviebat, ejusque libertati obsistebat: qui tamen hæreticorum potentiam non finivit, eorumque minas parvipendit: sic enim alloquitur aliquem ex hujus farinae hominibus, qui ei mortem minabatur: *minas tuas non timeo: carnem enim occidere potes, animam autem non potes* (ep. 14). Ipse enim de Dei agebatur gloria, omnis penitus formidinis erat inscius; ignis, gladius, bestia et unguis carnes lacerantes, voluptatis potius ipsi fuissent, quam terroris; unde pio voto dicebat: *utinam Deus aperiat hostes ab Ecclesia, et in me omnia tela convertat, ut meo sanguine sitim quam expleant*. Ecce Antistitem vere intrepidum et impavidum, cum res Dei agitur: quid ergo diceasiss sue hæreticis proderit adversus illum divites et potentes armare? Eorum forte minis terrebatur, fietque tamquam canis mutus non valens latrare? Absit hoc a tam generoso pontifice, qui trepidare non novit; accedat imperatrix Justina in ipsum spumans minarum et cædis; veniant

Arianorum, Priscillianorum, Novatianorum et aliarum sectarum capita et protectores; insurgant contra ipsum satellites, exercituum duces et imperatores; tantum abest, quod eorum minas, potentiam et sævitiam metuat, quinimo ipsorum et omnium hæreticorum potentiam contemnit et comprimit. Videte quomodo Jovinianum ab Italia expellit: quomodo Priscillianum heresiarcham ad se venientem rejicit; quomodo interdictionis penam Valentiniano imperatori comminatur, si idola restituendi facultatem concedat. Videte demum quomodo Justinæ potentiam compressit: ipsa, cum esset imperatrix, autoritate sua Ecclesie Siriaensi pastore orbata arianum antistitem dari curavit; at Ambrosius, invita Justina Augusta, Avennum, virum orthodoxum ejusdem civitatis episcopum constituit. Eidem Justinæ aliquam Arianis ecclesias tradere volenti, fortior obstitit Ambrosius et prevaluit. Cum tandem necari tentaretur a Justina, ipse ei semper constantissima restitit et de ea triumphavit. Unde Ambrosius in medio hæreticorum se gessit quasi alter Judas Machabæus, qui similis factus est leoni in operibus suis, seu, ut explicat Lyranus, quasi leo fuit, cujus rugitu terrentur bestia, et flunt stupida; sic gentes idolatre audito nomine Judæ. Cur non idipsum dicamus de S. Ambrosio, qui tantum abest, quod hæreticorum potentia terretur sit, quin contra quasi leo fortissimus, rugitu suo hæreticos terruit, eorumque potentiam debilitavit et compressit? Ipse eorum etiam audaciam coercuit.

2. Hæretici audaces et impudentes esse solent; sub pello ovina animam operiunt leoninam; speciem quandam pietatis præferunt, dum hypocritarum more, boni non esse, sed videri student. Sæpe exterius videntur agni et semper interius sunt lupi rapaces; vel, ut ait sanctus Augustinus, sunt lupi semitarii induti ovina pelle: interna tamen eorum malitia pluries ad extra manifestatur et præsertim cum de stabilienda, vel propugnanda sua secta agitur; ipsi enim tunc tamquam canes impudentissimi audacter et temerarie omnia petunt, omniaque moliantur, quæ prave sue intentioni suffragari arbitrantur. Hanc eorum audaciam adnotavit apostolorum princeps, dicens, quod

hi post carnem in concupiscentia immunditiae ambulantes, dominationemque contemnunt, audaces, sibi placentes, non metuunt introducere blasphemantes (2 Pet. I, 10). Huiusmodi erat vita et audacia, vel potius impudentia haereticorum, qui tempore divi Ambrosii in Italia vigeabant: erant omnes amantes semetipsos, abdomini et concupiscentiae carnis dediti; eorum aliqui poenitentiam, alii jejunium et alii virginitatem aversabantur et damnabant. Obsecro illi satanae filii dominationem sperabant et potestati, sive ecclesiasticae et spirituali, sive civili et temporali subdite reprobant; effraeno sectas suas inducendi et firmandi desiderio ducti, audacter et impudenter petebant et moliebantur quidquid votis suis favere aspiciantur. Alii sanctas catholicorum Ecclesias, ut ex iis nefariae suae religionis delubra, vel potius sectae suae fortalitia conficerent, petulantur sibi dari postulabant: alii majorem cum audacia ad dignitates pontificias sublimari contendebant: alii se solos veros catholicos proclamabant et ut tales ab imperatoribus et summis pontificibus agnosci et recipi impudenter petebant. Ast sanctus Ambrosius iis semper et ubique fortiter restitit, et eorum audaciam ita valenter coërcuit, ut ejus hac in parte virtutem explicare haud valeamus: *quis sufficienter dicat, quam constanter Ambrosius haereticis restiterit, quam lucide haereses confuderit?* (S. Bonav. ser. de S. Amb.). Certa hoc nullus explicare valeret. Videtur, quod tunc maxime Ambrosius leonis naturam induerit: *episcopus, inquit S. Bonaventura, debet esse leo fortissimus, ut ad nullius paveat occursum.* Ambrosius autem, quasi leo generosissimus, non solum haereticorum potentiam confregit, eorum etiam audaciam ita coërcuit, ut quam potens in hac expeditione fuerit, explicatum arduum efficiatur: *quis sufficienter dicat?* Igitur haereticos repressit corumque sectas dissipavit.

3. Cum in archiepiscopum mediolanensem electus fuit sanctus Ambrosius, variis haereticorum sectis universa mediolanensis diocesis, imo et tota Italia infestabatur: *terra mediolanensis frugifera conversa erat Ambrosio in salsuginem a malitia haereticorum habitantium in ea; tota etiam in Italia erat*

squallens, horrensque desertum spinis obsitum, incivium, feris, idest haereticis, tantummodo percivium (Baron.). Ibi triumphabant Ariani, ibi Priscillianistae, ibi varii aliarum sectarum haereticis florebant; imo et ibi nonnulli Gentiles idolis incensa adolebant. Adveniens autem D. Ambrosius, feras pessimas, seu haereticos totam infestantes Italiam fugavit, spinas haereticorum avulsit, errores extinxit et tanquam flagellum a Deo missum, ita haereticorum sectas dissipavit, ut omnem Italiam ad veram Christi fidem converterit: *Mediolani Ambrosio episcopo constituto, omnis ad fidem rectam Italia convertitur.* Zorobabel a rege Cyro missus, loca sancta purgavit, templum restituit et altare reedificavit, ut Altissimo holocausta medullata offerrentur: *surrexit Zorobabel filius Salathiel et fratres ejus, et edificaverunt altare Dei Israel, ut offerrent in eo holocaustata.* D. Ambrosius ad episcopatum mediolanensem sublimatus, quasi alter Zorobabel, opportune a Deo missus, loca sacra ab haereticis profanata purgavit, templa diruta restituit, altaria solo aequata reedificavit, Altissimo sacrificia offerri curavit et grassantes undique errores expulit, haereticorumque sectas ita dissipavit, ut avitam Christi fidem jam ab aliquo tempore multis in locis exulem, feliciter revocaverit, totamque Italiam ad veram Christi fidem converterit: *Mediolani Ambrosio episcopo constituto, omnis ad fidem rectam Italia convertitur.* Ecce quomodo S. Ambrosius fuit flagellum haereticorum: qui pariter extitit *lumen populorum.*

III PARS.

S. Ambrosius fuit lumen populorum.

Sicut sol omnium lumen est populorum, omnibusque sive piis sive impiis illucescit, ita, inquit Doctor Seraphicus, *instar solis omnibus lumen praestat Ambrosius, omnibusque luget, magnis et parvis, catholicis et haereticis, peccatoribus et justis.* Et revera lumen populorum dici debet S. Am-

brosius, quia populus illuxit 1. libris quos composuit; 2. prædicationibus quas habuit; 3. virtutibus quibus floruit.

1. Optime dixit Sapiens, solem suo lumine cuncta respicere; *Sol illuminans per omnia respexit* (Ecc. 42, 16); quæ verba varias ob rationes D. Ambrosio conveniunt, et in primis ratione librorum quos composuit, quibus cunctis pene illuxit populus; hos typis mandari curavit Roma, illos summo affectu tota appetit Italia, eos omnis demirata est Europa, illosque magno auctoritatis præconio sancta Mater Ecclesia confirmavit. Eos plurimum laudat Doctor mellifluus S. Bernardus; hisque ad dictorum suorum confirmationem usi sunt duo Ecclesiam lumina Ss. Augustinus et Hieronymus, quorum ultimus ait, quod Ambrosii omnes sententiæ fidei et Ecclesie et omnium virtutum sunt columnæ; et D. Augustinus asserit, Ambrosium de humilibus submitte loqui, de mediocribus temperate, de magnis sublimiter, pro rerum varietate, ac dignitate, sed arguta et succinca brevium sententiarum copia. Addam ex Abbate Trithemio, quod S. Ambrosius in divinis Scripturis atque in secularibus literis omnium facile doctissimus, græco atque latino sermone ad perfectum instructus, in exponendis declarandisque divinis Scripturis omnes Doctores vicit. Ecce qualia fuerit scripta, qualesque libri S. Ambrosii, quibus doctis et indoctis, hæreticis et catholicis, justis et peccatoribus, necnon cunctis fere hominibus illuxit. Luculenter dixit Tertullianus, quod cælum luminibus floret; quod intelligentium non solum de cælo empyreo, in quo fulgebant iusti sicut sol in conspectu Dei; nec etiam solum de firmamento, in quo innumere rutilant stellæ; verum et de Ecclesia, quæ est cælum mysticum, in quo tot sunt lumina, quot Doctores, qui eam scriptis suis illustant. Inter prima autem Ecclesie lumina agnoscitur D. Ambrosius, qui scriptis suis illuxit juvenibus, quos mundi contemptum docet in libro de fuga sæculi; puellis, quibus virginitatem amorem inspirat in libris de Virginibus; viduis, quas ad continentiam allicit in libro de Viduis; sacerdotibus, quos perfectissime instruit in libro de instructione sacerdotum. Illuxit etiam pastoribus et peccatoribus in li-

bris de cura pastoralis et de penitentia. Alios tandem multos composuit libros, quibus omnis generis et conditionis hominibus mirum in modum affulsit. Unde iure merito asseritur quod S. Ambrosius ratione librorum quos composuit, sit *lucerna lucens*, cum iis mirabiliter hominum mentes illuminet. Dum etiam Ambrosius illuxit populus per libros, quos composuit, iis etiam illuxit prædicationibus, quas ad populum habuit.

2. Tria sunt prædicatorum genera, inquit Hugo cardinalis: *primi male vivunt et male docent; secundi bene docent, sed male vivunt; tertii bene vivunt et bene docent.* Hi qui male vivunt et male docent, tenebræ potiusquam lux dici debent, quia super populos tenebras et non lucem diffundunt. Qui bene docent et male vivunt, verbis lucent, non operibus, et quæ verbis suis faciendæ docent, operibus suis non esse peragenda suadent. Qui tandem bene vivunt et bene docent, noscuntur veræ mundi lumina, quoniam populus suis prædicationibus vere illucescunt, de quibus propterea verò dicitur, quod sint lux mundi, et quod per prædicationem et declarationem sermonum Dei homines illuminent: *declaratio sermonum tuorum illuminat.* Et hoc potissimum dicendum de S. Ambrosio, qui cum sanctissime viveret et assidue ferventibus prædicationibus operam navaret, innumeros omnis generis homines illuminavit. Unde de eo dixit Doctor Seraphicus, quod fuerit lux se cunctis variè communicans, et præcipue per prædicationes suas, quæ ita fuere efficaces, ut quot suis concionibus peccatores converterit, haud facile enarrari queat: *quis sufficienter dicat, quam fideliter et prudenter sanctus hic docuerit et quoties predicando converterit!* Sanctus ille Antistes ad prædicandum populo ex officio et ex præcepto teneri se arbitrabatur: *Nos, inquit, quibus verbi divini creditæ est dispensatio, et qui gregem Christi alendum, nutriendumque suscipimus, non sine ingenti periculo nos credimus evasuros, si non secundum hunc modum vivamus, aut etiam si minime predicemus. Et licet ad hæc predicanda nos retardet hujus vitæ improbitas, invocat nos tamen præcepti necessitas. Et vix mihi si minime prædicavero!* (De dign. Sac.) Cum igitur S. Ambrosius

ex præcepto et sub damnationis æternæ periculo ad prædicandum populum se teneri censeret, singulis diebus dominicis et sepe etiam aliis diebus concionabatur, suarumque concionum tam felix erat successus, ut multos in peccatorum tenebris et in umbra mortis sedentes illuminaverit, nec non innumeros ad Deum converterit: *Quis sufficienter dicat, quantos prædicando converterit?* Scimus, quod D. Augustinum Doctorem aquilam suis concionibus illuminaverit sanctus Ambrosius. Illum concionantem frequens audiebat Augustinus ante suam conversionem: *sepe, inquit, in popularibus sermonibus suis Ambrosium lectus audiebam* (Conf. 6, 3). Ambrosium audiebat et sermonibus ejus illuminabatur; verba Ambrosii prædicantis fiebant quasi faces, quibus illustrabatur Augustinus, et ab errorum suorum tenebris revocabatur. Neque solum D. Augustinum, verum et innumeros alios suis prædicationibus illustravit Ambrosius: *quis sufficienter dicat, quantos prædicando converterit?* Populus illuxit etiam S. Ambrosius virtutibus, quibus floruit.

3. Episcopum, qui populo sibi credito virtutibus non illucescit, quid monstruosum censet D. Bernardus (De cons. 2): *monstruosa res, gradus summus et animus infimus; sedes prima et vita ima*. Nec una, aut altera, verum pluribus virtutibus florere debent episcopi, ut ait S. Antoninus: *multis virtutibus debet splendere vita pontificis, ut gradus conferat splendorem*. Virtutes autem episcopi minime communes et repentæ, sublimes et heroicæ sunt oportet, seu illas in gradu perfecto et sublimi sectari debet, inquit sanctus Gregorius: *dignitas episcopi non constat in ambitione culminis, sed in sublimitate virtutis* (in 1 Reg. 5). O mirabilem episcopum Ambrosium, qui supra Ecclesie candelabrum positus, multis hisque sublimibus populo suo illuxit virtutibus, quibus indesinenter incubuit; charitas ejus fuit ardentissima, indefessus salutis animarum zelus, vigilia circa gregem continua, nunquam satis laudabilis patientia in adversis, fortitudo ad ardua quæque suscipienda intrepida simul et religiosa; magnanimitas profunda; humilitati adjuncta; ejus abstinencia fuit cum prudenti moderatione

rigida, mortificationes ejus graves ejusque orationes assidue extitere; unde de ipso vere dici potest, quod multis et magnis virtutibus populo illuxerit: *iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est*. Dicebat S. Ambrosius (epistol. 82) quod *in episcopo vita formatur omnium*; ideo primus ipse vitam suam formavit; nam ad episcopalem evehctus dignitatem, relicta rerum domesticarum cura, ipse totum se spiritualibus negotiis mancipavit; sacrificium quotidie, summa prævia animi præparatione, celebravit; quolibet de dominico in Ecclesia concionatus est; penitentium confessiones magno motus commiserationis affectu assidue audivit; lités tamquam æquissimus arbiter frequentissime composuit; proprium corpus tanta disciplina coercuit, ut continuo illud jejuniio afflictarit; magnis et arduis totius Ecclesie negotiis summa cum religione indesinenter vacavit. Tanta ejus fuit humilitas, ut se episcoporum minimum et episcopatus indignum judicaret; tanta ejus liberalitas, ut diceret: *omnia, quæ mea sunt, pauperum sunt*; tam constans et generosa ejus extitit fides, ut asseruerit, quod prius et auferretur anima, quam fides; charitatem qua ardebat, satis superque manifestarunt lacrymæ, quas pluries pro aliorum culpis abundantissime fudit. Mirabilis in omnibus fuit ejus zelus et præcipue in tuitione ecclesiasticæ libertatis, et in expellendo ab Ecclesia Theodosio imperatore. Alias multas ejus virtutes taceo, quæ omnes plurimum refugient; in magno enim Ambrosio omnes virtutes habentur magnæ: *iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est*. Miramini sanctum hunc episcopum, qui vere ministerium suum implevit, cum fuerit speculum episcoporum, flagellum hæreticorum et lumen populorum: *speculum fuit episcoporum* in fuga dignitatum, in dispensatione bonorum suorum et in innocentia vite. *Fuit flagellum hæreticorum*, dum illorum potentiam repressit, eorum sectas dissipavit, eorumque audaciam coercuit. Fuit tandem *lumen populorum*, quia populus illuxit libris quos composuit, prædicationibus quas habuit, et virtutibus quibus floruit. Ecce pontificem, qui verissime et perfectissime ministerium suum implevit. O utinam omnes penitus homines sic suum ministe-

rium impierent! o sacerdos, o religiose, o mercator, o vos omnes, quotquot in hoc mundo vivitis! attendite quod sit ministerium vestrum, videte ad quod ministerium a Deo vocati sitis, sedulo inquirete et probate quid a vobis Deus exigit: *probetis quæ sit voluntas Dei bona, ac beneplacens et perfecta* (ad Coloss. 8): agnita autem Dei voluntate, ei adimplendæ insistite; postquam noveritis ad quod Deus vos ministerium vocavit, illud sollicite et perfecte adimplete. O sacerdos, ea fac quæ veri sacerdotis sunt! o religiose, ea adimple quæ statum tuum spectant! o iudex, o medicus, tu qualescumque status et conditionis sis, adimple perfectissime quæcumque ad ministerium tuum pertinent. Philosophia christiana hæc est: digne ambulare vocatione, qua vocati sumus, seu, quod idem est, ministerium nostrum implere: hæc est vite spiritualis compendiosa summa; et in tremendo iudicii die non a nobis inquiret Deus, an mortuos suscitaverimus, an montes ex uno loco in alium transtulerimus, vel an alia miracula fecerimus; verum an ministerium nostrum impleverimus. Non quæret etiam Deus a sacerdote seculari, an vitam eremiticam sectatus sit; nec a iudice vel medico postulabit, an Ordinis cuiusdam regularis statuta servaverit; a sacerdotibus, a iudicibus et a cunctis hominibus exquiret, an ipsi vocanti obtemperaverint, et an in statu, ad quem vocati fuerant, ministerium suum impleverint: hos autem servos, qui suum non impleverint ministerium, mittet in tenebras exteriores: *mitte eum in tenebras exteriores* (Matt. 21, 13). Cuique autem illorum, qui pie et perfecta ministerium suum impleverint, dicit Deus: *euge serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui*. Estote ergo fideles in adimplendo ministerio vestro, ut aliquando in gaudium Domini intretis, et æternam beatitudinem obtineatis. Amen.

DE CONCEPTIONE B. M. VIRGINIS.

CONCIO PRIMA.

Quæ est ista? (Cant. 8).

Si cuncta totius vite Mariæ momenta ponderare, penetrare et oratorio sermone illustrare liceret, ne unicum totius vite ejus inveniretur instans, in cujus elogia facundus orator erumpere non valeret: quippe quæ singulis quibus in hoc mundo vixit momentis mente, corde, tota denique anima mirabiliter Deo placuit, eique charitatis ardentissimæ vinculo perfectissime adhesit. Ast felicissimum conceptionis momentum, in quo purissima ejus anima corpori fuit infusa, specialioribus dignum videtur encomiis, cunctisque hodie concionatoribus amplissimam et subtilissimam dicendi materiam subministrat. Verum quidem est, quod sacrum illud Mariæ conceptionis instans fuerit quasi abyssus antiquioribus sacræ Theologiae magistris impenetrabilis; illud momentum perfecte nosse non eorum erat: *non est vestrum nosse tempora, vel momenta*: illius momenti plenior et perfectior notitia Doctori subtili et alii qui post ipsum floruerunt, Doctoribus servata fuisse videtur (1): hi abditissimum illud mysterium scrutati sunt et innu-

(1) Sic se res habebat auctoris avo; felicior nobis essit ætas, cum hæc veritas de immaculato B. V. Conceptu non quibusdam tantum doctoribus vel theologis scholis innotescit, verum omnibus omnino Christianis infallibiliter patet, utpote dogma a Summo Pontifice Pio IX s. m. definitum, plaudente universo orbe catholico, anno octingentesimoquingentesimo quarto supra millesimum. N. E.

rium impierent! o sacerdos, o religiose, o mercator, o vos omnes, quotquot in hoc mundo vivitis! attendite quod sit ministerium vestrum, videte ad quod ministerium a Deo vocati sitis, sedulo inquirete et probate quid a vobis Deus exigit: *probetis quæ sit voluntas Dei bona, ac beneplacens et perfecta* (ad Coloss. 8): agnita autem Dei voluntate, ei adimplendæ insistite; postquam noveritis ad quod Deus vos ministerium vocavit, illud sollicite et perfecte adimplete. O sacerdos, ea fac quæ veri sacerdotis sunt! o religiose, ea adimple quæ statum tuum spectant! o iudex, o medicus, tu qualescumque status et conditionis sis, adimple perfectissime quæcumque ad ministerium tuum pertinent. Philosophia christiana hæc est: digne ambulare vocatione, qua vocati sumus, seu, quod idem est, ministerium nostrum implere: hæc est vite spiritualis compendiosa summa; et in tremendo iudicii die non a nobis inquiret Deus, an mortuos suscitaverimus, an montes ex uno loco in alium transtulerimus, vel an alia miracula fecerimus; verum an ministerium nostrum impleverimus. Non quæret etiam Deus a sacerdote seculari, an vitam eremiticam sectatus sit; nec a iudice vel medico postulabit, an Ordinis cuiusdam regularis statuta servaverit; a sacerdotibus, a iudicibus et a cunctis hominibus exquiret, an ipsi vocanti obtemperaverint, et an in statu, ad quem vocati fuerant, ministerium suum impleverint: hos autem servos, qui suum non impleverint ministerium, mittet in tenebras exteriores: *mitte eum in tenebras exteriores* (Matt. 21, 13). Cuique autem illorum, qui pie et perfecta ministerium suum impleverint, dicit Deus: *euge serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui*. Estote ergo fideles in adimplendo ministerio vestro, ut aliquando in gaudium Domini intretis, et æternam beatitudinem obtineatis. Amen.

DE CONCEPTIONE B. M. VIRGINIS.

CONCIO PRIMA.

Quæ est ista? (Cant. 8).

Si cuncta totius vite Mariæ momenta ponderare, penetrare et oratorio sermone illustrare liceret, ne unicum totius vite ejus inveniretur instans, in cujus elogia facundus orator erumpere non valeret: quippe quæ singulis quibus in hoc mundo vixit momentis mente, corde, tota denique anima mirabiliter Deo placuit, eique charitatis ardentissimæ vinculo perfectissime adhesit. Ast felicissimum conceptionis momentum, in quo purissima ejus anima corpori fuit infusa, specialioribus dignum videtur encomiis, cunctisque hodie concionatoribus amplissimam et subtilissimam dicendi materiam subministrat. Verum quidem est, quod sacrum illud Mariæ conceptionis instans fuerit quasi abyssus antiquioribus sacræ Theologiae magistris impenetrabilis; illud momentum perfecte nosse non eorum erat: *non est vestrum nosse tempora, vel momenta*: illius momenti plenior et perfectior notitia Doctori subtili et alis qui post ipsum floruerunt, Doctoribus servata fuisse videtur (1): hi abditissimum illud mysterium scrutati sunt et innu-

(1) Sic se res habebat auctoris avo; felicior nobis essit ætas, cum hæc veritas de immaculato B. V. Conceptu non quibusdam tantum doctoribus vel theologis scholis innotescit, verum omnibus omnino Christianis infallibiliter patet, utpote dogma a Summo Pontifice Pio IX s. m. definitum, plaudente universo orbe catholico, anno octingentesimoquingentesimo quarto supra millesimum. N. E.

meris argumentis Mariam in conceptione sua originale peccatum non contraxisse probarunt. In adducendis eorum argumentis non immorabor; solummodo Dei Genitricem in instanti conceptionis suæ considerabo, laudabo et mirabilem prædicabo; quod fiet explicando, quæ et qualis in hoc momento extiterit: *quæ est ista. Ace.*

Deum, Adamum et Joachim beate Virginis Mariæ patres extitisse cuncti fateantur. Deus ejus fuit pater creatione, Adamus origine et Joachim generatione. Deus fuit Mariæ pater, cum communis omnium penitus hominum sit pater: *unus est pater vester* (Matt. 23, 9). Adamus fuit ejus pater, cum omnes ab eo, ut ab hominum primo, processerint; *Adam enim primus formatus est* (I Tim. 2, 13). Joachim tandem ejus pater extitit, cum a sanctis Joachim et Anna fuerit genita; *fructum hujusmodi genuerunt*. Unde si querantur, quæ et qualis Maria in ipso suæ conceptionis instanti fuerit; *quæ est ista?* omnes uno ore respondebunt, quod in illo momento Dei Adami et Joachim filia fuerit. Jamvero quis forte dicere posset: vere quidem Maria in primo conceptionis suæ momento fuerit Adami filia, ergo itidem fuit et hæres criminis ipsius; verum est etiam, quod in eo instanti Maria fuerit Dei filia, at simul fuit ejus inimica, ejusque gratia totaliter orbata; verum denique quod in hoc momento Maria Joachim filia extiterit, at pariter ex tunc miseriarum et infortuniorum ejus particeps est effecta. Heu! si sic res se haberent; quam infelix et quam misera extitisset Maria in suæ conceptionis momento? Faustiora de illa pensemus, gloriosiora de illa sentiamus. Fateor quidem, quod hæc in eo instanti Adami, Dei et Joachim filia extiterit, at fuit 1. *filia Adami*, quin criminis ejus fuerit hæres; 2. *filia Dei*, quin ejus gratia careret; 3. *filia Joachim*, quin ejus miseriarum fieret particeps. En tres hujus orationis partes, quibus dignoscere quisque poterit, quæ et qualis in conceptione sua Mariæ extiterit; *quæ est ista?*

I PARS.

*Maria in sua conceptione fuit filia Adami,
quin criminis ejus fuerit hæres.*

Adamus est communis omnium hominum pater; ex eo, ut protoparente, cuncti descendunt; ex eo Christus etiam et Maria, non secus ac alii homines, originem duxere, hæc tamen differentia, quod alii ita Adami sint filii, ut sint etiam criminis ejus hæres: *si filii et hæres*. Christus autem et Maria tam probrosam non sunt nacti hæreditatem; non quidem Christus, qui cum Deus esset, nulla cujuslibet peccati macula denigrari poterat; non etiam Maria, quæ Adamatici sceleris rea et hæres esse nequibat, cum in hunc mundum veniret, ut esset Mater Dei sui, Creatoris sui et Redemptoris sui: ut esset Mater Dei sui, qui eam elegit; Creatoris sui, qui eam formavit; Redemptoris sui, qui eam redemit.

1. Cum Christus, ut Verbum ab æterno incarnari statuerit, decrevit itidem in B. Mariæ Virginis utero carnem assumere eamque præelegit in Matrem; ex tunc hæc ei ita placuit, ut ejus humilitatem, virginitatem, aliasque virtutes prospiciens, illam in parentem futuram selegit: *elegit eam Deus et præelegit eam*. Non fortuito factum est, quod Maria Christi Mater extiterit; non forte et casu hoc evenit, verum ex divina præelectione: *Beata Virgo fuit electa dicinitus, ut esset Mater Dei* (S. Th. 3 p. q. 27). Itaque cum Christus Dominus eam in matrem elegerit, quis eam peccatricem et infelicem adamatici sceleris hæredem fuisse rationabiliter asserere posset? Non est, quod talia sentiamus; ut enim ait Petrus Damianus, *Christus Matrem talem sibi elegit, qualem meruit habere, de qua non erubesceret*. Et non solum talem sibi elegit, de qua non erubesceret, etiam talem, quæ ipsam deceret: *talem sibi scivit eligere, qualem et se decere sciebat* (S. Bern. sup. Miss. est. 2). Dicat nunc quis, an Christum deceret in

Matrem elegisse filiam aliqua labe infectam, originalis criminis ream et adamitici sceleris heredem? Minime quidem; imo eum plurimum dedecoret atque inde maximus erubescendi locus inesset. Velim, quod Maria unico dumtaxat momento communis hujus criminis rea et adamitici sceleris hæres extiterit, momentanea tamen hæc infamiae nota in omnia Marianæ vite momenta aliquo modo respergeretur et semper vere de Maria diceretur, quod aliquo vitæ suæ momento fuerit peccatrix et Dei inimica. Sicut enim urbi Romæ æternum erit dedecus, quod a suo principio fraterna fuerit eade fœdata; hoc dedecus nunquam hætenus consequens posteritatis gloria potuit delere; ita si Maria ab instanti conceptionis originali peccato fœdata fuisset, ignominia, quam tunc contraxisset, indelebilis in æternum perseverasset. Quæ autem, queso, Christo inesset gloria, quis ei honor, quod talem sibi eligisset Matrem? Non honor quidem, at magnum dedecus et maxima ignominia et confusionis causa, quia ei homines, ac etiam dæmones exprobrare possissent, quod conceptus fuerit in sinu peccatricis; et sicut Judæi de ipso dicebant: *nonne hic est fabri filius?* (Matt. 13, 55), ita et dæmones jactanter ei dicere potuissent nonne tu es filius Mariæ, quæ originali peccato fuit fœdata? Nonne tu es filius hujus puellæ quondam servæ nostræ utpote adamitici sceleris hæredis? Scimus, quod tu illam angelorum Reginam, imperatricem hominum, Patris Eterni filiam et Spiritus Sancti sponsam proclamares; attamen fatendum, quod aliquando nobis fuerit mancipata, et quod, non secus ac aliis homines, ipsa criminis adamitici maculam contraxerit. Heu quanto cum rubore talia audisset Christus! Certe tunc magna ei infuisset erubescendi causa ex hoc quod talem sibi elegerisset Matrem; ideo merito prorsus credimus Mariam in conceptione sua adamitici criminis heredem minime extitisse, cum fuerit Mater Dei sui, qui eam in Matrem elegit. Doctor Angelicus in sua summa docuit, quod cum Christus Mariam in Matrem sibi elegerit, non est dubitandum, quin eam ad hoc ministerium idoneam reddiderit: *quia illos, quos Deus*

ad aliquod elegit, ita preparat et disponit, ut ad id, ad quod eliguntur, inveniantur idonei: Maria autem, inquit, non idonea fuisset Christi Mater, si peccasset aliquantulum. etsi unicum peccatum etiam veniale perpetrasset, quia *ignominia Matris ad Filium redundasset.* Peccatum veniale, quantumvis leve, est semper animæ macula, Dei offensæ et aliqua ignominia nota; si autem tali quodam peccato Maria se coinquinasset idonea non fuisset, ut fieret Mater Christi, quia talis *ignominia Matris ad Filium redundasset,* et semper vere dici potuisset, quod Christus sibi elegerisset Matrem peccatricem; ac proinde, inquit Divus Thomas, Maria nullum unquam commisit peccatum veniale, cum illa Christus in Matrem elegerit. Demiror illud Doctoris Angelici principium; atque ex illo a fortiori infero, quod Maria adamitici sceleris hæres nunquam fuerit: quia si hæc peccatum originale contraxisset, non fuisset idonea Christi Mater; nam *ignominia Matris ad Filium redundasset.* Majorem procul dubio turpitudinem, majoremque ignominiam ingerit peccatum originale, quam peccatum veniale; peccatum enim originale tollit gratiam, a Deo separat, animæ necem infert, jure ad beatitudinem privat et dæmonis servituti subdit: quos omnes malignos effectus non causat peccatum veniale; ac proinde gravius et turpius est, peccato originali, quam peccato veniali inquinari, et si Maria peccatum originale contraxisset, major *ignominia ad Filium redundasset,* quam si illa veniale aliquod peccatum perpetrasset. Cum igitur infert D. Thomas, Mariam nullum unquam veniale peccatum commisisse ex eo quod eam Christus elegerit in Matrem; a fortiori inferendum est, quod originale peccatum non contraxerit et quod adamitici sceleris hæres non fuerit: quia Christus eam in Matrem sibi elegit. Itaque Maria a labe adamitica immunis dicenda, quia fuit Mater Dei sui qui eam elegit; ab illa quoque preservari debuit, *quia fuit Mater Creatoris sui, qui eam formavit.*

2. Quærent legumdoctores, an amor tantum ascendere possit, quantum descendit? seu an filiorum erga parentes amor tantus esse possit, quantum est amor parentum in filios! Ad

quod respondent cuncti, quod cum amor per effectus, seu per beneficia exhibita dignoscatur, fieri nequit, ut filius tantum parentes diligat, quantum ab iis fuit dilectus: cum ab iis beneficium percipiat, cuius non potest reddere aequivalens; ab iis enim accepit esse, usque esse dare non potest. Hæc quidem ratio quoad alios valet; respectu Christi nullius est momenti et valoris, quia ipse Matri suæ esse et vitam contulit; non solum eam ab æternæ in Matrem elegit, eam etiam in tempore creavit, eamque formavit, antequam in ejus utero ipse per Spiritus Sancti operationem formaretur. Unde Spiritus Sanctus sic Mariam loquentem inducit: *qui creavit me, requievit in tabernaculo meo* (Roeli. 24, 12); quasi diceret, aliae matres non portant in sinu suo creatores suos et factores suos; divinus autem hic puer, quem gestavi et qui novem mensium spatio in sinu meo requiescere voluit, factor meus et creator meus est: et ideo apud divum Augustinum sic Christus loquitur: *ego Matrem, de qua nascerer feci*. Cum ergo Maria Creatoris sui et Factoris sui sit Mater, quis credat, quod ab eo, non in statu gratiæ, sed in statu peccati originalis creata fuerit? Scimus, quod angelos, qui sunt solummodo ministri ejus, in statu gratiæ creaverit; in angelis erat *Deus condens naturam et largiens gratiam* (Ang. De civit. D. 12, 9). Quis autem credat, quod durius erga Matrem, quam erga ministros suos se habuerit quis non censibit, ipsum erga Matrem saltem æque beneficium ac erga angelos extitisse, illamque non in statu peccati, sed in statu gratiæ simul cum angelis condidisse? Absit talia de Christo Matris suæ conditore cogitare; ipse enim Mariam angelis sublimiorem et puriorem creavit: *sublimior angelis facta est, superior ipsis Cherubim et Seraphim tanquam ancilla digna et Mater sancta et Mater immaculata* (Gloss. ord. in c. 5 ad Rom.). Ecce quomodo Christus Matrem suam puram et immaculatam creavit. Quod ut amplius probetur, claram, solidam, omnibusque theologis familiarem adduco rationem, quam sic enuntio: si Christus condens Mariam, eam originale peccatum contrahere permisisset, hoc factum esset, vel quia nescisset, vel quia non potuisset, vel quia noluisset

eam a tali piaculo immunem servare: dicere, quod nescierit, blasphemia est, quia *omnia nuda et aperta sunt oculis ejus* (Heb. 4, 13): dicere quod non potuerit impietas est, quia ut ipse loquitur, *data est mihi omnis potestas in celo et in terra* (Matt. 28, 18): dicere tandem, quod noluerit, absurditas est; ridiculum enim esset, quod Christus sciens et potens Matrem suam in statu gratiæ formare, eamque ab originali noxa tueri valens, hoc facere noluerit; quod si noluisset, ipsa merito de Filio conqueri potuisset, dicens: *Fili quid fecisti nobis sic?* O Fili, poteras a me originale peccatum avertere, cur illud non avertisti? Noveras modum, quo me ab adamitici sceleris hereditate excludere posses, cur ab ea me non exclusisti? *quid fecisti nobis sic?* Imo si Christus Mariam immunem servare noluisset, sibimetipsi injuriam irrogasset: dicit enim Tertullianus *Christum per Mariam esse censendum*: certum est, quod Maria per Christum, ejus est Mater, plurimum censetur et a cunctis æstimatur; alioquin iterum Christus etiam censetur et æstimatur per Mariam. Quid autem homines de Christo censissent et credidissent, si Matrem suam omnibus numeris perfectam haud formasset; alioquin iterum Christus etiam hereditate immunem non creasset? Certe non bene de Christo sensissent. Ideo fatendum, Mariam adamitici sceleris expertem fuisse, quia fuit Mater Creatoris sui, qui eam formavit; ac etiam, *quia fuit Mater Redemptoris sui, qui eam redemit*.

3. Mariæ Redemptor fuit Christus; immo, ut ait S. Bernardinus Senensis, *Christus plus pro redimenda Virgine venit, quam pro omni alia creatura*. Non tamen inde inferendum, Mariam a primo conceptionis momento in dæmonis et peccati servitutem incidisse; inferendum, e contra, Christum illam sollicite servasse, ne caderet; ut enim, ait D. Augustinus, *duplex est redimendi modus, unus redimendo lapsum et alter redimendo jamjam lapsurum, ne cadat* (in Ps. 85): vel, ut loquuntur Theologi, duplex est redemptio; una dicitur liberativa, qua quis liberatur a peccato, quod jam contraxit: et altera vocatur preservativa, qua quis impeditur et servatur, ne in peccatum cadat; ista autem redemptio est melior et per-

fectior: etenim, ait S. Antonius, *nobilius liberatur et redimitur, cui providetur, ne cadat et servitutem incurrat, quam ut lapsus erigatur et factus servus redimatur*. Et ratio est, quia sicut melior est medicina quæ prævenit ægredudinem; ita et melior est redemptio, in qua gratia prævenit crimen et ab eo contrahendo servat. Talis autem fuit redemptio, qua Christus Matrem redemit, quam a peccato jam contracto non liberavit, sed eam, ne in peccatum caderet servavit. Alios homines redemit Christus, liberando eos a peccato originali, quod contraxerant: Mariam vero redemit, illam præliberando, seu illam servando, ne in peccatum caderet: *præliberatore[m] virgo sancta habuit, alii liberatore[m], inquit cardinalis Cusanus; vel, ut loquitur Doctor Seraphicus, eam Spiritus Sanctus a peccato originali, non quod infuit, sed quod infuisset, redemit, atque singulari gratia præservavit*. Missus Jonas ad prædicandum Ninivitis, divino reluctans præcepto, alio viam paravit, et navi, quæ in Tarsim pergebat, conscensa, Dei præceptum declinare intendebat: *Dominus autem misit ventum magnum in mare et facta est tempestas magna in mari et navis periclitabatur conteri* (Jon. 1, 4). Nautæ conterriti, ad sortes, tanti periculi causam exploraturi, recurrunt; cecidit sors super Jonam, qui adjudicatus fuit fluctibus et in mare projectus; verum *preparavit Dominus piscem grandem, ut deglutiret Jonam*, seu ut explicat sanctus Hieronymus, *ibi subito adesse fecit piscem grandem, ut præcipitem Jonam in suo reciperet sinu*. Non expectavit Deus, ut Jonas a mari obsorberetur; antequam illum mare quasi attingeret, a pisce liberatur: optimo modo liberavit Jonam, præveniendo scilicet malum et eripiendo eum antequam in imam maris mergeretur abyssum. Mariam similiter nobiliori modo redemit Deus, præveniendo scilicet et præcavendo, ne in altam peccati originalis abyssum caderet: *Domina nostra, ut ait sanctus Bonaventura (serm. 2. de B. V. M.), habuit gratiam præservativam contra fœditatem originalis culpe, quam contraxisset ex corruptione nature, nisi speciali gratia præventa, præservataque fuisset*. Itaque concludendum Mariam

adamitici criminis labem haud infecisse. Mariam autem, quæ in conceptione sua fuit Adami filia, quin criminis ejus fuerit hæres; fuit etiam Dei filia, quin ejus gratia privaretur.

II PARS.

Maria in conceptione sua fuit Dei filia, quin ejus gratia fuerit privata.

Conceptio nostra æuigma quoddam est, cum in ea, seu in eo instanti, quo anima corpori nostro infunditur, simus filii nature et filii iræ; filii Dei et filii diaboli; filii gratiæ, seu per Dei gratiam formati, et filii peccati, seu peccato inquinati et omni gratia orbati. At Maria in sua conceptione fuit quidem filia nature, cum modo naturali fuerit genita; fuit etiam filia Dei, cum a Deo ejus anima creata et corpori infusa fuerit; non tamen fuit filia iræ et filia demonis, cum, ut jam diximus, peccatum non contraxerit, quo iræ et demonis filia fieret; illa Dei filia fuit etiam filia gratiæ, non solum quia per Dei gratiam, verum et quia in stato gratiæ fuit creata; illa enim Dei filia in sua conceptione Dei gratia non fuit privata, cum eontra in eo instanti habuerit 1. gratiam sanctificantem et gratum facientem; 2. gratiam abundantem et superfluentem; 3. gratiam constantem et permanentem.

1. Maria a Deo in Christi Matrem erat electa; ipse in ejus utero, quasi in templo et veluti in sanctificato quodam tabernaculo, novem mensium spatio commoraturus erat. Sicut ergo sapientissimus Salomon multa arte et labore plurimo, templum Deo dignum construi et preparari curavit; ita Christus, qui est sapientia increata, templum suum et tabernaculum suum preparavit, et per gratiam gratum facientem sanctificavit: *sanctificavit tabernaculum suum Altissimus* (Psal. 46). Nec mora intercessit constructionem inter et sanctificationem hujus templi, quia sanctificavit illud Christus *mane diluculo*, id

est ab instanti suæ constructionis, quod et ipsa Virgo Maria sanctæ Brigittæ revelavit, dicens: *anima mea sanctificabatur et corpori suo jungebatur*, seu in eodem instanti sui sanctificata, quo sui creata, nec prius creata quantum ad naturam, quam fuerim sanctificata per gratiam. Luculentissime explicat divus Damascenus, quomodo Maria instanti conceptionis suæ gratia sanctificante fuerit ornata dicens: *natura gratiam antevertere ausa non est, sed tantisper expectavit, dum gratia produxisset fructum suum* (or. 1 de Nat. Virg.). In nobis natura gratiam anteverit, quia sumus prius quoad esse natura, quam quoad esse gratia: at mira Dei providentia factum est, ut in Maria gratiam natura antecedere ausa non fuerit, sed gratiam expectaverit; unde simul quoad naturam et quoad gratiam condita est. *Unus est Altissimus, Creator omnipotens, ipse creavit illam in Spiritu Sancto* (Eccli. 1, 8). Deus creavit illam non originali peccato obnoxiam, nec solum in statu nature, sed in *Spiritu Sancto*, idest in statu gratiæ sanctificantis, qua, ut ait D. Thomas a Villanova, facta est *in utero sanctissima et in conceptione sanctissima* (conc. 1 de Nat. B. V.). Mariam angelus salutavit dicens, quod gratiam apud Deum inveniit: *invenisti gratiam apud Deum*. Quæ est illa gratia, quam apud Deum invenit Maria? Respondet Bernardus: *nactu est gratiam apud Deum, quam Heva perdidit* (hom. 2 sup. Miss.). Heva in conceptione gratiam sanctificantem et justitiam originalem acceperat, quam deinde per peccatum perdidit. Maria autem in sua conceptione invenit gratiam sanctificantem, quam Heva perdidit, seu aliam ei similem accepit, imo et majorem, ut ait cardinalis Cusanus: *ipsa sola post Adæ lapsum non indigna, sed plena originali justitia, ut Heva et multo magis; non habuit enim gratiam sanctificantem in gradu remisso, verum habuit gratiam sanctificantem abundantem et superfluentem*.

2. In veteri Testamento duplex erat mensura, communis una et sanctuariorum altera. Cum autem de gratia sanctificante agitur, Maria non est mensuranda mensura communi; minime dicendum, quod Petrum, Paulum, vel alium aliquem ex San-

ctis in gratia aequaverit, atvero mensuranda est mensura sanctuariorum; ipsa enim fuit divinitatis sanctuarium, omni gratiarum genere confertum. Ut enim ait Doctor Seraphicus, sicut omnia flumina intrant in mare, ita *flumen gratiæ angelorum intrat in Mariam; flumen gratiæ patriarcharum et prophetatarum intrat in Mariam; flumen gratiæ apostolorum, martyrum, confessorum et virginum intrat in Mariam; omnia flumina intrant in Mariam* (Spec. div. c. 3). Tota hæc gratiarum abundantia et multitudo in Mariam intravit, et in ea resplendit; nam nihil est virtutis, nihil splendoris, nihil gratiæ, quod non resplendeat in Virgine gloriosa; quando vero et quomodo magna gratiarum abundantia B. Virginis animæ fuit infusa? Non per intervalla, nec per partes, ut ait D. Hieronymus; ab ipso conceptionis momento: *ceteris preestatur per partes, Mariæ vero tota simul se infudit plenitudo gratiæ* (S. Hier. ser. de Ass.). In Canticis Canticorum legitur, quod tres Personæ divinæ sic ad invicem quasi se interrogaverint: *quid faciemus sorori nostræ?* (Cant. 8) quasi dicent: quibus donis, quibusque afficiemus gratiis Mariam, quam sumus creatori? *Hoc querit S. Trinitas*, inquit Hugo cardinalis, *non dubitans, sed exaggerans: quasi dicat: magna faciemus ei*. Et revera dona exarximis, magnamque gratiarum abundantiam ei Deus contulit: *fecit mihi magna qui potens est*. Jauvero quæ sunt illa dona, quæ illa gratiarum abundantia, quam Deus dedit Mariæ, cum illam creavit? Es dona tanta fuisse asserit D. Thomas a Villanova, ut dubitet, an Maria eorum magnitudinem comprehenderit: *fecit in me magna, qui potens est, sed quam, o Virgo! nescio, an ipsamet valuit suam comprehendere magnitudinem* (Conc. 3 de Nat. B. V.). Si tanta autem fuerint gratiarum dona, quæ Deus Mariæ in sua conceptione contulit, proculdubio nullus homo ea concipere valuit, atque hæc cognitio soli Deo reservatur: *tanta fuit perfectio Virginis, ut soli Deo cognoscenda reservetur*. O quam ingentia Mariæ fuere privilegia! o quam magna in creatione sua a Deo gratiarum abundantiam accepit! De Zeuxi picture famosissimo fertur, quod Junonis imaginem picturus, pulchriores totius Græciæ studiose conspexerit vir-

gines; summaque industria adnotans et solgens quidquid in singulis erat perfectissimum, omnibus numeris absolutissimum Junonis imaginem effinxerit. Non absimiliter Deus Mariam creare constituens, perfectissimas quisque prospexit creaturas, *et de magnis eminentiora presumpta sunt*. Respexit Deus quidquid gratiarum et perfectionum angelis, apostolis, martyribus et aliis sanctis erat dispersum, et omnia hæc in Maria congregans, *fecit simulacrum et omnium desolatione constructum*, ut sator Tertullianus; seu Mariam omni perfectionum genere completam, magnaque gratiarum abundantia ornatam creavit. Maria autem in conceptione sua una cum gratia abundante *habuit etiam gratiam constantem et permanentem*.

3. Sanctificavit Deus B. Virginem ab instanti conceptionis ejus: *sanctificavit tabernaculum suum Altissimus* (Ps. 46, 5); sanctificavit autem eam per gratiam constantem, quam ipsa nunquam amissura erat. Unde subdit Vates regius, quod Deus per gratiam suam in ea habitans, nullatenus movendus foret: *Deus in medio ejus non commovebitur*. Cum sanctificamur, Deus ad nos per gratiam suam venit: *ad eum venimus*; ipse etiam in nobis per gratiam suam remanere intendit: *et mansionem apud eum faciemus* (Joann. 14, 23) in nobis tamen modo quodam mobili habitat, dum illum per grave quodlibet peccatum a nobis expellimus; in Maria non mansit Deus per gratiam modo mutabili, quia ab instanti conceptionis, quo Deus in eam per gratiam suam intravit, nunquam ab ea discessit, et immobilis in ea permansit: *Deus in medio ejus non commovebitur*. Verum est quod Maria ratione gratiæ sanctificantis, qua ab instanti conceptionis fuit exornata, dicitur *pulchra ut luna*; ac proinde sicut luna est mutationi obnoxia, et *menstruis modulationibus variat*, ita et gratia in Maria mutabilis fuisse videtur. Verum, ut ait sanctus Ambrosius, *pulchritudo Mariæ nullis fuit obnoxia casibus*; seu pulchritudo, quam a gratia sanctificante habuit, extitit immutabilis, cum gratia in ea fuerit constans, permanens et quasi immobilis: *Deus in medio ejus non commovebitur*. Unde si Maria

lunæ comparetur, dicendum, quod fuerit similis lunæ in novilunio. Advertunt astrologi, quod in novilunio eclipsum nunquam patiatur luna; Maria autem in conceptione sua per gratiam, qua decorata est, pulchra apparuit veluti luna in novilunio, accipiendo gratiam permanentem, et nulli eclipsi, nullique mutationi obnoxiam: *Deus in medio ejus non commovebitur*. Arbitratur Docteur Angelicus, omnibus in utero materno sanctificatis collatam esse gratiam ita constantem et permanentem, ut eam nunquam amiserint: quia eis datum fuit a Deo, quod nunquam in quodvis mortale peccatum caderent: *sanctificatis in utero creditur prestitum esse, ut de cetero mortaliter non peccarent* (3 p. q. 47, a. 6). Heu! si sancto Joanni Baptiste et aliis in utero sanctificatis data est gratia sanctificans modo quodam inamissibili, quis idem privilegium Mariæ concessum fuisse dubitabit? Imo et fatendum, hoc privilegium Mariæ modo quodam perfectiore et nobiliore fuisse datum: dum gratia in aliis constans fuit et permanens ex hoc solum, quod Deus eis dederit, quod in mortale peccatum nunquam laberentur, Mariæ vero datum est simul quod non peccaret, ac etiam quod non posset peccare neque mortaliter, neque venialiter, si fidem adhibeamus Nominalium (1) principi dicenti, quod Mariæ non solum a Deo concessum est, quod non committeret aliquod peccatum mortale, verum et quod ne in aliquod peccatum veniale cadere posset. O Maria! o perfectissima Dei filia! demiror abundantem et permanentem hanc gratiam, quam Deus ab instanti conceptionis tibi elargitus est. Ad hæc Maria que in momento conceptionis fuit Dei filia, quin ejus gratia privaretur, *fuit etiam Joachim filia, quin ejus miseriarum particeps fuerit*.

(1) Guillelmus Occam anglicus, discipulus Joannis Duns Scoti, ex ordine minorum philosophus non satis integra fama celebris, Nominalium princeps dicitur, eorum scilicet quis asserunt « eatis non esse multiplicanda præter necessitatem », ac plura, que juxta realistas distinguuntur, nomine tantum non re discriminari; questiones modo, Deo favente, obsoleto. N. E.

III PARS.

*Maria in conceptione sua fuit filia Joachim,
quin miseriarum ejus fuerit particeps.*

Ab ipso conceptionis nostræ momento, seu ab instanti quo anima nostris infunduntur corporibus, tot miseris et infirmitatibus replemur, ut ad intellectum, ad cor et ad totam denique animam se extendant; ex tunc tenebris intellectus noster involvitur; ex tunc etiam fomite peccati, qui bellorum voluntatem inter et appetitum existentium exitiosa est origo, anima nostra infestatur; ac tandem cor nostrum, quod ad hoc dumtaxat videtur formatum, ut Deum et factorem suum diligat, ita insensatum evadit, omnisque boni incapax, ut ne unicum amoris actum elicere valeat. Hæ sunt miseriæ quibus subduntur infelices Adam filii, quæ a parentibus ad filios quasi hereditario jure descendunt. At B. V. Maria harum patris sui Joachim miseriarum minime particeps extitit, quia a conceptionis suæ momento habuit 1. lumen in intellectu; 2. pacem in anima; 3. amorem in corde.

1. Cum Deus visibilem hunc mundum condidit, prima die creationis dixit: *fiat lux, et facta est lux*. Similiter cum Deus mundum universum reparaturus, B. V. Mariam formavit, in conceptionis ejus instanti dixit: *fiat lux*, seu voluit eam rationis usu poltero et lux in ejus intellectu facta est; ita quod eodem instanti, quo anima corpori illius fuit infusa, ipsa ratiocinari coepit: *formato corpore et anima creato, tunc fuit rationalis*; inquit S. Vincentius Ferrerius; et ut ait S. Bernardinus Senensis, *B. Virgo, dum erat in utero matris, habuit usum liberi arbitrii, atque lumen perfectum in intellectu* (serm. de Conc.). Et revera cum multi ex sanctis Patribus sanctissimum Christi præcursores a suæ sanctificationis tempore in utero materno rationis usum habuisse doceant; quidni dicemus, Dei Genitricem Mariam eodem privilegio fuisse nobilitatam et

a tempore suæ sanctificationis, seu ab instanti suæ conceptionis, usu rationis fuisse preeditam? Anastasius Sinaita, sic dictus, quia ex monasterio montis Sinai fuit extractus, ut ad patriarchatum Antiochenum sublimaretur, ait, quod Maria fuerit *integra, et illæsa sui foetus imago*. Richardus etiam a S. Victore assertit, quod fuerit *Christo simillima*. Quod concordat cum variis authoribus dicentibus, Christum Matri omnia contulisse privilegia, quæ ei conferre potuit; eique, quantum fas fuit, omnia ex privilegio concessisse, quæ sibi ex natura competebant. Re quidem vera, si juxta leges humanas, *parentes eodem quo filii gaudent privilegio et si regine princeps eadem tribuit privilegia, quæ ipse habet*, cur non asseremus, quod Christus, qui a conceptione sua ratione unionis hypostaticæ perfectissimum habuit rationis usum, idem *ex singulari privilegio* Matri suæ concesserit? Id tanquam certum supponit Albertus Magnus, dicens, Mariæ ab instanti conceptionis infusam esse scientiam perfectiorem ea, quam angeli et Adamus in momento suæ creationis perceperunt. Ex quo facile inferitur, quod ex illo instanti Maria Dei existentiam et perfectiones, sanctissime Trinitatis et divinæ Incarnationis mysteria, Synagoge et Ecclesie Sacramenta, necnon alia multa perfectæ novit. Nihil tandem ei Deus abscondit, ut ait Rupertus, qui in hæc verba, *introduxit me rex in cellaria sua*, sic Marianam loquentem inducit: *nihil a me abscondit, qui Verbum suum, quod est in corde suo, totum mihi insulit*. Habuit ergo Maria in conceptione sua lumen in intellectu et habuit etiam pacem in anima.

2. Propheta regius de Christo Domino ait, quod *factus est in pace locus ejus* (Ps. 36. 3). Quis est ille Christi locus, quis factus est in pace? Sicut utique B. V. Mariæ, in quo ipse in hunc mundum veniens, primo fuit locutus et in quo diu permansit. Jamvero quomodo in pace factus est ille locus? Per extinctionem fomitis peccati, a quo interna rationem inter et appetitum oriuntur contamina; hic fomies in ea extinctus est ab instanti suæ conceptionis, seu illam Deus a tali fomite liberam creavit; ideo perfectissima gavisæ est pace, nec internum

bellum, quo alii homines agitari solent, ipsa quomocunque experta est: *legem mentis lex carnis non infestabat, rebellio nulla quietem spiritus affligebat* (S. Cipr. s. de Nat. Chr.). Idem regius Vates omnes penitus homines invitavit ad videnda prodigia, quae Deus super terram operatus est: *venite, et videte opera Domini, quae posuit prodigia super terram* (Ps. 46). Enarra nobis, o propheta sanctissima, portentosa haec prodigia: quae sunt haec Dei prodigia, ad quae auscultanda omnes atrocitas? *Auferens bella usque ad finem terrae*. Haec prodigia in hoc versantur, quod Deus pacem in terra firmavit, quodque omnia bella ab ea penitus abstulerit. Quis autem dicat quae sit illa terra felicissima, in qua nulla inest pugna et in qua optatissima pax est soli data? *Ista terra est Maria, de qua omnis pugna tollitur et in qua pax plena reparatur* (Rich. a S. Vict. de Eman. 2, 29); haec terra est Maria, in qua extinctus est fomes peccati, qui interiorum est origo bellorum et in qua firmissima pax est stabilita. Eminentissimus cardinalis Casanovus, qui saeculo decimoquinto floruit, cum multis aliis docet, in Maria non fuisse hunc peccati fomitem: *ab initio lex membrorum, stimulus scilicet peccati et fomes in ea non regnaverunt*. Et ratio est, quia, ut ait doctissimus Universitatis Parisiensis cancellarius, *in Maria Virgine fuit, quoad omnia intrinseca, status naturae integre primitus instituta*, in eo fuit ab initio mirabilis illo status, in quo non regnabat fomes peccati et in quo quisque pace interna fruebatur, ac proinde Maria ab instanti conceptionis non fuit particeps miseriarum patris sui Joachim, cum habuerit pacem in anima et anorem in corde.

3. Doctor Angelicus asserit, quod Moyses et Paulus in via Deum transeunter videre meruerunt; Moyses, ut minister vateris Testamenti ad Iudaeos missus; et Paulus, ut minister novi Testamenti ad Gentiles delegatus. Heu! si hi duo Dei ministri Deum, *per modum transeuntis*, in via viderint; quis idem privilegium Mariae Dei Genitricis denegaret? Isti non fratres, nec aliquo modo Christi consanguinei, solummodo Dei erant ministri, et tamen Deum in via videre meruerunt; quis

Mariam, Christi Matrem, Deum etiam vidisse diffitebitur? Nullus equidem hoc negare debet. Si autem Deum intuitive vidit, eum etiam amore beatifico amavit; non enim contemplari potuit objectum illud infinite amabile, quin cor ejus amore erga illud arderet. Quando, quæso, Deum Maria videre et amare incepit? Forte immediato post natiuitatem, aut aliquibus solum diebus antequam ex utero exiret? Nequaquam; Deum ab instanti suae conceptionis vidit et amavit; eodemque tempore, ut sentit Joannes Gersonius, illa beata extitit: *prefatus enim auctor explanans haec verba, beatam me dicent omnes generationes*, ait Mariam fuisse beatam etiam ab instanti suae conceptionis: *beatam me dicent etiam ab instanti meae conceptionis*. Cum Sancti fiant beati per Dei visionem et amorem, dicendum, quod Maria ab instanti suae conceptionis Deum viderit et amaverit. Nonnulli auctores arbitrati sunt, Mariam toto tempore vite suae permanenter fuisse beatam, non secus ac Christum: quod tamen facile non crederem; attamen haud negandum videtur, eam interdum lumine gloriae fuisse superfusam, *in similitudinem fulguris coruscantis* (Ezech. 1), ut loquitur unus ex prophetis; nam, ut ait Gerson, *fulgurabat in Maria splendor divinus gloriae*. Unde, ut subdit idem cancellarius Parisiensis, ratione visionis beatificae Maria interdum simul erat viatrix et beata: *particeps fuit in via utriusque beatitudinis, viae scilicet et patriae*. Hoc autem privilegio gavisa est, non solum in instanti, quo Verbum in ejus sinu carnem sumpsit, verum etiam in instanti conceptionis suae, ut docent S. Bernardinus, S. Petrus Damiani, S. Antoninus et B. Albertus Magnus apud Vegam; et ratio est, quia si, ut ait Vasquez, Mariae sunt tribuendae omnes gratiae, omnes perfectiones, omnia privilegia et generaliter *quidquid non repugnat fidei et rationi*; cur non dicemus, Mariam ab instanti conceptionis per Dei visionem et amorem fuisse beatam, cum hoc rationi, fidei et pietati non repugnet? Attendite nunc et videte, quae et qualis fuerit Maria in conceptione sua; *quae est ita!* in hoc momento fuit quidem *filia Adami, quin crinini ejus haeres extiterit*, quia ipsa futura erat Mater

Dei sui, qui eam elegit, Creatoris sui, qui eam formavit, et Redemptoris sui, qui eam redemit. Fuit etiam Maria in hoc instanti *filia Dei, quin unquam ejus gratia privaretur*; cum ex tunc gratiam sanctificantem, abundantem et permanentem habuerit. In hoc tandem instanti fuit *filia Joachim, quin miseriarum ejus fuerit particeps*; cum ex tunc habuerit lumen in intellectu, pacem in anima et amorem in corde. Ecce qualis fuerit Mariam in instanti conceptionis; ecce privilegia, quibus ditata fuit, que sine sufficienti fundamento eidem tribui forte quis judicabit; verum sciant omnes, quod haec et alia multa privilegia non sine fundamento Mariae adscribuntur. *Quodcumque senseris, ratio est* (Tert. adv. Prax.); quodcumque sentiamus et in Mariae laudem dicimus, magna ratione solidatur, nempe quod ab aeterno electa fuerit in Christi Matrem: *ab aeterno ordinata sum*: ac proinde nunquam sine ratione dicitur quidquid in ejus laudem dicitur, modo fidei et pietati non contradicat: quia credendum, quod cum in Christi Matrem electa fuerit, Deus eam ita puram et perfectam creaverit, totque eam donis et privilegiis ditaverit, ut nihil ei addi posse videatur. O quam speciosa, quam perfecta, quantoque digna fuit honore Maria in conceptione sua, in quocumque vito suis instanti spectetur! Hanc quidem venerari debemus; ac praecipuo in momento quo concepta est, cum tunc immaculata, sancta, multisque gratis et privilegiis fuerit praeventa. Nabuchodonosor rex statuam auream, altitudine cubitorum sexaginta fieri curavit et congregatis Satrapis, iudicibus, magistratibus et principibus, praecipit eis, ut adorarent statuam, quam ipse constituerat: *cadentes adorate statuam auream, quam constituit Nabuchodonosor rex* (Daniel 3). Maria quidem non est statua, seu idolum, quod veluti divinitatem quandam adorare debeamus; vocatur tamen Maria ab Andrea Cretensi, *a Deo sculpta statua*, seu perfectissima creatura, quam Deus formavit, ut in ejus utero Verbum aeternum incarnaretur: illam autem nobis hodie venerandam proponit; propterea cadentes adorate Mariam, seu illam ut sanctam et purissimam colite. Neque solam cultu religioso hodie Mariam veneremur, insuper ex ejus con-

ceptione immaculata potentissimum sumamus motivum, quo ad quodcumque peccatum a nobis expellendum inducamur. Heu! si Deus eam ita sanctam et perfectam formavit, ut noluerit unico dumtaxat momento ejus animam a peccato contaminari, discamus inde, quantum timere, quantaque solitudine peccatum a nobis expellere debeamus. Caveamus, ne peccatum in nostram intret animam, aut saltem ne in ea regnet et diu commoretur: *non regnet peccatum in nostro mortali corpore*. Tanquam a facie colubri peccatum fugiamus: si tamen ex ignorantia, malitia, aut infirmitate in aliquod peccatum inciderimus, ne permittamus illud regnare super nos; sed quam primum illud a nobis per poenitentiam salutarem expellamus: *destruatur corpus peccati*, et peccato destructo, gratiam et gloriam obtinebimus. Amen.

CONCIO SECUNDA.

Macula non est in te (Cant. 4, 7).

Ad Mariam pro meritis laudandam omnes prorsus homines, quantumvis eruditi et facundi impares se fateri debent: ut enim ait S. Augustinus, *quid nos tanilli? Quis actione pusilli? Quid in ejus laudibus referemus? Cum etsi omnium nostrum membra cernerentur in linguas, eam laudare sufficeret nullus* (serm. 1 de Ass. B. V.). Addit sanctus Bernardus, quod non solum homines quique, nec ipsi angeli Mariam digne laudare possent: *quoniam poterit lingua, etiamsi angelica sit, dignis extollere laudibus Virginem Matrem non cujuscumque, sed Dei?* (hom. sup. Miss.) Fateor quod si linguis doctissimorum hominum loquerer et angelorum, eam dignis prosequi laudibus non valerem: tritas tamen aliorum concionatorum tenens vias, eam ab originalis peccati macula vindicare optarem, omnibusque

notum facere, quod in ea talis macula non fuerit: *macula non est in te*. Eam talis macula immunem fuisse docuit Petrus Damiani, dicens: *caro Virginis ex Adam sumpta maculas Aeve non admisit* (Sermon. de Assumpt.). Eminentissimi et sanctissimi hujus cardinalis testimonium magni videtur ponderis: alia tamen tot et tanta adducam, ut iis auditis, spero, quod nemo inveniatur, qui Mariæ non dicat: *macula non est in te. Ave.*

Cum duo aut tres testes omni exceptione majores ad unum quid confirmandum conveniunt, non est amplius ambigendum, at firmiter credendum, quod vera, certa et firma sint quæ ipsi testantur, quia *in ore duorum, vel trium testium stat omne verbum* (2 Cor. 13, 1): beatissimam autem Virginem Mariam in conceptionis suæ momento immaculatam extitisse, innumeri fide digni testantur Doctores, et videtur, quod jam illius veritatis tot sint testes, quot homines catholicam sectantes religionem; qui omnes pussimo erga beatissimam Virginem affectu nec non solidis rationibus adducti, eam in instanti conceptionis purissimam proclamant et magna pietate venerantur. Hos omnes audire testes, illisque in forma contentiosa ordinare, mei nunc non est instituti; nec enim iudex constitutus sum ad iudicium decretorium et decisivum pronuntiandum in veritate nondum de fide declarata (1): tres tamen testes, quibus majores esse nequeunt, ad illam confirmandam adducam; Deum scilicet, angelos et Ecclesiam: Deum, qui est veritas æterna: angelos, qui sunt testes incorruptibiles: et Ecclesiam, quæ est infallibilis. Testimonium Dei est augustum et mirabile: testimonium angelorum est verum et acceptabile: testimonium Ecclesie est certum et infallibile. Unde si hæc testimonia nobis clare paterent, nullus amplius superesset dubitandi locus; ea ex sacris Scripturis et S. Ecclesie archivio pro viribus elicere conabor, eaque omnibus auditoribus discutienda et ponderanda

(1) Auctoris auctoritate: modo omnes catholici hæc veritatem simul cum ceteris fidei dogmatibus læti suscipiunt et credunt.

proponam; fateamur ergo, quod Mariam sine originalis peccati labe conceptam testentur Deus, Angeli et Ecclesia. Hoc testatur Deus, *ecce primum testimonium*; hoc testatur angeli, *ecce secundum*; hoc testatur Ecclesia, *ecce tertium*. Triplici hoc testimonio freti, libenter Mariæ dicemus: *macula non est in te.*

I PARS.

Mariæ immunitatem testatur Deus.

Nonnullis hominibus talem adhibemus fidem, ut de iis quæ ipsi asseruere, nullatenus dubitemus; esto autem, quod omnes totius mundi homines ad unum quid testificandum conveniant, firmitus tamen soli Deo quam iis omnibus credendum est: *Si testimonium hominum accepimus, testimonium Dei majus est* (1 Joan. 5). Unde vero olici poterit Dei testimonium, ut Mariæ probemus immunitatem? Ex sancta utique Scriptura, quæ est quasi Epistola sacra a Deo ad nos missa, ut quid ipse sentiat, quidve velit, nobis innotescat: *litteræ quæ de celesti civitate nobis venerunt, ipsæ sunt Scripturæ* (S. Aug. in Ps. 90): volumus ergo sacros Codices, scrutamur Scripturas: ibi inquiramus Dei testimonium ad probandum, Mariam originalis peccati maculam non contraxisse. Genesios capite tertio habetur, quod postquam Dei præceptum transgressus est Adamus de fructu vetito comedens, serpenti, seu dæmoni serpentis figuram præferenti, dixit Deus: *inimicitias ponam inter te et mulierem: ipsa conteret caput tuum*. Quæ est illa mulier, quam inter et serpentem Deus inimicitias ponere statuit? Hæc mulier non est Heva, quia, ut advertit sanctus Cyprianus, *Deus non dicit: pono, ne ad Hevam pertinere videretur; sed ponam, id est, suscitabo mulierem* (adv. Jud. 2). Quæ ergo est ista mulier dæmonis inimica, eique infensa? Hæc mulier est sanctissima Virgo Maria: *B. Maria mulier illa est, inter quam et serpentem inimicitias positurum se dicit et posuit Deus* (Rupert. de Trin. 3, 19). Quæ et qualis hæc fuit

inimicitia, quam Mariam inter et dæmonem posuit Deus? Hæc talis et tanta fuit, ut Maria caput ejus contriverit: *ipsa conteret caput tuum*. Dæmon caput nostrum conterit, quia in capite et principio vitæ nostræ, seu in instanti conceptionis nostræ, per peccatum originale nos suo dominio subdit; Maria vero caput dæmonis contrivit, quia, cum in instanti conceptionis et peccato originali immunis fuerit, tunc de dæmone triumphavit: *cum subjectio originalis peccati caput sit diaboli; tale caput Maria contrivit; quia nulla peccati subjectio ingressam habuit in animam Virginis et ideo ab omni macula immunis fuit* (S. Aug. de Gen. ad litt. 12). S. Augustino accinit Joannes Gerson, dicens, æquissimum fuisse, quod Maria caput dæmonis contereret, ita quod nunquam ei subiceretur ratio peccati originalis: *justum est quod regina cæli, magistra angelorum contricerit caput serpentis, idest infernalis inimici, ut non sit ullo tempore membrum suum, et subjecta ejus* (serm. de Conc.). Majus et clarius Dei testimonium pro Mariæ immunitate habetur in libro Proverbiorum, ubi dicitur, quod *sapientia edificavit sibi domum*. Quæ sit illa sapientia et quam domum edificaverit, explicat S. Bernardus his verbis: *hec itaque sapientia, quæ Dei erat et Deus erat, de sinu Patris ad nos veniens, edificavit sibi domum, ipsam scilicet Matrem suam Virginem Mariam* (in Cant. 9). Hæc ergo sapientia est Christus, seu Verbum æternum et domus quam edificavit, est sanctissima Virgo Maria, quam creavit, ut in ejus utero novem mensium spatio habitaret; quare cum hanc domum, seu Matrem suam Christus condiderit, estne credibile, quod aliquando hæc domus sordida fuerit et Maria originalis peccati sordibus aliquando inquinaretur? *Unde sordes in domo, ad quam nullus habitator accessit et ad quam solus Dominus et fabricator ejus venit?* (S. Aug. de hæc. 6) Nullæ quidem sordes in hac domo esse potuerunt; seu Mater Christi, quam ipse formavit, ut in ejus utero carnem sumeret, nullius peccati sive actualis sordibus inquinari debuit: *absit, ut proprii quidquam inquinamenti hæc aliquando habuisse dicatur* (S. Bern. s. de Ass.). Tantum abest,

hanc domum sordibus peccati fuisse inquinatam, quin contra, inquit Augustinus, omnibus virtutibus, omnibusque Spiritus Sancti donis fuit orata: *Nullam sibi digniorem domum Filius Dei edificavit, quam Mariam, quæ nunquam fuit a latronibus perfoesa, nunquam ab hostibus capta, neque suis unquam ornamentis spoliatæ; in qua septem columnas eiecit, omnes inquam virtutes, et omnia dona Spiritus Sancti*. Aperiamus librum Canticorum, ubi præclara Dei pro Mariæ immunitate afferuntur testimonia: ibi enim dicit Deus, Mariam esse hortum conclusum: *hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus* (Cant. 4, 12). Mariam per hunc hortum designari docent S. Damascenus, Alanus et multi sacre Scripture interpretes: dicitur autem quod Maria fuerit *hortus conclusus*, ut manifestetur differentia inter istum hortum et eum, in quo positus fuerat Adamus: hortus enim, seu paradus voluptatis, in quo positus fuit Adamus, non fuit ita clausus, quin pateret accessus serpenti; Maria fuit hortus ita conclusus, ut in eum serpens tartareus intrare nequivit. Hanc hortum ita conclusit Deus, ut demoni nullus patnerit ingressus, in paradum voluptatis intraverat serpens infernalis, ut Adamum et Evam ad peccatum alliceret; Maria dicitur hortus clausus, ad quem nunquam intravit serpens, ut eam aliquo peccato inquinaret: *ad hunc paradum serpens aditum non habuit*, inquit Damascenus. Et ut ait Alanus, Maria fuit *hortus conclusus; undique nullis diabolicis patens accessibus*. Ecce hortum perfectum undique clausum, in quem demon intrare nequivit, ut Mariam peccato inquinaret. Hic vero advertendam, quod Maria bis dicatur hortus clausus. *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus*. Et ratio est, quia ipsa ita fuit clausa et ita per Dei providentiam servata, ut ad eam nec actuale, nec originale peccatum intraverit: *originale namque peccatum nunquam contraxisti, quemalmodum et peccatum actuale nullum commisisti* (Dionys. Carth. de perf. Char.). In libro etiam Canticorum (c. 4) habetur, quod Deus Mariam alloquens, dicat: *tota pulchra es amica mea et macula non est in te*. Si Maria originali peccato foedata fuisset,

tota pulchra minime diceretur; jamvero tota pulchra a Deo vocatur, quia ab omni peccati inquinamento libera et elongata: *tota pulchra fuit, quam totam possedit gratia, quia nullum in ea locum habuit peccatum* (Rich. a S. Vict.). O Domine Christe, scimus, quod *tu pulcher es*, et ita pulcher ut impossibile fuerit, quod aliqua peccati sive originalis sive actualis turpitude ad te appropinquaret; idemne dicendum de Maria Matre tua? Nonne hæc aliquam peccati habuit maculam? Nonne hæc saltem originalis peccati maculam simul cum aliis hominibus contraxit? Nequaquam, inquit Joannes Gerson his verbis: *tota pulchra est amica Dei nostri omni tempore, in sua conceptione et post, absoluta et libera a damnisfero tyranno, peccato originali*. Neque solum pulchra exiit propter immunitatem a peccato originali, verum etiam propter perfectissimam innocentiam a quovis alio peccato actuali: *tota pulchra es Virgo gloriosissima*, inquit sapientissimus Idiota, *non in parte, sed in toto; et macula peccati sive mortalis, sive venialis, sive originalis non est in te, nec unquam fuit, nec erit in contem. Deip.* O pereximia pro immaculata conceptione testimonia! Alia multa his similia ex S. Scriptura facile adduci possent: ast ne nimis ista orationis mee pars protrahatur, compendiose dicam, quod non dictis solum, verum et factis Mariae immunitatem testato sunt tres sanctissimæ Trinitatis Personæ. Pater æternus hoc testatus est, cum Mariam modo specialissimo et nobilissimo in filiam adoptavit; Filius, cum illam in Matrem elegit; et Spiritus Sanctus, cum illam in sponsam assumpsit: nec enim Pater, Filius et Spiritus Sanctus firmius et clarius testari poterant, Mariam originalis peccati maculam non contraxisse, quam cum assumpserunt eam, unus in filiam, alius in matrem et alius in sponsam. Cum enim Pater Mariam modo specialiori in filiam adoptavit, eo ipso testatus est, quod in ea nulla esset, nec futura esse peccati macula, quia non eam in filiam adoptasset, si peccato inquinata fuisset, aut si a peccato illam præservare noluisset, et si *corona senum filii filiorum* (Pro. 17, 6), quæ corona, quæve gloria Patri æterno fuisset, si peccatricem filiam adoptasset? Idem dicendum de

Filio, qui authentico testimonio manifestavit, Mariam ab originali labe fuisse immunem, cum eam in Matrem elegit: nec enim Matrem peccatricem sibi eligere voluisset: *non est credendum, quod ipse Filius Dei coluerit nasci ex Virgine et sumere ejus carnem, si esset maculata aliquo peccato originali* (S. Ber. ser. 49). Idem asserendum de Spiritu Sancto, qui majus pro immunitate Mariæ testimonium dare non poterat, quam cum eam in sponsam accepit. Si enim Abraham noluit, quod filius suus in sponsam sumeret filiam de genere quodam malo: *noli accipere conjugem de genere Chanaan* (Gen. 28); quis credet, Spiritum Sanctum, omnis sanctitatis et puritatis authorem in sponsam assumpsisse filiam peccato originali maculatam? Hoc prorsus incredibile: unde divus Damascenus ait, quod *Maria immaculata conservata est in Dei sponsam*. Ecce Dei testimonium pro immaculata conceptione: inquiramus *testimonium angelorum*.

II PARS.

Mariæ immunitatem testantur angeli.

Etsi Dei plus quam sufficiens sit testimonium, angelos tamen audire non displicebit, qui Mariam ab originali labe immunem exitisse pluries declarant, eique ut immaculata congratulantur. Inter coelestes illos spiritus primus occurrit mihi S. Gabriel Archangelus, cujus quot verba, tot fuerit pro immunitate Mariæ testimonia: ipse enim eam salutavit, dicens: *ave gratia plena, Dominus tecum* (Luc. 1, 28). Quæ verba si æqua lance pendantur, ea esse gravia pro immaculata Virginis conceptione testimonia quisque fatebitur. Dixit enim primo Gabriel Archangelus Virgini Mariæ: *ave*, idest sine *ve*. O angelo Dei! sine quo *ve* est Maria? Scimus eam esse sine *ve* peccati mortalis et venialis; jam dicas, quæso, an sit etiam sine *ve* peccati originalis? Pro illo angelo alius respondebit angelus, Doctor scilicet Angelicus, qui angelicam explicans salutationem, ait:

fuit Maria sine triplici vae; sine vae peccati venialis, sine vae peccati mortalis et sine vae peccati originalis. Respondit etiam S. Bernardinus Senensis, puritate sua vere angelicus: *ave, inquit, beata Virgo sine vae, id est, sine tyranno peccati originalis, quia sine eo concepta es.* His duobus adjungam Dionysium Carthusianum dicentem: *Maria semper fuisti sine omni vae culpe per gratiam, sicut Filius tuus per naturam.* Dixit secundo Gabriel Archangelus, Mariam esse gratia plenam: *ave gratia plena.* Plerique hominum avaritia, superbia, dolo, inmunditia et aliis multis vitis replentur; Maria non peccato, sed gratia fuit plena, atque ita gratia plena, inquit divus Thomas, ut totam Spiritus Sancti gratiam quasi exhausserit: *Virgo sancta totam sibi hauserat Spiritus Sancti gratiam.* Et sanctus Bernardinus ait, quod excepto Christo, tanta gratia Virgini data est, quanta uni creature puro dari possibile est. O magnam gratiarum abundantiam in Maria! inquiramus, quo tempore gratiae plenitudinem ipsa obtinuerit? Forte tunc solummodo gratia plena fuit, cum Verbum aeternum in ejus utero carnem sumpsit? Verum est, quod tunc majorem habuerit gratiae plenitudinem; fuit tamen gratia plena ab ipso conceptionis instanti: *Dominus nostra fuit plena gratia preservatica contra feccitatem originalis culpe, quam contraxisset corruptione naturae, nisi ex speciali gratia proventa, preservataque fuisset.* Sic loquitur Doctor Seraphicus (Serm. 2 de B. V.). Et cardinalis Cusanus ait, Mariam in instanti conceptionis non solum gratia, verum et justitia originali fuisse plenam: *ipsa sola post Adae lapsum, non indigna, sed plena originali justitia, ut Heva et multo magis.* Dixit tertio Mariae Archangelus Gabriel, Dominum cum illa esse, eamque inter mulieres esse benedictam: *Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Dominus erat cum illa per gratiam, qua fuerat repleta ab instanti conceptionis; eratque vere benedicta, quia ab omni pressura maledictionis, non ex se, sed ex virtute Altissimi aliena fuit. Sicut enim primus Adam ex terra virgine et nunquam maledicta conditus fuerat, ita et secundus Adam, seu Christus, formatus fuit ex terra nun-

quam maledicta; seu genitus a Maria, quae maledicto peccati nunquam subjacuerat: *sicut primus Adam formatus fuit ex terra antequam esset maledicta; ita secundus formatus est ex terra virgine, nunquam maledicta (Salazar de Conc.).* Dixit postremo Mariae Gabriel, Spiritum Sanctum in eam superventurum: *Spiritus Sanctus superveniet in te.* Cur non dixit angelus, Spiritum Sanctum in ea esse venturum, sed superventurum: *superveniet?* Huic dubio claram, nostroque proposito conformem solutionem dat Lyranus dicens, angelum asseruisse, Spiritum Sanctum superventurum, seu iterum venturum, quia jam ad eam ab instanti conceptionis per suam gratiam venerat: *bene dixit, superveniet in te, quia prius venerat Spiritus Sanctus super Virginem adhuc in utero matris existentem, illam ab originali preservando.* His testimoniis liquet, sanctum Gabrielem Archangelum e partibus Mariae stare, illumque immunitatis ejus et precatione esse et testem. Habemus etiam aliorum angelorum testimonia: multi ex caelestibus illis spiritibus Mariam demirantes, dixerunt: *quae est ista, quae progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?* (Cant. 6, 9). In quibus verbis plurima angelorum testimonia in conceptionis immaculate gratiam coacervata habentur et conglobata: Mariam enim primo comparant aurorae: *quasi aurora consurgens.* Maria est aurora purissima, quam Deus formavit: *tu fabricatus es auroram (Ps. 73).* Haec est aurora pulcherrima, quae originalis peccati noctem et tenebras non admittit: *Maria est aurora, quam non tenebrarum originalis peccati non vidit (Pet. Dam. s. de Ass.).* Mariam duo angeli pulchram et lunam proclamant: *pulchra ut luna:* sicut enim luna in primo suae creationis instanti rutilantibus solis radiis fuit illustrata, ita et Maria in suae conceptionis momento solis justitiae gratia et divino lumine coruscavit; in hoc instanti non fuit luna imperfecta, sed *luna perfecta in aeternum (Psal. 88);* tunc fuit luna perfectissima et pulcherrima, quae per peccatum originale nullatenus fuit deturpata: *tota pulchra fuit, quam totam possedit gratiam, quia nullum in ea locum habuit*

peccatum (Ilich: a S. Vict.). Addunt angeli, quod Maria fuerit electa ut sol. Ex sancto Isidoro sol dicitur, *quia solus est et unicus*; ita beata Virgo Maria instar solis sola fuit et unica inter puras creaturas ab originalis peccati labe preservata. Alii nonnulli in utero materno fuere quidem sanctificati, non autem ab instanti conceptionis: Maria vero est sol, cui soli hoc privilegium fuit concessum: *sola gloriosissima Virgo non reperitur tempore ullo, peccato originali subiacuisse* (Card. Cusan.). Dicunt tandem angeli, quod Maria sit *terribilis, ut castrorum acies ordinata*. Maria Virgo, ut ait Origenes, *neque persuasione serpentis decepta est, neque ejus afflatibus infecta est*; quia contra in hoc mundum ingressa est daemionibus terribilis ac formidabilis, velut exercitus ad certamen paratus; non in hunc mundum ingressa est, ut captiva daemionis per peccatum originale, verum ut Virgo sanctissima daemioni terribilis, *ut castrarum acies ordinata*. Ecce testimonium angelorum pro immaculata conceptione. Veniamus ad *S. Romanum Ecclesiae testimonium*.

III PARS.

Mariae immunitatem testatur Ecclesia.

Cum aliqua questio, vel dubitatio in rebus fidem vel pietatem spectantibus insurgit, solutio, quantum fieri potest a S. Ecclesiae testimonio sumenda est: *non oportet apud alios veritatem quaerere, quando facile est ab Ecclesia sumere* (S. Iren. adv. haer. 3). Est autem facillimum pro immunitate Mariae testimonium Ecclesiae sumere, cum ipsa in hac materia locuta sit ore Apostolorum, summorum Pontificum et conciliorum; ore Apostolorum, qui Ecclesiam stabilierunt; ore summorum Pontificum, qui eam rexerunt; et ore Conciliorum, qui eam representantur. Omnes apostoli, qui Mariae morienti divinitus adstitero, convenisse etiam videntur ad ejus ortum laudandum, et ad illam in conceptione immaculatam praedicandam. Testimonium

S. Andreae jam retulimus dicentis, secundum Adam, seu Christum, natum esse ex terra non maledicta, seu ex immaculata Virgine. S. Jacobus Minor, apostolus et episcopus hierosolymitanus in sua Liturgia, cujus pluries mentionem facit sexta Synodus (1) (c. 32), Mariam *immaculatam et gloriosissimam Dominam nostram Dei Matrem* vocat. Eam pariter S. Marcus in sua Lyturgia *immaculatam et omnibus modis irreprehensibilem* appellat. Alia his similia aliorum apostolorum testimonia, ex libro quodam Vallisoleti servatos desumpta, refert illustrissimus Franciscus de Souza, episcopus de Osman, in libro mirabili, quem pro Mariae immunitate composuit. S. Mathias apostolus, inquit, hoc modo loquitur: *o beata Maria, non fuisti concepta in peccato, imo semper plena omni gratia ac sapientia*. S. Thomas apostolus sic fatur: *o felix, quae in principio vitarum fuisti electa, et in praevio peccato Adami non fuisti cum aliis damnata*. S. Mattheus dixit: *o Maria immaculata, Spiritus Sanctus ab aeterno te preservavit*. Ne autem diutius immoremur in exquirendis specialibus apostolorum pro immunitate Mariae testimoniis, quid senserint omnes, habemus ex Concilio apostolorum Hierosolymis congregato, ubi, prout constat ex libris Ss. Caecili et Tesiphon, omnes unanimiter dixerunt et declararunt, quod *illa Virgo, illa Maria, illa Sancta preservata fuit a peccato originali in primo instanti suae conceptionis, et libera ab omni culpa*. Ecce testimonium Ecclesiae ore apostolorum prolatum. Audiamus eam loquentem ore summorum Pontificum. Doctor Angelicus probat, Mariam V. in sua natiuitate fuisse sanctam et immaculatam, quia, inquit, *non celebratur festum in Ecclesia, nisi pro aliquo sancto*; ex quo inferri potest a simili, Mariam in sua conceptione sanctam fuisse et immaculatam, cum plures ex summis Pontificibus festum de immaculata Virgine conceptione celebrari permiserint et jusserint; verum

(1) Haec est tertia Synodus generalis Constantinopoli convocata contra monothelitas, Petri cathedram tenente S. Agathone, anno 680. N. E.

alia plurima, eaque non contemnenda pro immunitate Mariæ habemus summorum pontificum testimonia. Sixtus quartus, ex magna qua ad mysterium conceptionis B. Virginis devotione ferebatur, quatuor edidit constitutiones, quarum duabus primis præcipit in tota Ecclesia romana celebrari officium sub titulo *Immaculate Conceptionis*. Aliis vero duabus constitutionibus approbat Officia Conceptionis a Bernardino de Bustis et Leonardo Vogarolis composita. Innocentius VIII, anno V sui pontificatus approbavit et confirmavit religionem Immaculate Conceptionis Monialium Toletæ. Julius secundus, Leo decimus, Clemens octavus, et alii nonnulli summi Pontifices plures indulgentias Immaculate Conceptionis festum celebrantibus concesserunt, multasque Ecclesias et monasteria sub titulo Immaculate Conceptionis erecta approbarunt et confirmarunt. Paulus quintus in sua constitutione: *Regis pacifici*, prohibuit cunctis, *ne audeant in concionibus, lectionibus, conclusionibus et aliis quibuscumque actibus publicis asserere, quod beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali*. O præclara summorum Pontificum pro immaculata Virginis Mariæ conceptione testimonia! At omnibus aliis clarius et sublimius locutus fuisse videtur Alexander septimus in sua constitutione, que incipit: *Solicitude Ecclesiarum*, ubi renovat quæ a prædecessoribus suis in gratiam immaculate conceptionis decreta et concessa fuerant, et insuper ait: *animam B. V. M. in sua creatione et in corpus infusione Spiritus Sancti gratia donatam et a peccato originali præservatam fuisse*; quo nihil clarius pro immunitate Mariæ afferri posse videtur; ideo cum summi illius Pontificis verba mente revolve, mihi in mentem venit egregium Gelasii papæ effatum, lib. de S. Eucharistia, ubi agens de forma, qua Christus Dominus sacrosanctum hoc Sacramentum instituit, ait pontifex: *cum Christus Dominus tam apertis verbis dixisset: hoc est corpus meum, hic est calix sanguinis mei, proprio ore, tanquam gladio acutissimo, omnes hæreticos jugulavit, ac iniquorum ora obstruxit*. Dicam, modo aliquatenus simili, quod cum summus pontifex Christi in terris vices gerens apertis et clarissimis verbis testatus fuerit, ani-

nam B. Virginis *in sua creatione et in corpus infusione Spiritus Sancti gratia donatam, et a peccato originali præservatam fuisse*; jam ejus ora opposita sententia jugulata, omniumque adversariorum ora obstructa esse videntur. Ad hæc audiam breviter Ecclesiam ore *Conciliatorum* pro immunitate Mariæ loquentem.

In Concilio sexto generali, actione secunda, habentur hæc verba: *quæ immaculata semper existit ab eozordio tue creationis, quia paritura eras Creatorem totius sanctitatis*. In Concilio Nicæno, actione tertia, dicitur: *veneramus etiam et adoramus imaginem Deiparæ, et Domine nostræ irreprehensibilis et immaculate*. In Concilio Toletano secundo in professione fidei hæc leguntur verba: *solum Filii personam de sancta et immaculata Maria Virgine carnem credimus assumpsisse*. In aliis non paucis Conciliis similia pro immunitate Mariæ verba reperiantur: et novissime in Tridentino habetur sequens declaratio: *declarat S. Synodus, non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et immaculatam Virginem Mariam*. Insuper declarat ibidem eadem S. Synodus, observandas esse præallatas Sixti Papæ quarti constitutiones, sub penis in iisdem constitutionibus contentis, quas innovat. Ecce quæ pro immunitate Mariæ adducere proposueramus testimonia, quæ credibilia facta sunt nimis. Heu si bene perpendantur, quis eam in conceptione sua immaculatam extitisse dubitabit? quis non ei ex corde dicat: *macula non est in te*. O Maria! testes advocavimus cælum et terram, Deum, Angelos et Ecclesiam; eorum convenientia sunt testimonia, in hoc conveniunt omnes, quod originalis peccati maculam non contraxeris: *macula non est in te*. Miramini Mariam, in qua *nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit*. Eam miramini, et discite, toto corde exhorrescere, totisque conatibus peccatum fugere. Heu! Maria nec unico momento fuit peccato inquinata, et tot sunt, qui pluribus mensibus, imo et multis annis in peccato suo dormiunt et torpescunt. Heu peccator! si scires quid sit peccatum mortale, si nosses qui ejus sint effectus,

ab eo profecto plus quam a facie colubri declinaret; si serio perpenderes, quod Deus factus sit homo, ut pro peccato de rigore iustitiæ satisfacere valeret; si animo ponderares, quomodo unum peccatum mortale æternis plectatur supplicis; si sollicite meditareris illam pœnarum infernalium æternitatem, cui etiam pro unico mortali peccato homines ad dicuntur, certe plus mortale aversareris peccatum, quam ipsam mortem corporalem, imo et plus quam ipsum dæmonem. Attamen, o vesaniam et cœcitatem multorum hominum, qui licet mortali peccato inquinati, epulant nihilominus, rident, choreas agunt et dormiunt, ac si ipsis revelasset Deus, quod sint de sua salute securi. Mirabatur Cæsar Augustus, hominem multis gravatum debitis, somno posse indulgere; quanto majori admiratione et stupore dignum videtur, quod homo in statu peccati mortalis, ac proinde infinitis et æternis gravatus debitis, dormire possit? O peccator, si in peccato tuo diu obdormisti, *exurge qui dormis*; surge nunc a peccato, ne in illo amplius immereris, nec ultra pœiaris illud in te inhabitare; expelle a te omnes iniquitates tuas, lava te salutari poenitentia; baptismo, nulla denique in te remaneat macula, ut aliquando cum Maria in cœlo æterna beatitudine perfruaris. Amen.

piarunt, sunt velut ornamenta, quibus in perpetuum decorabuntur et nobilitabuntur. Unde licet nimio sanctos suos Deus afficere soleat honore: *ainis honorati sunt amici tui*; eorum tamen non reticet peccata; quin contra clarissimis et exaggerativis ea verbis explicat; nec quisquam tam graviter inimici sui crimen effert, quam Deus electorum suorum, qui prius peccatores extiterunt, cuius aggravat et amplificat. Videte, quam clare Davidis adulterium, homicidio contactum, cum omnibus adiunctis utrumque illud crimen aggravantibus describat. Attendite, quomodo Petri negationem a quatuor evangelistis conscribi, et vivis coloribus depictam nostris oculis obijci curet. Perpendite, quomodo Magdalena peccata delineari satagat; imo et peccatriceo famosam illam vocari sinat: *erat in civitate peccatrix*. Animo tandem revolite, quomodo vel ipsorum apostolorum, quos eramus in totius vitæ exemplum habituri, nec affectus natura imbecilliores, nec casus etiam graviores ab evangelistis dissimulari velit, et præcipue divi Thomæ apostoli, cujus dubium et incredulitatem narrant et manifestant: *noli esse incredulus, sed fidelis*. Dei hac in parte nunc me menti conformabo, et divi Thomæ peccata simul cum ejus virtutibus non in dedecus, sed in laudem illius describere et manifestare pertentabo: si enim magna gloria est monstra domasse, non parva gloria est D. Thomæ, quod peccata, que horrenda sunt monstra, e corde suo eiecerit et penitus extirpaverit. Loquar ergo et de peccato et de virtutibus illustris illius apostoli. Ape.

Divus Thomas dubitavit, tetigit et credidit: *dubitavit*, an Christus a mortuis surrexerit, et an eum alii viderint apostoli; *tetigit* vulnera Christi eum ad ipsa tangenda invitantis: *credidit* tandem, quia de rei veritate convictus, clamavit dicens: *Dominus meus et Deus meus*. S. Gregorius papa admonet, non fortuito factum esse, quod divus Thomas dubitaverit, tetigerit et crediderit: *numquid casu gestum creditis, ut electus ille audiens dubitaret, dubitans palparet, palpans crederet?* (hom. 26 in Evang.). Fateor, me non omnia percipere mysteria, que in hoc dubio, in hoc contactu et

DE SANCTO THOMA APOSTOLO.

CONCIO UNICA.

Noli esse incredulus sed fidelis (Joan. 20, 27).

Sicut in damnatis peccata, que per poenitentiam non abluunt, sunt maculæ perpetuæ, quibus fedantur et deturpantur: ita in beatis crimina, que salutaris poenitentia lavacro ex-

ab eo profecto plus quam a facie colubri declinaret; si serio perpenderes, quod Deus factus sit homo, ut pro peccato de rigore iustitiæ satisfacere valeret; si animo ponderares, quomodo unum peccatum mortale æternis plectatur suppliciiis; si sollicite meditareris illam pœnarum infernalium æternitatem, cui etiam pro unico mortali peccato homines addicuntur, certe plus mortale aversareris peccatum, quam ipsam mortem corporalem, imo et plus quam ipsum dæmonem. Attamen, o vesaniam et cœcitate[m] multorum hominum, qui licet mortali peccato inquinati, epulant nihilominus, rident, choreas agunt et dormiunt, ac si ipsis revelasset Deus, quod sint de sua salute securi. Mirabatur Cæsar Augustus, hominem multis gravatum debitis, somno posse indulgere; quanto maiori admiratione et stupore dignum videtur, quod homo in statu peccati mortalis, ac proinde infinitis et æternis gravatus debitis, dormire possit? O peccator, si in peccato tuo diu obdormisti, *exurge qui dormis*; surge nunc a peccato, ne in illo amplius immereris, nec ultra pœnaris illud in te inhabitare; expelle a te omnes iniquitates tuas, lava te salutari poenitentia[m] baptismo, nulla denique in te remaneat macula, ut aliquando cum Maria in cœlo æterna beatitudine perfruaris. Amen.

piarunt, sunt velut ornamenta, quibus in perpetuum decorabuntur et nobilitabuntur. Unde licet nimio sanctos suos Deus afficere soleat honore: *ainis honorati sunt amici tui*; eorum tamen non reticeat peccata; quin contra clarissimis et exaggerativis ea verbis explicat; nec quisquam tam graviter inimici sui crimen effert, quam Deus electorum suorum, qui prius peccatores extiterunt, culpas aggravat et amplificat. Videte, quam clare Davidis adulterium, homicidio contactum, cum omnibus adiunctis utrumque illud crimen aggrava[n]tib[us] describat. Attendite, quomodo Petri negationem a quatuor evangelistis conscribi, et vivis coloribus depictam nostris oculis obijci curet. Perpendite, quomodo Magdalena peccata delineari satagat; imo et peccatrice[m] famosam illam vocari sinat: *erat in civitate peccatrix*. Animo tandem revolvit, quomodo vel ipsorum apostolorum, quos eramus in totius vitæ exemplum habituri, nec affectus natura imbecilliores, nec casus etiam graviore[s] ab evangelistis dissimulari velit, et precipue divi Thomæ apostoli, cujus dubium et incredulitatem narrant et manifestant: *noli esse incredulus, sed fidelis*. Dei hac in parte nunc me menti conformabo, et divi Thomæ peccata simul cum ejus virtutibus non in dedecus, sed in laudem illius describere et manifestare pertentabo: si enim magna gloria est monstra domasse, non parva gloria est D. Thomæ, quod peccata, que horrenda sunt monstra, e corde suo eiecerit et penitus extirpaverit. Loquar ergo et de peccato et de virtutibus illustris illius apostoli. Ape.

Divus Thomas dubitavit, tetigit et credidit: *dubitavit*, an Christus a mortuis surrexerit, et an eum alii viderint apostoli; *tetigit* vulnera Christi eum ad ipsa tangenda invitantis: *credidit* tandem, quia de rei veritate convictus, clamavit dicens: *Dominus meus et Deus meus*. S. Gregorius papa admonet, non fortuito factum esse, quod divus Thomas dubitaverit, tetigerit et crediderit: *numquid casu gestum creditis, ut electus ille audiens dubitaret, dubitans palparet, palpans crederet?* (hom. 26 in Evang.). Fateor, me non omnia percipere mysteria, que in hoc dubio, in hoc contactu et

DE SANCTO THOMA APOSTOLO.

CONCIO UNICA.

Noli esse incredulus sed fidelis (Joan. 20, 27).

Sicut in damnatis peccata, que per poenitentiam non abluunt, sunt maculæ perpetuæ, quibus fedantur et deturpantur: ita in beatis crimina, que salutaris poenitentia[m] lavacro ex-

in hac sancti Thomæ confessione latent, verum ut sancti hujus apostoli panegyricum clare et dilucide contexam, illum ut hominem, ut Christi amicum et ut fidelem ejus servum inspicio. D. Thomas *ut homo* dubitavit: *ut amicus*, tetigit; *et ut fidelis*, credidit. *Dubitavit Thomas*, ecce ejus crimen; *tetigit*, ecce ejus felicitatem; *confessus est*, ecce ejus fidem. Videamus 1. peccatum Thomæ dubitantis; 2. felicitatem Thomæ tangentis; 3. fidem Thomæ confitentis.

Peccatum sancti Thomæ dubitantis.

Cum sancto Thomæ se Christum suscitatum vidisse alii dixerunt apostoli, iis ipse minime credidit, asseruitque se nunquam crediturum resurrexisse Christum, nisi ejus vulnera et videret et tangeret: *nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam* (Joan. 20). Ecce sancti Thomæ dubium, in quo sanctus hic apostolus mihi peccasse videtur graviter, leviter et utiliter: ejus peccatum 1. fuit grave ex se et ex sui natura; 2. fuit leve ex quibusdam circumstantiis; 3. fuit utile ratione fructus qui ex eo manavit.

1. Certum est, quod cuilibet leviter et absque solido fundamento non sit credendum: *qui enim cito credit, levis est corde* (Eccli. 15, 4). Si quis autem Deo, angelis, apostolis et aliis quibusdam Dei amicis unum quid asserentibus credere renneret, hic procul dubio ab omnibus incredulus et infidelis censeretur. Talis autem extitit divus Thomas respectu mysterii resurrectionis; Christus enim se resurrecturum pollicitus erat: *post tres dies resurgam*. Angeli Christum a mortuis surrexisse asseruerant: *surrexit, non est hic* (Luc. 9); Maria Magdalena se illum suscitaturum vidisse dixerat: *vidi Dominum et hæc dicit mihi* (Luc. 24); duo discipuli ex Emmaus reversi se cum illo in via processisse affirmarunt; ac tandem

alii apostoli Thomæ dixerant: *vidimus Dominum*; hic tamen iis omnibus fidem non adhibet, dicens se nunquam crediturum surrexisse Christum, nisi illum videret: *nisi videro, non credam*. Quapropter si in se et ex sui natura spectetur Thomæ peccatum, vera et gravis fuit incredulitas; et ideo præcepit ei Christus, ne in posterum esset incredulus: *noli esse incredulus, sed fidelis*. Et S. Augustinus (serm. 159) D. Thomam graviter peccasse indicat, dicens: *dum curiosus exitit in vulnere, mortem incurrit in fide*. Ingemiscit Salvianus, quod nonnulli ita miseri habentur et perversi, ut hominibus credant et non Deo: *o miseria! o perversitas! creditur homini ab homine, et non creditur Deo* (l. 2 ad Eccles.). S. Thomas iis etiam miserior perversior fuisse videtur, quia nec Deo, nec hominibus, ac propriis solum sensibus credere voluit, et per continuos octo dies in suo pertinaciter errore permansit credere nolens, nisi videat et tangat: *nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam*. O Thomas! vidisti Christum cæcos illuminantem, ægrotos sanantem, mortuos suscitantem, et multa prophetantem; ipsi pariter, cum se resurrecturum prædixerit, credere deberes? *Non credam*. O Thomas! et si Christus ad te angelorum legionem mitteret, qui omnes ipsum a mortuis surrexisse testarentur, nonne ei crederes? *Non credam*. Et si ad te veniret sanctissima ejus Mater, que simul cum aliis multis Filium surrexisse assereret? *Non credam*. Quid si ad te veniret ipse Christus, ita tamen ut eum non videres, solum audires dicentem, quod vero surrexerit? *Nisi videro, non credam*. Crederes ergo saltim, si eum videres, licet ejus vulnera non tangeres? *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam*. O gravem divi Thomæ incredulitatem! o magnam pertinaciam, si in se et ex sui natura spectetur! Nonnulli tamen auctores hujus apostoli peccatum ex aliquibus adjunctis minus, quam primo intuitu appareat, grave fuisse probant. Eorum rationes adducemus, ex quibus constare poterit

Thomæ peccatum, ex sui natura grave, *levis esse ex aliquibus adiunctis.*

2. D. Augustinus, qui dixerat, Thomam mortem incurrisse in fide, eum excusat dicens, quod *vox ista: nisi videro, inquerentis est, non negantis.* D. Ambrosius Thomam non de Christi resurrectione, solum de resurrectionis modo dubitasse assertit: *non de resurrectione, sed de resurrectionis qualitate dubitavit* (l. 10 in Luc.); sicut Maria angelo Verbi incarnationem annuntianti credidit, et tamen ab illo modo quæsivit, quod Christi Mater fieri posset: *quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* ita, inquit divus Ambrosius, non dubitavit Thomas de Christi resurrectione quoad substantiam, sed quoad modum: non ipsum resurrexisse, tantum de modo resurrectionis ejus dubitavit. Sanctus Cyrillus Alexandrinus, ut sanctum Thomam excuset, ait eum non tam ex infidelitate, quam ex mœnore hæc verba protulisse: *nisi videro, non credam;* tanta hujus apostoli fuit tristitia ex eo quod simul cum aliis Christum a mortuis suscitatum non viderit, ut in præfata verba ex mœnore magis, quam ex infidelitate proruperit: *michi videri solet Thomam non infidelitate magis, quam solo mœnore perturbatus fuisse, quia Dominum suum oculis non viderit* (l. 12 in Joan.). Simeon Metaphrastes præalata divi Thomæ verba novo et subtili modo in hujus apostoli gratiam explicat, dicens, quod ea non ex infidelitate, sed ex maxima lætitia protulerit; sicut enim mater, cuius unicus filius a multo tempore in regionem longinquam abiit, et quem jam mortuum esse suspicatur, maxima in adventu ejus afficitur lætitia: et cum ei primo filium venisse nunciatur, ipsa, quamvis de ejus adventu nequaquam dubitet, præ nimio tamen quo capitur gaudio clamat: *nisi filium meum videro, cum venisse non credam;* ita D. Thomas, licet Christum resurrexisse non dubitaret, præ nimio tamen gaudio clamavit: *nisi videro, non credam.* Dici etiam posset cum aliis quibusdam authoribus, hæc verba protulisse Thomam ex primo impetu et quasi ex motu primo; vel etiam ejus excusandi gratia dici posset, ipsum ex ignorantia magis, quam ex malitia peccasse. His et aliis præsumptionibus sancti

Thomæ peccatum non ita grave extitisse, piè credi potest; dum vero peccavit leviter, *peccavit etiam utiliter ratione fructus, qui ex ejus peccato processit.*

3. Nunquam facienda sunt mala, ut inde eveniant bona; nec aliquando cujusvis sive spiritualis sive temporalis emolumenti intuitu quam levissime peccare licet; peccata tamen jam perpetrata nonnunquam cooperantur in bonum, et ex eis multa occasionaliter eliciuntur bona; ut enim ait sanctus Ambrosius, *etiam lapsus sanctorum utilis est.* Quis protoparentum lapsam aliquando utilem fore credidisset? Fuit tamen et maximo; idcirco de illo loquens Ecclesia, læta canit: *o felix culpa, que talem, ac tantum meruit habere Redemptorem!* Omnibus etiam innotescunt emolumenta, que ex Davidis lapsu percipiunt: nisi enim peccasset, non habuissemus adeo evidens divine misericordie erga peccatores testimonium, nec tam efficax penitentie obunde documentum: *ceteris ejus casus medicina fuit, et illius naufragium fuit aliis portus.* Petri lapsum nobis utilem fuisse docet S. Ambrosius: *ecce, inquit, nobis nihil nocuit, quod negavit, sed plurimum profuit, quod flecit.* Similiter D. Thomæ lapsum nobis utilem fuisse declarat S. Gregorius: siquidem ex eo, quod in incredulitatem lapsus sit, occasionaliter contigit, ut nos in fide resurrectionis Christi firmaremur: *dum vulnera sanat incredulitatis.* Quod mirabili gradatione explicat et confirmat S. Crysostomus, dicens: *divinus erat dispensationis mysterium, ut discipulus non adesset. Si quidem enim adfuisset, minime dubitasset; si autem non dubitasset, non etiam palpasset; si vero non palpasset, neque sic credidisset: nisi denique sic credidisset, non sic alios credere docuisset* (in Dom. in Alh.); igitur de primo ad ultimum optime sequitur, Thomæ peccatum nobis occasionaliter profuisse, quia resurrectionis mysterium clarius cognoscendi et firmius credendi nobis occasionem præbuit. O magnam utilitatem! Optarem tamen, quod ex hujus apostoli casu aliud eliceremus emolumentum, ut scilicet, quantumvis justi et sanctissimi, nunquam superbiamus, nec de salute nostra præsumamus, at plurimum semper

timeamus: *noli altum sapere, sed time*. Heu! si cœli commoveatur columna, quid fiet de arundine. Si D. Thomas, qui in Christi schola fuerat eruditus, qui in collegio apostolico, valuti stella fulgentissima rutilabat, et qui a Christo, ut Ecclesie columna fieret, fuerat vocatus, misere et flebiliter cadit, quis, quantumvis sanctus, non trepidabit? Si peccavit zelantissimus hic apostolus, qui ante casum suum miracula fecisse et revelationes habuisse creditur, quis non pavebit? Est certe quod timeamus, et quod salutem nostram cum timore operemur: *cum metu et tremore salutem vestram operamini*. Quamdiu in hoc mundo moramur, nunquam absque speciali Dei revelatione de salute securi sumus: *non monachus securus in claustris, non eremita securus in solitudine* (Inn. III de cont. mund.); itaque timor et tremor veniant super nos, et cum sancto timore in via salutis incedamus, quo nobis utilis fiet D. Thomæ casus. Postquam de Thomæ dubitantis peccato disseruimus, ejusdem tangentis felicitatem demiremur.

II PARS.

Felicitas S. Thomæ tangentis Christi vulnera.

Christus Dominus misericordia motus erga apostolum suum Thomam, a misero, in quo versabatur statu, illum eruere voluit; quare post octo ab ejus casu dies se ei manifestavit, eique tangenda exhibuit manuum et lateris sui vulnera: *infer digitum tuum hæc, et vide manus meas, et asser manum tuam, et mitte in latum meum* (Joan. 20). Hæc Christi vulnera non solum vidit Thomas, sed tetigit: *videbat, tangebatur*. Nimia curiositate et presumptione illa tangere petierat; illa tetigisse maxima ejus fuit felicitas, quia per hunc tactum factus est sapientior, ardentior et generosior; ex hoc enim tactu 1. intellectus ejus repletus fuit lumine; 2. voluntas

ejus repleta fuit amore; 3. cor ejus repletum fuit fortitudine.

1. In tetrīs erroris suis tenebris octo diebus jacuerat D. Thomas: toto hoc tempore ejus obscuratus fuerat intellectus; cum tandem Christi tetigit vulnera, ex hoc tactu mens ejus ita illustrata remansit, ut fugatis omnium errorum tenebris, ipse noverit mysterium resurrectionis, de quo antea dubitaverat; et Christum verum hominem, verumque Deum esse proclamaverit, dicens: *Dominus meus et Deus meus*. Deum peccato suo perdidit propheta regius; Deum etiam infidelitate sua perdidit Thomas; Deum, quem perdidit, manibus suis quesivit propheta: *manibus meis Deum exquisivi, et non sum deceptus* (Ps. 76). Deum etiam suis manibus exquisivit Thomas, quia Christum tetigit, palpavitque, et non fuit deceptus; nam hoc tactu tantum lumen in ejus intellectum illapsum est, ut noverit Christi resurrectionem et divinitatem: *tangebatur hominem et confitebatur Deum, quem non tangebatur*. Si Aristides olim dixerit, quod ex Socratis contubernio et tactu fieret sapientior et doctior: *proficiebam, o Socrates, quotiescumque tecum eram, et longe magis cum apud te sedens, te tangebam* (sp. Plat. in Teol.); quanto magis profecit S. Thomas ex tactu vulnerum Christi, ex quo ita sapiens et illustratus evasit, ut protinus Christi resurrectionem et divinitatem confessus sit: *Dominus meus et Deus meus*. Christi vulnera fontes vocat propheta evangelicus: *haurietis aquas de fontibus Salvatoris* (Is. 12). Hæc quidem vulnera fontes exitere sanguinis omnium hominum gratia; respectu sancti Thomæ fontes etiam exitere luminis. Est in Epiro fons effundens lumen sicut aquam, quia si in eum extinctæ immergantur faces, statim reaccendantur: *si extinctas faces demerseris, inflammat*. Vulnera autem Salvatoris huic fonti quodammodo similia fuere respectu S. Thomæ: in hoc enim apostolo extinctum fuerat fidei lumen; ipsius mens erat veluti fax extincta; cum vero fax illa in Christi vulneribus fuit immersa, mox accensa fuit; postquam incredulus hic discipulus vulnera Christi tetigit, divino ita irradiatus fuit lumine, ut divinitatis arcana clarius nosse videa-

tur, quam S. Joannes Evangelista, quia, ut ait S. Thomas a Vilanova, Christum Joannes tetigit solum dormiendo (1), Thomas vero illum tetigit vigilando: *ab illo pectore arcana celestia Johannes hauserat dormiendo, in illo Thomas grandes thesauros reperit scrutando* (Conc. in oct. Pasch.). De magno quodam duce fertur, quod aliqui ejus emuli invidia in illum tabescentes, ut ejus gloriam et famam denigrarent, illum in tabella depictum exposuerunt, non vigilantem et urbium moenia profligantem, verum dormientem, manibusque rete tenentem, in quod urbes ex se ipsis absque ullo auxilio impulsu se projiciebant: sapiens autem ille dux, ut inimicorum confunderet invidiam, praeclare dixit: *si tot urbes capio dormiens, quid facerem vigilans?* Haec optime, meo quidem iudicio, sanctis apostolis Johanni et Thomae applicari possunt: Joannes enim dormiens, Thomas vero vigilans Christum tetigit. Si ergo S. Joannes dormiens tanta novit divinitatis mysteria, quanto majora nosse videtur Thomas, qui Christum non dormiens, sed vigilans tangere meruit? Tanta quidem novit, ut digitus Thomae tangens non solum ipsius Thomae, verum et totius mundi factus sit Magister et Doctor: *Thomae digitus factus est magister mundi*. O vere magnam Thomae tangens felicitatem! cum per tactum vulnerum Christi intellectus ejus repletus fuerit lumine: *ac etiam voluntas ejus repleta fuerit amore*.

2. Nonnulla sunt amoris et charitatis vulnera: *est vulnus boni amoris, sunt vulnera charitatis* (S. Ambr.). Hujusmodi haud dubie Christi fuere vulnera, non solum, quia propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, ea pertulit; verum et quia ea contemplantibus et tangentibus charitatem inspirant et infundunt, ut videre est in sancto Thoma, qui nox ut sacra haec tetigit

(1) Evangelium narrat: *Erat ergo recubens unus ex discipulis ejus in sinu Jesu, quem diligebat Jesus. Invenit ergo hunc Simon Petrus* (Jo. 13, 23). De dormitione vero verbum quidem; imo contra bene vigilantem innasit videtur Petrus: quid enim dormientem de aetate proposita questione interrogaret? Nisi fortasse idem sit recumbere et dormire; quod videtur alii. N. E.

vulnera, Christi exarsit amore, dicens: *Dominus meus et Deus meus*; seu tu es, quem ut Dominum et Deum meum super omnia diligo. Christi pectus, ut loquitur S. Bernardus, erat *amoris domicilium*. Sanctus Thomas in hoc domicilium, seu in hanc amoris divini fornacem mittens manum, quasi alter Prometheus, ignem sacrum abstulit, quo accensus, clamavit: *Dominus meus et Deus meus*. Non dixit Dominus noster et Deus noster, sed *Dominus meus et Deus meus*, quia tanto ergo eum astuavit amore, quanto si sui solius esset Dominus et Deus: *meus dixit, non noster, quia ex magno affectu amoris vocat suam* (S. Ambr. in ps. 49). Cum Magdalena pedes Christi osculabatur, lacrymis rigabat et capillis capitis sui tergebat, Phariseus murmurans de Christo dicebat: *Hic si esset propheta, sciret utique, quae et qualis est mulier, quae tangit eum: quia peccatrix est* (Luc. 7). O Pharisee! si tu scires quae est illa mulier, quae Christum tangit, non illam peccatricem vocares, sed amantem, quia lacrymis peccata sua lavit, et cum Christi pedes tetigit, Christus cor ejus divino amore accendit; Christi pedes ipsa lavit, et Christus cor ejus charitate inflammavit; unde ex tactu pedum Christi facta est amore ejus accensa: *dilexit multum*. Quod de Magdalena diximus, de S. Thoma etiam dicendum; ipse enim non solum Christi pedes, etiam manus et latus ejus tetigit; ex hoc autem contactu ita Christi amore fuit sullammatus, ut eum tota mente, toto corde, totisque affectibus dilexerit; eum quoque ita amavit, ac si non aliorum, at sui solius esset Dominus et Deus: *meus dixit, non noster, quia ex magno affectu amoris vocat suam*. Miramini Thomae felicitatem, quae tanta fuit, ut per Christi tactum voluntas ejus amore repleta fuerit: *ac etiam cor ejus fortitudine*. ECAS

3. Christi vulnera mente tangebatur D. Bernardus, ea crebro contemplabatur, in ea ingrediebatur et in iis commorabatur cogitatione et affectu: ibique stans et requiescens spiritualmente, ita fortis fiebat et generosus, ut nec daemonis insidias, nec mundi fraudes, nec carnis illecebras aliquatenus timeret: *fremit mundus, premit corpus, diabolus insidiatur, non*

cado (ser. 6 in Cant.). O miram vim vulnere Salvatoris, etiamsi sola mente contrectentur! S. Thomas autem non mente solum ea tetigit, illa manu palpavit et in lateris vulnus manum immersit: *mitte manum tuam*; ex hoc ergo contactu tantam percepisse videtur fortitudinem, ut labores, passionem et ipsam mortem non timuerit. Unde hoc fortitudinis spiritu roboratus, totum, ut ait Chrysostomus, percurrit terrarum orbem et barbaras gentes, nec non populos ferocissimos, qui eum occidere cogitabant et querebant, impavidus peragravit: *solus orbem terrarum percurrit et in mediis plebibus volebatur volentibus eum interficere*. De Achille fertur, quod eum stygii fluvii aquis immersus fuerit, ex iis ita fortis et robustus exierit, ut a nemine superari valeret. In has quidem aquas immersus non fuerat S. Thomas, atvero digito vulnera Christi tetigerat, manum in latus ejus immerserat, ex quo ita fortis et strenuus evasit, ut nec dæmonis tentationes, nec hominum persecutiones, nec ipsam mortem amplius timerit; atque inter populos sibi infensissimos, ipsam interficere volentes, intrepidus steterit. Judæorum, Parthorum, Medorum, Persarum, Hircanorum, Indorum et aliorum populorum christianæ religionis infensorum regiones lustravit: ubique innumera occurrebant mortis pericula, ubique fortiter et generose ea parvipendit et impavidus mansit: *solus orbem terrarum percurrit et in mediis plebibus volebatur volentibus eum interficere*. O quam felix fuit S. Thomas post peccatum unum Christi tetigisse vulnera; cum ex eis tanta emolumenta perceperit. Heu! si ita infelices simus, ut in aliquod grave peccatum incidamus, ad Christi advolemus vulnera, ea contemplerur ut salutiferos redemptionis nostre fontes, in hæc ingrediamur sanctuaria et exiæ Christum rogemus, ut virtute sanguinis per sacra hæc vulnera fusi, a nostris mundare nos dignetur criminibus. Cum hæc Christus in corpore suo passus est vulnera, purpureis sanguinis sui characteribus in suis manibus, pedibus et latere nos descripsit: *In manibus meis descripsi te* (Isa. 49. 16). Supplices ab ipso petamus cum D. Augustino, quod hanc legat scripturam et quod horum vulnere virtute nobis indulgeat,

nosque salvare dignetur: *lege scripturam et salva me*. Sic mente illa tangemus vulnera et cum D. Thoma ab iis uberem fructum eliciemus. Quoniam vidimus Thomam tangentem, audiamus illum contentem, ejusque fidem demiremur.

III PARS.

Fides S. Thomæ confitentis.

Eternum nomini suo dedecus intulisset sanctus Thomas, si in infidelitate sua permansisset, et a via sua prava non recessisset; ipse autem per Dei misericordiam, qui antea de Christi resurrectione et divinitate dubitaverat, ad se reversus, Christum gloriose confessus est sermone, opere et passione. Sanctus ille apostolus Christum confessus est publice, efficaciter et constanter; eum confessus est 1. *publice* sermonibus suis; 2. *efficaciter* operibus suis; 3. *constanter* passionibus suis.

1. S. Thomas, qui in sua pertinax fuerat incredulitas, audito Christo ipsi dicente: *noli esse incredulus, sed fidelis*; statim palam et coram aliis apostolis illum ore et sermone confessus est, dicens: *Dominus meus et Deus meus*. Quibus verbis, ut ait Theophilactus, duplicem in Christo naturam, divinam scilicet et humanam confessus est: *dicendo Dominus meus, humanam; et Deus meus, divinam confessus est naturam*. Christus est Deus simul et homo; est homo nature humane; est Deus ratione nature divine et suppositi divini, seu personalitatis Verbi utramque hanc naturam terminantis: Thomas autem utramque hanc naturam in Christo agnoscens, eum Deum et hominem esse palam confessus est, clamans: *Dominus meus et Deus meus*; quasi diceret: O Christe! te hominem esse confiteor, quia in corpore tuo vulnera video, quæ ut homo pro mei salute in crucis patibulo pati dignatus es; te etiam Deum esse fateor, quia propria virtute a mortuis surrexisti, sicut prædixeras. Mystera divina corde credere non sufficit, si fidem ore et sermonibus non

manifestemus: corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem (Rom. 10, 10). Omnes autem apostoli corde et ore procul dubio crediderunt; verum, ut ait sanctus Vincentius Ferrerius, videtur, quod S. Thomas aliis clarius et perfectius fidem suam manifestarit: *inter apostolos sanctus Thomas, quia ore palam confessus est fidem, fuit clarior*. Scimus plurimum laudari Petrum, eo quod Christum esse Deum et Patris aeterni Filium ore confessus sit: *tu es Christus filius Dei vivi* (Math. 16); Thomas autem Christum non solum Deum, etiam hominem esse palam confessus est, ejusque confessio clarior fuit et expressior: *expressius intonat Thomas: Dominus meus et Deus meus*. Palam negaverat Thomas et palam confessus est; plusque palam confessus est, quam palam negaverat, quia negaverat solum resurrexisse Christum et confessus est non solum eum resurrexisse, verum et eum Deum simul et hominem esse predicavit. Ut enim ait Theophilactus, D. Thomas factus est magnus theologus, qui utramque Christi naturam, divinam scilicet et humanam palam docuit et predicavit: *qui prius fuerat infidelis, post lateris tactum, optimum se theologum ostendit, duplicem naturam et unam hypostasin Christi disserens. Dicens enim: Dominus, naturam humanam; dicens, Deus, divinam confessus est in uno et eodem*. O magnam S. Thomae fidem, qui Christum confitetur publice sermonibus suis: *ac etiam efficaciter operibus suis*.

2. Fides, si vera sit, operibus manifestari et probari debet: *ostendam tibi ex operibus fidem meam* (Jacobi 1). Fides non est otiosa, sed laboriosa; et qui vere credit, opera fidei suae conformia elicit; unde sanctus Jacobus apostolus fidem quam non operatur, non vivam, sed mortuam et exanimam vocat: *fides sine operibus mortua est*. O Thoma! dicito nobis, quae fuerit fides tua? Fuitne viva, an mortua? Fuitne otiosa, an sanctis operibus probata et confirmata? Transiitne ab ore tuo ad manus tuas? Laboriosa utique et efficax fuit divi Thomae fides: non enim Christum esse Deum speculative solum credidit, etiam practice et efficaciter, faciendo scilicet opera suae fidei

et confessioni consona; Christum enim, ut Deum veneratus est; ei ut Deo suo in omnibus obtemperavit, ejusque gloriam, virtutes, merita et divinitatem ubique predicavit. Sanctus ille apostolus non fuit similis iis christianis, quorum opera suae sunt fidei valde disconvenientia, qui aliud credunt et aliud faciunt: qui ore Deum confitentur et factis illum negant; *confitentur se nosse Deum, factis autem negant* (ad Tit. 1, 16). Sanctus enim Thomas simul ore atque operibus Christum confessus est; hic semel coram aliis apostolis illum ore confessus est, dicens: *Dominus meus et Deus meus*, et millies deinde sanctis suis eum confessus est operibus. Hic Judaeam, Parthos, Medos, regna Congi et Narzingae, necnon alias multas regiones peragravit, ubique Evangelium disseminavit, ubique Christum predicavit, et quod de Christo palam predicavit et professus est, operibus suis confirmavit; cum predicavit Christum esse Deum, eum ut Deum veneratus est; cum populis annuntiavit Christum pro nobis passum et mortuum esse, iis fidem indicavit se esse paratum ad dira quaque tormenta, et ipsam mortem pro illius gloria perferendam; cum de humilitate, patientia, mansuetudine et aliis Christi virtutibus sermonem habuit, ipse se earundem virtutum perfectum imitatorum exhibuit; eo ipso tandem quo Christum ore confessus est, operibus fidem suam ostendit et confirmavit: *ostendam tibi ex operibus fidem meam*. Christum etiam confessus est passionibus suis.

3. Fides passionibus probatur et eum quis ad confirmationem fidei quam profitetur, gravia patitur, ejus fides vera esse facile creditur, et tunc maxime cum pro veritate fidei quam sectatur, mortem subire non dedignatur; ut enim ait sanctus Bernardinus Sepensis: *per martyria veritas fidei clarius elucescit, quando paratus est homo mori pro veritate, quam praedicat*. Et revera non magnum videtur, quod quis Christum coram populis ipsum laudantibus, ipsisque plaudentibus confiteatur, at Christum coram tyrannis et in mediis suppliciiis constanter confiteri, hoc magnum et gloriosum est, et eo fides est clarior, quo quis graviora pro illius confirmatione patitur: *confessio*

quanto in passione fortior, tanto clarior et major in honore (S. Cypr. ep. ad mart.). O quam clara et mirabilis fuit sancti Thomae fides, qui pro Christo et in Christi confessione gravia tormenta, mortem acerbam et gloriosum martyrium perpassus est: *tantum Thomae fides concealuit, ut post consummatum cursum apostolicæ provocationis, post innumera- bilium concessionum populorum, ad triumphalem palmam percenerit martyrii* (Laur. Just. s. de S. Th.). Non fuit Thomas ex his fidelibus mollibus et delicatis, qui Christum confitentur, cum omnia evanescunt prospera, nec usque ad sanguinem resistere valent: ipse enim usque ad sanguinis effusionem et ad diræ mortis passionem Christum constanter confessus est. Damnatus Thomas ad incendendum super laminas ferreas ignitas, ut ad Christum negandum cogeretur, et ipse illum semper confessus est. Missus in furnum ferream ignitum, ut a fide sua discedere compelleretur, et ut ait sanctus Vincentius Ferrerius, in eo die integro remansit orans, non secus ac si in oratorio exiitisset. Ductus ad templum Solis, ut ad Solem adorandum adigeretur, ipse obedire renuit, dicens: *ego adoro non Solem, sed Deum, non creaturam, sed Creatorem* (serm. de S. Th.). Ipse semper Christum confessus est; ipse semper dixit: *Dominus meus et Deus meus*. Quem pontifices et sacerdotes in confessione sua constantem et invictum videntes, ad tela et lanceas cucurrerunt, quibus sanctum apostolum confoderunt et interfecerunt. O Thoma! quam magna est fides tua! Pœcaveras quidam incredulitate tuâ; adeo tamen felix fuisti, ut per contactum vulnerum Salvatoris, intellectus tuus repletus sit lumine, voluntas tua repleta sit amore et cor tuum repletum fortitudine. Magna denique exiit fides tua: qui Christum confessus es publicè sermonibus tuis, efflicaciter operibus tuis et constanter passionibus tuis. O utinam sancti hujus apostoli fidem omnes imitantur! Heu! multi sunt christiani nomine tenus. Sciunt cuncti, quod *sine fine impossibile est placere Deo*; et tamen arbitrantur satis esse, quod hominis christiani nomen habeant, licet fidem non habeant. O cœcos et insensatos homines! Sciant velim, quod non *satis est*

habere fidem, nisi vita sit fidelis: non sufficit palam verbis profiteri, quod credamus, si fidem operibus et passionibus nostris non manifestemus. Gredis, inquis, in Christum! Fac opera digna Christo, et pro illius gloriâ patere quæ in observatione legis ejus perferenda sese offerunt. Heu! quo titulo et qua fronte se christianos dicere audent, qui Christianam vitam moribus suis non sectantur? *Quomodo tu christianus diceris, in quo nullus christiani actus appareat?* (S. Aug. in ep. Joan. 5) Quid prodest nomen, ubi res non est et quid in tremendi judicii die dicent hujusmodi, qui christiani nomen habent, rem non habent? *Quid ergo dicturus es in judicio, solo nomine et professione christianus, vita et moribus plus quam paganus?* (S. Th. a Vill. ser. 3 Adv.) Quid dices, cum a te rationem Deus exiget fidei quam animæ tuæ infudit, gratiarum quibus te ornavit, Sacramentorum quæ pro te instituit et tot bonorum spiritualium, quæ tibi liberaliter largitus est? Certe a Dei judiciis magis timere debent christiani, quam infideles, quia de pluribus bonis spiritualibus a Deo perceptis rationem sunt reddituri; et quia si æternis addicantur supplicii, gravior eorum erit pœna, quam paganorum. *Est enim gehennalis pœna paganorum infinite minor, quam malorum christianorum* (Euseb. Caesar.). Ideo si christiani estis nomine, christiani sitis et moribus; aut nomen, aut mores mutate. De generoso quodam duce me apud Plutarchum legisse memini, quod cum in exercitus sui medio militem viderit, Alexandrum nomine, corde vero ignavum et debilem, dixit ei: amice, cum Alexander voceris, aut Alexandri Magni totius orbis monarchæ et ducis generosissimi nomen depones, aut tanti viri mores geras: *vel nomen muta, vel te gere ut Alexander*. Idem dico vobis. O fratres, christiani estis nomine, sitis et moribus vestris christiani, habetote fidem efflicacem et constantem, sicut sanctus Thomas, ut aliquando audire valeatis Christum dicentem, quod fides vestra vos salvos fecerit: *fides tua te salvum fecit. Amen.*

DE NATIVITATE CHRISTI

CONCIO PRIMA.

Reclinavit eum in præsepio (Luc. 2).

Christum ut Verbum inter cœlites regnantem hac in concione non intueor; cum ut hominem in stabulo nascentem admiror. In cœlo, ut Verbum, est Patris æterni unigenitus, et in stabulo, ut homo, est unigenitus Mariæ. In cœlo natus est ex Patre sine matre, et in stabulo natus est ex matre sine patre; in cœlo nascitur semper, et in stabulo nascitur semel; in cœlo nascens requiescit in Patris æterni sinu: *Unigenitus Filius qui est in sinu Patris* (Ioa. 1, 18); et in stabulo nascens, reclinatur in præsepio: *reclinavit eum in præsepio*. Pluries demiratus sum hujus mundi structuram, stabilitatem terræ, solis regulares motus, lunæ defectum et incrementum, necnon temporum vicissitudines, in quibus quædam arent, quædam vident, et quæ mortua modo videntur, deinceps revirescunt; hodie cum D. Augustino miror magis Dominum et Deum cœli et terræ, in vili præsepio decubentem: *expavescere me fecisti, quia Verbum, per quod facta sunt omnia, in præsepio jacuisti* (or. c. Ind. 13). Ibi eum reclinavit Maria, ibi eum pie contemplerur. Ave.

Christus, qui hodie in Bethlehem nascitur, est puer, doctor et rex. Est puer; quia ut nos ad sui amorem alliceret, pueri figuram et corpusculum sumere voluit: *parvulus natus est nobis* (Isaiæ 9). Est doctor; quia in hunc mundum venit, ut omnes homines scientiam salutis doceret: *magister vester unus est Christus* (Matt. 23). Est tandem rex, cujus dominium ad omnia creata se extendit: *Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse salvabit nos*. Huic puero danda sunt incunabula, in quibus decumbat; huic doctori erigenda est cathædra,

in qua doceat; et huic regi componendus est thronus, in quo sedens præsit, legem ferat et suo nomini debitos honores percipiat. Ubi autem inveniuntur incunabula tanto puero digna! Ubi occurreret cathædra tanto doctori congrua? Ubi reperiretur thronus tanto regi conveniens? Hæc omnia in cœlo inveniri possent: in terra unicum et humile præsepium tria hæc ei suo modo præstat officia; in eo enim jacet, velut in humili lecto, in quo gravia patitur; in eo residet, velut in doctoris cathædra, in qua præclara, eaque ad salutem proficua nos docet; et in eo velut in gloriæ et honoris throno sedet, in quo ab angelis et hominibus honoratur. Præsepe igitur est Christo lectus, cathædra et thronus: est ei *lectus* laboris et doloris, *cathædra* doctoris et prædicatoris, *thronus* gloriæ et honoris. Vel ut melius meam explicem mentem, præsepe est 1. *lectus* Christi patientis; 2. *cathædra* Christi docentis; 3. *thronus* Christi regentis. En tres orationis hujus partes, quibus Christum in præsepio contemplantur, in quo reclinavit eum Maria: *reclinavit eum in præsepio*.

I PARS.

Præsepe est lectus Christi patientis.

Sicut secundum Divinitatem, quæ unum sunt Pater et Filius et Spiritus Sanctus, neque Patrem natum credimus, neque Spiritum Sanctum, sed solum Filium: sic etiam secundum carnem solum Filium natum catholica fides credit et prædicat. Deus erat et homo factus est; non amissa divinitate, suscepit humanitatem; mansit sublimis et factus est humilis; non destitit esse Deus et factus est homo; non cessavit esse magnus et natus est parvus: *parvulus filius natus est nobis*. Ubi, quæso, habitabit puer hic recenter natus? Quæ ei parabantur incunabula? Quod ei cubile dabitur? Maria *reclinavit eum in præsepio, quia non erat eis locus in diversorio* (Luc. 2). Non fuit in alieno hospitio locus illi qui condidit locum, illi qui

omnem replet locum, et illi qui cunctorum ipse est locus; ideo Maria *reclinavit eum in præsepio*. Ecce ejus inenabula; ecce ejus lectus, qui quidem non ei lectus quietis et voluptatis, at lectus moreris et doloris extitit, quia ibi ploravit, ibi vagiit, ibi naturæ humane infirmitas expertus est, ibique crucis ignominias et dolores aliquo modo prægustavit. Tertullianus lectum in quo Christus nascentes decumbit, angustum vocat et durum: *diversoria angusta et sordidos pannos et duria præsepia* (de carn. Chr.). Et quidem durum est præsepe, et durus est lectus in quo reclinatur, tum ob hiberna injurias temporis, tum ob fetorem quem ex pecorum excrementis odoratur, tum ob viles panniculos, quibus involvitur, tum quia ibi, non in molli pluma, verum supra paleam solummodo recumbit. Quæ quidem omnia ipsi dura et acerba extitere; neque enim credendum, Christum Dominum assumpsisse corpus phantasticum, æthereum, vel quocunque modo impassibile: corpus enim ejus, non secus ac alia corpora, doloribus et passionibus fuit obnoxium: *natus est Deus, Verbum ex Virgine, vestitus corpore obnoxio iisdem passionibus nobiscum* (S. Ign. M. ep. ad Trall.). Quare cum Christus fuerit sensibilis et passibilis sicut nos, ei præsepe lectus durissimus et lectus patientis vere extitit: *sordidos pannos, dura præsepia*. Christus Dominus, ut quantam profiteretur paupertatem manifestaret, ait: *Filius hominis non habet, ubi caput suum reclinet*. Non habuit quidem Christus *reclinatorium aureum*, nec in culcitris et sericis recubuit: duos tamen habuisse videtur lectos, in quibus caput suum reclinavit; unum in morte, et alterum in nativitate; lectus in quo est mortuus, non alius fuit quam ipsa erux, in qua inclinato capite emisit spiritum; lectus in quo nascentes positus, non alius est quam vile præsepium: *et reclinavit eum in præsepio*. Durus fuit lectus mortis, et durus lectus nativitatis; crux Christo morienti fuit lectus durissimus et vere lectus doloris, quia ibi passus est opprobria, sputa, spinarum aculeos, clavorum sevitiæ et acerbissimæ mortis dolores. Præsepe fuit etiam Christo nascenti lectus doloris, cum ibi frigus, paupertatem et ipsos crucis dolores præenserit: *vix natus est cæli gloria*,

cæli divitiæ, cæli deliciae, dulcis Jesus et ecce recentior tui crucis ignominia, crucis dolor, crucis paupertas copulatur (S. Bern. de pass. D. 5). Hæc omnia copulantur in Christo nascente et in præsepio recumbente, unde præsepe ei vere lectus doloris extitit. Mirabatur Tertullianus Christum in Virginis utero novem mensibus remanentem et ibi expectantem: *nasci se Deus patitur in utero matris et expectat* (de patient.). Quid expectabat Christus in utero matris? ibi expectabat, quod colligeretur sanguis, quem pro hominum salute fusurus erat; ibi expectabat, inquit Augustinus, quod formarentur membra, quæ cruci erat traditurus: *descendit Christus in uterum Virginis, ut exinde acciperet membra quæ traderet in cruci*. Hæc membra in Mariæ utero sumpsit Christus et postquam ex ejus utero agressus est, ea in præsepio reponi voluit; ibi primum reperit lectum non quidem deliciarum, sed doloris: ibique tot dolores pertulit, ut martyrii passionem ibi sentire et ferre inciperit: *Christus in præsepio reclinatus, legem martyrii præfigebat* (S. Pet. Dam. ser. 11). In cruce martyrium consummavit, cum pro nostra salute passus est; et in stabulo illud inchoavit, cum in præsepio, velut in lecto doloris, plurima perpassus est. Videte eum ibi plorantem, audite eum vagientem: *cogit infans inter arcta conditus præsepia*. Quid tot lacrymæ, quid tota vagitus significant, nisi eum gravia multa et quasi martyrium pati? *Plorat Christus*, inquit sanctus Bernardus, *sed non sicut ceteri*: alii pueri in suis cunis, non voluntarie, sed mere naturaliter et ex solo motu et impetu naturæ flent; Christus vero in præsepio recubans flet voluntarie et libera propter acerbos quos patitur dolores, quibus quasi martyr in cunis efficitur: *in præsepia reclinatus legem martyrii præfigebat*. Christum in præsepio contemplatur Hugo cardinalis, et omnibus pensatis et serio ponderatis, ait, illud præsepe in quo Christus decubuit, ejus crucem fuisse: *præsepe Domini, crux Domini*. Heu! quomodo præsepe Christo crux esse potuit, cum in illud voluntarie se inclinari, illudque omnibus terrenis solis prætulerit; quomodo præsepe crux ei fuit, cum asseruerit, quod deliciae suæ essent cum hominibus conversari: *deliciae*

meo esse cum filiis hominum? Verum est, quod Christus in præsepe jacerit non coactus, sed quia ipse voluit; certum est etiam, quod gratissimum ei fuerit esse cum filiis hominum: per hoc tamen non stat, quin præsepium ei crux fuerit: *præsepe Domini, crux Domini*. Præsepium ei vere crux extitit, non solum ob incommoda et dolores quos in eo pertulit, etiam quia in eo recubans omnia prævidebat, quæ in crucis patibulo passurus erat; imò et quia maxima erat convenientia præsepis in quo jacebat, cum cruce cui affigi debebat. Christus in præsepio, velut in myrrha fasciculo decubens, simul dolores in corpore suo actu portabat, atque mente revolvebat, quanta ab hominibus passurus erat. Dormiebat simul et vigilabat: *ego dormio et cor meum vigilat*. Per infinitam scientiam suam omnia noverat et super omnia vigilabat, quæ adversus ipsum homines moliebantur; in lectulo suo recubens videbat, quomodo mater sua longum iter suscipere cogebatur ut Augusti edictis obtemperaret; videbat quomodo nullum locum in diversorio ipsa paritura invenerat; videbat etiam quomodo Herodes ipsum ad mortem quesiturus et innocentes innumeros morti erit adjudicaturus; idcirco præsepe ei vere crux et lectus doloris extitit: *præsepe Domini, crux Domini*. Alio mentem nostram feramus, ac videamus præsepium gravem Christo fuisse crucem, quia ipse in præsepio degens, omnia scrutabatur, dinumerabat et ponderabat supplicia quæ in crucis patibulo passurus erat. Hic puerulus tanta ferum pollebat notitia et præscientia, quanta Pater æternus: propterea in humili decubens præsepio, se a Juda tradendum, a Petro negandum et ab aliis apostolis derelinquendum prænoverat. Inde prævidebat contumelias quibus tempore passionis afficeretur, blasphemias quibus peteretur, flagella quibus plecteretur et omnes ignominias quibus subleretur. Prævidebat quomodo Judæi illum Barabbæ postponderent, quomodo in derisionem illum purpurea veste induerent, quomodo spinea caput ejus corona redimirent, eumque duro patibulo affigerent: horum autem omnium præscientia et prævisio effectit, ut præsepe ipsi lectus doloris et crux fuerit: *præsepe Domini, crux Domini*.

Alio tandem sensu explanari possent præclara præfati Cardinalis verba, dicendo, præsepe Christo crucem fuisse, quia magna est convenientia præsepis in quo decubuit, cum cruce cui affixus fuit; quod ut pateat, Christum in præsepio simul et in cruce contemplerur; in cruce nudus est, et in præsepio vilibus involvitur pannis; in cruce duos inter latrones locatur, et in præsepio duo inter bruta reclinatur; in cruce eum persequuntur Judæi et in præsepio Herodes; in cruce a satellitibus percutitur et in præsepio corpus ejus frigore congelatur; facies ejus in cruce conspuitur et in præsepio lacrymis irrigatur; in cruce tandem moritur et in præsepio vitam ipsa morte amariorem incipit: nonne ergo præsepe ei vere crux et lectus patientis extitit? *præsepe Domini, crux Domini*. Heu! quam fallebantur, qui Messiam venturum corporeis addictum voluptatibus auspicabantur; vir dolorum futurus erat, non vir voluptatum; non in deliciis, verum in doloribus esse debebat a juventute sua; non inter rosas, at inter spinas commoraturus erat; non in molli culcitra, sed in duro præsepio reclinandus erat; ibi recubuit in meridie et tota die. O Christo Salvator, si humilem naturam humanæ carnis et amabilem pueri formam sumere dignaris, cur tibi ab angelis incunabula auro et gemmis rutilantia fabricari non imperas? cur stratum molle et tibi ad requiem commodum ab his aptari non jubes? Absit hoc a Christo, qui in hunc mundum venit non ut deliciis et requiem, imò ut dolores et labores amplecteretur. Discite, o viri deliciarum, crucem diligere et toto corde amplecti! *Diligenda res est homini, quæ Deo chara est*; cum igitur ab infantia Christus pati amaverit et voluerit, cum ipso pati diligite. Christi natiuitas a S. Cypriano vocatur *jugularia voluptatum*; etenim Christo in cunis vagiente et patiente, illicitas quisque voluptates abjicere et jugulare debet; ideo mundi et carnis delicias toto cordis affectu abjicite, et cum Christo in cunis patiente pati et doloribus affici amite. Omni tempore in Christum peccat, qui illicitis voluptatibus vacat et præcipue si in die natiuitatis ejus iis indulgeat; ergo *nolite peccare in puerum, frater enim et caro nostra est* (Gen. 36). Nolite peccare in Christum

nascentem, impudicitis et aliis prohibitis voluptatibus inhærendo; estote participes dolorum divini hujus pueri, cui præsepium est lectus patientis, ac etiam cathedra docentis.

II PARS.

Præsepe est cathedra Christi docentis.

Filium suum unigenitum in hunc mundum misit Pater æternus, ut duo specialia obiret munera, ducis scilicet et doctoris. *Ducem ac præceptorem gentibus dedit eum* (Isaia 55). Parvulus hic in ducem datus ita impigre ac celeriter strenuum se ducem exhibuit, ut in ipsis cunis vagans, potentissimum idololatriæ imperium profligaverit et evertit: *statim ut natus est, demolitus est idolatriam* (S. Cyril. Al. in Is. 1). Insuper, ut ait Augustinus, hic puer recens natus, in Bethlehemitica academia doctoris et prædicatoris functus est officio: *Christus non solum loquendo, sed etiam nascendo magister fuit* (S. Aug. in Faust. 22). Unde dici potest, quod sicut erox Christi morientis fuit cathedra, in qua ultimam suam concionem habuit, ita et præsepium Christi nascentis fuit cathedra, in qua primo scientiam salutis homines docuit, popularique prædicavit. Sapientiores habentur prædicatores hi, quorum sancta opera sunt quasi verba, quibus prædicant, quia licet verbis prædicare cessent, semper tamen operibus prædicant: *sapient est prædicator, cujus verba sunt opera: quia quando silet et prædicatione, prædicat tamen in operatione* (Hug. Card. in 1 Thess.). Christus autem, sapientia æterna, hoc modo in præsepio prædicavit: non ibi concionatus est verbis, sed exemplis: ibique id exemplis suis prædicavit, quod verbis suis in reliquo vitæ suæ cursu concionaturus erat: *jam clamat exemplo, quod postmodum prædicaturus erat verbo* (S. Bern. de Nat. 1). Ipse in monte et alibi verbis suis mundi contemptum, voluptatum abnegationem, divitiarum abdicationem, paupertatis, humilitatis et aliarum virtutum amorem prædicaturus hæc eadem exem-

plis suis in præsepio prædicat: *jam clamat exemplo*; imo et videtur, quod omnia quæ in Christo nascente conspiciuntur, hæc prædicent; *nondum loquitur lingua et quocunque de eo sunt, clamant, prædicant et evangelizant; ipsa quoque infantilia membra non silent* (S. Bern. ibi). Christus in præsepio non loquebatur; omnes virtutes quas sectabatur, omniaque ejus membra in quibus patiebatur, clamabant et prædicabant; ejus paupertas prædicabat, ejus humilitas prædicabat, ardentissima ejus charitas prædicabat, lacrymantis ejus oculi prædicabant, totum ejus corpusculum temporis inclementiæ expositum prædicabat: *quocunque de eo sunt, clamant, prædicant, evangelizant*, eaque omnia prædicant et evangelizant exemplo: *jam clamat exemplo*. Unde si dixerit sanctus Gregorius Thaumaturgus, quod in schola Origenis plus oculis, quam auribus discipuli ejus edicerent, quia Origenes multa dicebat, ac plura faciebat; longo potiori jure dicere debemus, quod in academia Bethlehemitica ipsis oculis homines doctissimi fieri possunt, dum ibi Christus divinis suis exemplis mirabiliter prædicat: *jam clamat exemplo*. In Bethlehemiticam ergo ingrediamur speluncam, ubi sapientia æterna, seu Verbum infans concionatur; audiamus, vel potius videamus hunc prædicatorem, qui non verbis arte oratoria contextis, nec elaborata utitur eloquentia, ut vana et inutilia auditoribus suadeat; verum caris omnium virtutum exemplis prædicat: et si quis scire cupiat que fuerit concionis ejus materia et in quas partes illam distribuerit, respondebit S. Petrus Chrysologus (serm. de Nat.), ejus concionem duabus constitisse partibus, quarum prima homines docuit omnia vitia fugere, et secunda eos ad virtutes sectandas allicere conatus est: *nativitas Christi, inquit mors vitiorum, via virtutum*. Antequam in hunc mundum veniret Christus, homines innumeris dediti erant vitiis, plerique in vitiorum suorum cœno volutabantur et delectabantur; Christus autem in præsepio, velut in cathedram magistralem ascendit, in qua contra hominum vitia prædicavit: *Christi nativitas mors vitiorum*. Ante Christi adventum pauci vitam spiritualem sectabantur, virtutum exercitio pauci vacabant; Christus in præsepio,

quasi ex cathedra locutus est, ut homines ad omnium virtutum exercitium alliceret; ibi, non solum vitia eradicanda, virtutem etiam sectandam esse prædicavit: *Christi natiuitas mors vitiorum, vita virtutum*. Postquam discossere angeli, qui Christum in præsepio jacere annunciaverant, pastores dixerunt invicem: *transeamus usque ad Bethlehẽm et videamus hoc Verbum, quod factum est*. Juxta philosophorum dogmata, voces et verba non sunt objecta visus, sed auditus; audiuntur, at non videntur: cur ergo pastores Bethlehemiticum antrum adire volant, non audituri, sed visuri Verbum: et videamus hoc Verbum; certe sapientiores quam philosophi sunt pastores hi; nam Christus est Verbum, quod in præsepio videtur. Ante incarnationem erat Verbum hominibus invisibile; Verbum autem illud caro factum est visibile; totam ejus corpus est Verbum visibile; ejus lacrymæ, ejusque tremor sunt verba; omnia tandem quæ in eo sunt, verba sunt quæ prædicant et evangelizant: *quæcumque de eo sunt, clamant, prædicant, evangelizant*. Hæc omnia clamant, hæc omnia prædicant, quod a vitiis declinare et virtutes sectari debeamus: *Christi natiuitas mors vitiorum, via virtutum*. Divus Paulus ait Christum Salvatorem nobis apparuisse; *apparuit gratia Salvatoris nostri*. Ante incarnationem erat Deus absconditus, qui non apparebat et qui carnis oculis videri nequibat; in præsepio, humana indutus carne, regibus, pastoribus et aliis se visibilem exhibuit; *apparuit gratia Salvatoris nostri* (ad Tit. 2). Si autem divo Paulo credamus, ibi apparuit Christus sub figura doctoris et concionatoris. Apparuit inquit, gratia Salvatoris nostri *crudiens nos*. O novum et mirabilem concionatorem! Janvero operæ pretium est scire, quid prædicet et quod sit concionum ejus argumentum. De altissimo forte Trinitatis mysterio sermonem habet? Forte inenarrabilia predestinationis, vel præscientiæ divinæ arcana propalat, vel aliam aliquam abstrusam et curiosam pertractat materiam? Ad talia ejus non vertitur oratio, inquit divus Paulus: in sua enim concione duo dumtaxat suadere intendit, fugam scilicet vitiorum et virtutis amorem. In prima concionis suæ parte vitiorum fugam suadet:

ut abnegantes impietatem et secularia desideria; in secunda vero ad virtutis amorem nos vocat: *sobrie et juste et pie vivamus in hoc sæculo*. Ibi Christus humilis et parvulus ab omni superbia declinare, humilesque et parvulos fieri nos docet; ibi Christus propter nos egenus et pauper factus, avaritiam fugiendam, omniaque terrena despicienda esse prædicet; ibi Christi patientia ad carnis mortificationem nos stimulat; ibi Christi insontis lacrymæ cordis nostri duritiam arguunt et lacrymas ad expianda nostra crimina a nobis exigunt; ibi demum Christus non persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, verum exemplis suis clamat, ut *abnegantes impietatem et secularia desideria, sobrie et juste et pie vivamus in hoc sæculo*. O egregium prædicatorem! o pereximiam ejus concionem! audite, fratres, divinum hunc concionatorem in præsepio prædicantem, miramini ejus doctrinam, eam mente revolvite et quæ facienda esse docet, sedulo perficite. Volens Christus Dominus discipulos suos difficillimam humilitatis doctrinam edocere, *statuit parvulum in medio eorum et dixit: Amen dico vobis, nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum colorum* (Matt. 18). Hen! inquit sanctus Bernardus alius parvulus in medio positus est, Christus scilicet: *ecce in præsepio medio parvulus positus est, studeamus effici sicut parvulus iste*. Hic puer in præsepio positus, superbiæ, avaritiæ, voluptatum, atque omnium vitiorum fugam suo nos docet exemplo; ipse etiam humilitatem, paupertatem, mundi contemptum et omnium virtutum amorem exemplis suis prædicat; itaque *studeamus effici sicut parvulus iste*, ejusque virtutes pro viribus imitemur. Non loquitur hic concionator, sed facit; faciamus et nos quod ipse facit, ut nobis fructuosa et efficax sit ejus concio. Postquam vero Christum in præsepio invenimus, velut in cathedra docentis, *eum in eodem præsepio tanquam in throno regnantis contemplerur*.

III PARS.

Præsepe est thronus Christi regnantis.

Christus in hunc labilem mundum veniens, duplici, ut homo, potius est regno spirituali uno et temporali altero. Spirituale ejus regnum est Ecclesie, quam quasi omnium fidelium rempublicam ipse instituit, cui leges dedit et quam adhuc per summos pontifices, quasi proreges et vicarios suos regit. Temporale autem ejus regnum est totus mundus, inquit Doctor Angelicus, cujus dominium ipsi etiam ut homini debebatur ratione amonitionis hypostaticæ; ratione cujus cum fuerit ascitus in Dei Filium, hæres etiam factus est et Dominus universorum; nec non *princeps regum terre, rex regum et Dominus dominantium* (Apoc. I, et 19). Licet autem Christus proprie et directe totius mundi regnum et dominium habuerit quoad jus et potestatem; ea tamen in terris non est usus potestate, nec in aliquo hujus mundi loco regalem suum thronum erexit; nihilominus dicendum videtur quod ipsi præsepe quasi thronus regalis fuerit, alisque omnibus regum solis longe nobilior et fulgentior. Ut enim ait S. Bernardus, si Christus rex est, *ubi aula regia, ubi thronus? Nunquid aulæ est stabulum, thronus præsepium?* Fuit utique, inquit idem Bernardus, præsepe Christi thronus, qui nobilitate et gloria auro omnium regum thronos antecessit: *pretiosiores sunt pannu Saluatoris omni purpura, et gloriosius ejus præsepe auratis regum solis* (in Vig. Nat. 4). In urbe Roma toto orbe celeberrima suum constituit thronum Augustus Cæsar; illum, si velit auro et gemmis radiantibus adornet; triumphorum suorum titulus illum insigniat et in eo sedens, universi terrarum orbis clavum se tenere gloriatur; Christi tamen in præsepio vagientis thronus et Cæsar's et omnium regum thronos gloria et majestate longe superat: *gloriosius ejus præsepe auratis regum solis*. In hodiernæ solemnitatis officio pluries Christus in præsepio inclinatus, va-

giens, et humiliatus proponitur; nihilominus ibidem dicitur, quod sit magnificatus: *Rex pacificus magnificatus est*; diciturque magnificatus supra alios mundi reges; *magnificatus est Rex pacificus super omnes reges univesæ terre*. Quomodo humiliatus simul et magnificatus est Christus? Si in vili et humili decumbit præsepio, quomodo in illo supra omnes mundi principes magnificari potuit? In eo vere magnificatus est, et præsepium illud in quo recubuit, omnibus aliis thronis regalibus longe nobilior et gloriosior extitit: quia sicut dicitur de Mida, quod quidquid tangeret, in pretiosum mutaret aurum; sicut et de sanctis martyribus, quod carceres in quibus detinebantur, sua sanetitate in templa et sanctuaria converterent; ita Christus Dominus in præsepio residens, illud sua presentia in thronum aliis omnibus thronis regalibus gloriosioremmutavit: *gloriosius ejus præsepe auratis regum solis*. Quod ut, quam verum sit, pateat, Christum regem in præsepio reclinatum cum aliis regibus in thronis suis sedentibus et triumphantibus conferamus. Alii reges in solis suis sedentes leges ferunt, fallibiles sæpe et sæpe iniqui; Christus autem in præsepio residens, toti terrarum orbi infallibilis et accuratissimus præscribit leges, quas et ipsa inanimata adamussim observant: *ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, que faciunt verbum ejus*. Alii reges e thronis suis adversus nonnullos sceleratos mortis sententiam ferunt, et Christus in præsepio tacens, omnes penitus homines ad semel moriendum condemnat: *statutum est omnibus hominibus semel mori*. Regem terrenum in throno suo sedentem clientes venerantur et timent; Christus vero in præsepio decumbens, non solum plebeis, verum et ipsi regibus terræ formidabilem se et venerandum exhibet. Cum rex terrenus in solio suo sedet, ab aliquibus aulicis sibi subditis circumdatur, et ad Christum in præsepio reclinatum accedunt reges Magi, qui ad ipsius pedes precipidunt, eique pretiosa munera offerunt. Reges tandem terreni in thronis suis regnantes potestate quadam fruntur, a Christo accepta, eaque transitoria et limitata; e contra regnum Christi regnum æternum, eique data est omnis potestas: *data est mihi omnis potestas in*

caelo et in terra. Ecce quomodo gloriosius Christi prae-sepe auratis regum solis. Quod et ipsi angeli noverunt, qui Christi Domini prae-sepium et principum palatii et Templo Hierosolymitano, auro, argento pretiosissimisque lapidibus fulgenti prae-seposuerunt: regum palatii, ipsique Templo Hierosolymitano pauperulum illud stabulum angeli anteponebant (Crysip. or. 2 de V. Deip.). Tantam prae-sepi, in quo requieuit Christus, gloriam extitisse arbitrat sanctus Epiphanius, ut illud caelo empyreo, in quo Deus visibiliter manifestatur, equiparare non dedignetur: *stabulum visum est esse caelum in terra, in quo Virgo Deipara citra laborem praegnavit, caeli et terre Dominum deposuit; in quo omnes angelorum ordines circumstabant Virgines cum clamore dicentes: gloria in altissimis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis (ar. de V. Deip.).* Et revera, si tota caeli gloria a Deo est, nomen in prae-sepio idem Deus residet, qui in caelo manifestatur: *Deus erat Verbum?* Si tres Trinitatis personas habet caelum, nonne eas habet et prae-sepium non secus ac caelum empyreum? ibi enim est secunda, seu Verbum aeternum humanitati Christi hypostatice unitum; ubi etiam sunt prima et tertia Trinitatis personae per circum-cessionem, ut fatur theologi. Si in caelo sunt angeli, ad-sunt etiam caelestes illi Spiritus Christo in prae-sepio vaganti; quod si tandem in empyreo caelo ex Dei intuitu beentur iusti, id profecto Christi prae-sepio non defuit, quia, ut ait sanctus Cyprianus, *praesentia parvuli sic eorum, qui alerant, oculis occupabat, sic illuminabat animos, sic alliciebat corda, ut in hoc summo bono omnium honorum unita collectio videretur (de Nativ.).* Igitur tanta extitit prae-sepii gloria, ut caelum empyreum fuisse videatur: *stabulum visum est esse caelum in terra.* Praefatis addere non verebor, in Christi prae-sepio aliquid gloriae reperiri, quod caelo empyreo deerat; nam Virgo Deipara et Joseph castissimus ejus sponsus, quos nondum caelum empyreum possidebat, Christo in prae-sepio jacenti aderant. Dicam tandem thronum Christi Bethlehemiticum alio titulo caelesti ejus throno aequaliter gloriosorem extitisse: quia scilicet in prae-sepio perfectiones Christi magis manifestabantur.

Gloria, ut ait Doctor Angelicus, est *clara cum laude notitia*: is ergo majori afficitur gloria, cujus perfectiones magis notificantur et manifestantur; Christi autem in caelesti throno residentis perfectiones non ita hominibus notificantur, ac cum in Bethlehemitico throno fuit reclinatus: cum enim homo factus est et in prae-sepio jacuit, ejus magis patuere sapientia, potentia, bonitas, clementia et misericordia; ac proinde tunc magis, saltem coram hominibus, glorificatus est; tunc *vidimus gloriam ejus* (Joan. 1), quae antea quasi non videbatur: ideoque fatendum, gloriosissimum extitisse Christi nascentis thronum; eumque in prae-sepio, velut in gloriae suae throno decessisse. Quos itaque honores regi nostro, imperatori nostro in Bethlehemitico throno residenti et regnanti impendemus? Heu! quot cum ibi non honore, potius contumeliis et dedecore afficiunt; multi sunt Gentilibus similes, qui imperatorum suorum festa impudicitis, ebrietatibus et iniquis aliis actionibus celebrare consueverant. Eos praeclearissimis verbis increpat Tertullianus, dicens: *grande videlicet officium, focos et toros in publicum educere, vicatim epulari, civitatem tabernae habitu obolescere, vino lutum cogere, catervatim cursitare ad injurias, ad impudentias, ad libidinis illecebras. Siccine exprimitur publicum gaudium per publicum dedecus? Hecvine solennes dies principum decent, quae alios dies non decent?* (Apol. 33). Ecce quomodo non pauci honorant, vel potius in honorant regem et imperatorem nostrum in throno suo Bethlehemitico regnantem; ecce quomodo natiuitatis Christi diem festum recolunt et celebrant. Heu! si Christus in prae-sepio, velut in gloriae suo throno residet, cur eum ibi non venerabimur? Ibi pastores, reges et angeli laudibus multis et honore maximo eum prosecuti sunt; eum ibi et nos corde, ore et omnibus actionibus nostris hodie venerationem. *Postquam, in-quebat Ambrosius, te, Domine, vidi pro me humilitatum, e caelis descendisse, lacrymas fundentem, infantulum natum, in prae-sepio jacentem, tanto amoris pondere victus, in terram prostratus adoravi te (de fug. soc.).* Eum hodie in eodem prae-sepio recumbentem contemplantur, eum ibi totis affectibus

honoremus, quem si in hoc seculo honoraverimus, ipse coram Patre suo nos glorificabit in caelo. Amen.

CONCIO SECUNDA.

Peperit Filium suum primogenitum (Luc. 2, 8).

Cum temporalis Christi nativitatis mysteria mente revolvo, ea penitus inenarrabilia agnosco; atque, ut sancti Ambrosii verbis utar. *mihi impossibile est generationis ejus scire secretum, mens deficit, vox silet, non mea tantum, sed etiam angelorum (de fide et gr.)*. Quis enim, quantumvis subtili polleat ingenio, explanare posset quomodo Deus, absque ulla sui mutatione, fiat homo? Quomodo ex Matre Virgine nascatur? Quomodo humana Christi natura sola Verbi personalitate terminetur? Quomodo natura divina et natura humana Christi, quae infinite inter se distant, unica hypostasi subsistant et ex his non duo fiant, sed unus Christus: *non duo tamen, sed unus est Christus?* Certe haec et alia multa inexplicabilia sunt nativitatis mysteria; ideo dicendum eum sancto Athanasio, quod *Christi inenarrabilis secundum carnem natiuitas censetur*. Quapropter non tam intellectu, quam corde ad Christi praeseptum accedamus: intellectus mirari potest, ratiocinari potest; at in obsequium fidei captivandus est: cor autem, quantum voluerit, dilatet se et pius erga Christum natum, quantum liberit, eliciat affectus; pius illos et sanctos cordis affectus, quos hodie erga divinum hunc Puerum excitare quisque debet, explicabimus. Ave.

Christum recenter natum amavit Maria, laudavit angeli et pastores quaesierunt: illum amavit Maria, quae meliorem partem eligens, Christo recens nato per contemplationem et amorem totaliter adhesit; eum etiam laudavit angeli, qui mirabili concentu ad ejus gloriam decantantur: *gloria in al-*

tissimis Deo (Luc. 2); eum tandem quaesierunt pastores, qui ab angelis de ejus nativitate moniti, transierunt usque Bethlehemi. *Christum amavit Maria*, ut filium suum unigenitum, ut filium divinitus procreatum et ut filium infinite perfectum; tantusque Mariae erga ipsum amor extitit, ut ipsa praee amoris ardore similis fuerit rubo accenso, quem vidit Moyses: *electissima Mater flammanti rubo, sed lisionis inexperto, quem vidit Moyses, congrue simularur* (S. Brigit.). Christum natum laudavit angeli, ut Deum suum, ut Creatorem suum et ut beatificatorem suum, eorumque celestis concentus a plurimis auditus est: *audita est multitudo militum celestis laudantium Deum et dicentium: gloria in altissimis Deo*. Eum tandem pastores quaesierunt, ut Messiam natum et ut Verbum incarnatum: *videamus Verbum hoc*. Illumque ita quaesierunt, ut ipsum invenerint; *venērunt festinantes et incenerunt*. Miremur Mariam amantem, angelos laudantes et pastores Christum querentes; et hos omnes imitemur. Christum natum amemus, laudemus et queramus: 1. *amemus eum* cum Maria; 2. *laudemus eum* cum angelis; 3. *queramus eum* cum pastoribus. Hi sunt pii affectus, quibus Filium quem peperit Maria, prosequi debemus: *peperit filium suum primogenitum*.

I PARS.

Christus nascens a nobis est amandus.

Christum ubique et ab omnibus semper est diligendus; speculiori tamen et ardentiori amore eum nascentem prosequi debemus. Eum ardentissime dilexit Maria, eum et nos toto corde diligamus; et ut extranea et remota non inquiramus amoris motiva, amemus eum, quia fit homo, ad praesepe descendit et naturae nostrae miserias sumit: 1. *quia fit homo*, ut nos deos efficiat; 2. *quia descendit ad praesepe*, ut ad caelos nos evehat; 3. *quia naturae nostrae miserias sumit*, ut nos bonis repleat.

1. In omnibus sive naturae sive gratiae operibus infinitum suum

erga homines Deus patefecit amorem, verum tunc maxime cum humanam carnem sumere et homo fieri voluit, et ideo hanc Dei charitatem *nimiam*, vocat divus Paulus; *propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos*. Hanc Dei charitatem vere *nimiam* fuisse, ait divus Bernardus: quia omnem mensuram et omnem modum transcendit: *charitatem vere nimiam, que omnem mensuram excedit, modum transcendit, et supereminet unioersis*. Hæc Dei charitas magis elucescet, majorque videbitur, si serio perpendamus, cur se hominem fecerit: ut enim ait S. Augustinus, *Deus factus est particeps nostræ mortalitatis, ut homo fieret particeps suæ divinitatis* (Tr. 49 in Joan.); quod item dicit S. Anselmus; *Deus factus est homo, ut homo fieret Deus*. O verò nimiam et superamententem Dei erga homines charitatem! Adamo per peccatum suum originali iustitia jam spoliato dixit Deus: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est* (Gen. 3, 22). Quomodo Adam tunc quasi Deus factus est? Cum enim contra Deum peccaverit, potiusquam Deus, Dei inimicus videtur effectus; cur ergo dicitur, quod Adam quasi Deus factus sit? Respondet Tertullianus, quod hoc dixit Deus, *de futura cogitans adiectione in divinitatem*: idest, quod tunc cogitaret Deus de futura Verbi Incarnatione, in qua Adam, seu natura humana quasi Deus, et Deus vere facta est saltem in illo individuo quod assumpsit Verbum divinum. Sic enim Deus honoravit limum nostrum, ut illum assumere et deificare voluerit; tanto nos Deus prosecutus est amore, ut nostram sumens humanitatem, nos deos effecerit, suamque nobis divinitatem communicaverit: *suscipit virtus excelsa humanitatem nostram, ut retribuere divinitatem suam* (Eus. Em. ho. 9 de Pasch.). O inexplicabilem, et vere nimiam Dei erga nos charitatem! que quidem omnem modum et omnem mensuram transcendit; ideo cum tantopere nos dilexerit, eum redamemus necesse est. Scripta habetur lex *a natura, ut amati amemus*; cur ergo non amabimus Deum, qui nos tanto amore prosequitur? *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema*, inquit divus Paulus et merito: quia cum præ nimio sui erga nos amore factus sit homo, ut nos deos

faceret, anathematis poena digni sunt, qui eum amare renuunt; amemus ergo Deum, quia se hominem fecit, ut nos deos faceret: ac etiam *quia descendit ad præsepe, ut nos ad celos eveheret*.

2. Ante Verbi Incarnationem Deus non hominum, tantum angelorum Deus esse videbatur, quia angelos beabat in celo; homines vero in terra militantes, et in limbo expectantes, vel in inferno patientes reliquebat; in Christi nativitate Deus at factus est hominum Deus, cum pro ipsis incarnatus et natus est. Unde Isaias propheta ait: *parvulus natus est nobis et Filius datus est nobis*. Quæ verba sic explicat divus Bernardus: *Parvulus natus est nobis, non sibi, non angelis quoque, qui cum magnum haberent, parvulum non requirebant* (hom. 3 sup. Miss.). O nos felices, quod parvulus datus sit nobis! Jamvero ubi invenietur hic parvulus? Ubi reperietur Christus infans? O Christe Salvator, dicito nobis ubi pascas, ubi cubes? Scimus, quod a summo celo sit egressio tua, doce nos ubi habites et ubi requiescas? *Maria reclinavit eum in præsepio*. Cur ille, quem cæli capere non possunt, in arcto et humili præsepio collocatur? Cur Deus tante majestatis in humili præsepio reclinari voluit? Certe ut nos ad cælum eveheret; peccato enim Adami cælorum fores hominibus fuerant clausæ, nulli coelestis patebat altitus, nullus ad cælos ascendere valebat; Christus autem ad præsepium descendit, ut nos ad cælum extolleret: *ipsius ad creaturam descensio, creditum est æterna subiectione*. Homo occiderat, quia superbiendo se nimis exaltaverat, et Christus se humiliat et usque ad præsepe descendit, ut hominem lapsum erigat et usque ad cælum sublevet: *exaltavit se homo et cecidit: humiliavit se Deus et erexit* (S. Aug. de Symb. 3). O magnum Dei erga homines amorem! hunc admiratur sanctus Thomas a Villanova, dicens: O inenarrabilem charitatis ardorem! Deus immensus, omnipotens, infinitus, æternus, ille qui summe beatus et felix est, in sinu Patris inenarrabilibus gaudiis et deliciis perfruens, *suæ creature amore succensus, ad ima descendit et in stabulo inter animalia nasci dignatus est, ne paradisi deliciis homo privaretur* (ser. Dom. J Adv.). Hunc Dei erga homines ano-

rem tanti facit Hugo a sancto Victore, ut eo majorem vix reperiri posse credat. *O charitas, inquit, magnam vim habes, quæ Deum de caelo potuisti trahere ad terram! Deum de celo traxisti in terram, ut hominem ad cælum leuares de terra.* Cum igitur Dei tantus erga nos amor extiterit, cujus cor ita durum reperietur et insensibile, ut ad eum redamandum non moueatur? tantus Dei erga nos amor quam barbariem non vincit? quam feritatem non mitiget? quam duritiam non resoluit? quid amoris non expostulat? quid non affectionis extorquet? Heu! si Dei erga nos amor eum ad præsepem reclinavit, ut nos ad cælos extolleret; tantus ejus amor saltem tenuem, exilem et contemptibilem nostrum amorem exigit; eum sane diligere debemus, cum ipse prior nos dilexerit: *dignus plane qui redametur, quia ipso prior dilexit nos.* Diligamus ergo Deum, quia ipse descendit ad præsepem, ut ad cælos nos eueheret; ac etiam quia ipse miseras nostras sumpsit, ut nos bonis repletet.

3. Cum a Deo missus est Samuel in domum Isai, ut unum ex filiis ejus in regem ungeret, plures ad eum sunt adducti, de quibus asseruit propheta, quod eos non elegerit Deus; ut enim narratur in Libris Regum (1, 16), vocavit Isai filium suum Abinadab et adduxit eum coram Samuele, qui dixit: *nec hunc elegit Dominus.* Adduxit Isai filium suum Samma, de quo ait Samuel: *etiam hunc non elegit Dominus.* Adduxit Isai septem filios suos coram Samuele et ait Samuel ad Isai: *non elegit Dominus ex istis.* O propheta! si hos non elegit Dominus, quem ex filiis Isai elegit? Alium, qui superest, elegit Deus, parvulum scilicet David, qui pascit oves et qui ruri commorari solet, ubi omnibus temporum injuriis exponitur: hunc parvulum, hunc despectum, hunc qui multa patitur, hunc et non alium elegit Deus. Ecce aliquam eorum quæ in Verbi incarnatione contigerunt, ideam; cum enim Verbum divinum ut hominem redimeret, ab æterno alieni nature creatæ hypostatice uniri statuisset, menti ejus nobilissima Seraphinorum charitate ardentium sese obtulit natura; hanc non elegit Dominus: sublimem Cherubinorum scientia sua fulgentium con-

templatus et demiratus est naturam; neque hanc etiam elegit Dominus: vidit thronos, principatus, potestates et dominationes perfectionibus multis affluentes; horum nullum elegit Dominus. O Domine! si superiorum illorum Spirituum te naturæ unire nolis, alicujus saltem ex inferioris ordinis angelis naturam assume; nec hos etiam elegit Deus: angelorum quorumque naturæ uniri noluit; humanæ verum eique infirmitatibus et miseris multis scienti: *nusquam angelos apprehendit, sed semen Abraham apprehendit* (Hebr. 2). Ita nos dilexit, ut naturam nostram siti, fami, frigori, calori, vulneribus, doloribus, et aliis multis miseriis obnoxiam assumpserit: *per omnes humane nature contumelias volutatus est*, inquit Tertullianus; et ideo naturæ nostræ miseras assumpsit, ut bonis et divitiis spiritualibus nos repletet: *suscepit mala nostra, ut tribueret bona sua*, inquit Eusebius Emisenus; et ut ait Thomas a Kempis, *venit bonis omnibus te replere et ab omnibus malis eripere.* O ineffabilem Dei erga nos amorem! quo quidem ad illum redamandum stimulamur, imo cogimur. Heu! quis non amat eum, qui tanto nos affect amore? Charitas Christi *urget nos* (1 Cor. 5), imo cogit nos ad illum redamandum; si enim serio perpenderimus quomodo Christus nostras voluit miseras assumere, ut nos bonis spiritualibus cumularet, certe tanto ejus amori vicem rependeremus, tantisque ejus erga nos amor ad eum redamandum nos cogeret et adstringeret: *charitas Dei nos constringit, nec sinit quiescere.* Hæ charitate constringebatur Seraphicus Pater Franciscus, qui nativitate Christi solemnitate inter concionandum Christum natum dulcissime compellebat et non aliud ingeminabat, quam hoc: *amemus parvulum de Bethlehem.* Eodem nos, fratres, accendamus amore; contemplamur sero Christum natum et eum ardentem amemus; ac etiam *eum sæculo laudemus.*

II PARS.

Christus nascens a nobis est laudandus.

Certum est, Christum omni tempore a nobis esse laudandum: *qui verus christianus est, semper debet Domino laudes dicere* (S. Max. Taur. ho. 2); tamen in hac præcipue solemnitate cælestes spiritus imitari, et cum ipsis Christum natum laudare debemus vocibus, vita et operibus. A nobis laudandus est 1. vocibus: *cantet vox*; 2. vita: *cantet vita*; 3. operibus: *cantent facta*.

1. Ananias, Misaël et Azarias nolentes adorare statuam, quam rex Nabuchodonosor erexerat, ligati mittuntur in fornacem ignis ardentis, in qua illiæ manentes, Deum laudare non desinunt, et ignem, lucem, solem, stellas, terram, maria, omnes denique creaturas ad eum laudandum invitant: *liberavit nos de medio ardentis flammæ et de medio ignis eruit nos*. Laudo eos, eo quod Deum sedulo laudarint, eumque laudare tenebantur, qui eos illesos in medio fornacis accense servaverat; potiori jure ad Verbum incarnatum et hominem factum laudam dum tenemur; quia venit, non ut a Babylonica, verum ut a tartara nos fornace præservaret et ut salvaret nos: *perierat homo et venit Deus homo; perierat homo per liberam colardatem; venit Deus homo per gratiam liberatricem* (S. Aug. ser. 8 de verb. Ap.). Cum ergo Deus venerit et hodie natus sit, ut nos a tartari faucibus erueret et ad cælestia regna perduceret, ipsum præ illis paucis laudare et benedicere debemus. Angelos, virtutes, solem, lunam, cælos et omnes creaturas ad Dei laudes decantandas hortatur Vates regius: *laudate eum omnes angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus: laudate eum sol et luna, laudate eum omnes stelle et lumen* (Psalm. 148). Optat etiam David, ut ad Deum laudandum, tympana, organa, cymbala et alia musica sumantur instrumenta: *laudate eum in tympano et*

choro; laudate eum in choris et organo: laudate eum in cymbalis (Ps. 150). Cur tanto affectu laudat et ab aliis Deum laudari desiderat propheta? Quia, inquit, *ipse dixit et facta sunt; ipse mandavit et creata sunt*. Jamvero quanto magis in Dei præconia hodie erumpere debemus, cum ipse veniat, non ut det sua, verum ut det se; non ut unico verbo cælum et terram efficiat, verum ut carnem assumens multis laboribus redimere et salvare valeat: *Christus Jesus venit in mundum peccatores salvos facere; nulla causa venienti Christo, nisi peccatores salvos facere* (S. Aug. ser. 9 id.); laudemus ergo et superexaltémus eum in sæcula. Israelitæ, trajecto mari rubro, instrumenta musica cum suis vocibus temperantes, laudarunt Altissimum, dicentes: *cantemus Domino; gloriose enim magnificatus est* (Exod. 15, 21). Ratio autem propter quam tunc Deum laudarunt, hæc est, quod scilicet Pharaonem ipsos persequentem simul cum exercitu ejus in mare dejecerit: *equum et ascensorem ejus dejecit in mare*. Magna quidem laudandi Deum eis ratio inerat; major autem nobis causa subest Deum hodie laudandi, quia non ad Pharaonem aquis immergendum, sed ad principem tenebrarum cum omnibus eis adhaerentibus ab hoc mundo expellendum Deus venerit: *nunc princeps hujus mundi ejicietur foras* (Io. 21, 32). Ad Deum ergo hodie laudibus nostris extollendum plus tenemur, quam pueri in fornace existentes, plus quam propheta regius, et plus quam Israelitæ, imo et plus quam ipsi angeli, qui eum hodie nascentem laudant. *Angeli, ut nos ad laudem conditoris accenderent, orta per carnem luce, clamarunt: gloria in excelsis Deo; nos autem ad Deum laudandum præ ipsis cogringimur, quia nobis datus, nobis natus; angelis autem non est natus, ut arbitratur S. Gregorius: angeli electi incarnationis mysterio redempti non sunt*. Itaque Deum corde et ore hodie laudemus: *cantet vox*. Ipsum etiam laudare debemus vita innocentia: *cantet vita*.

2. Doctor Seraphicus explanans hæc verba: *facta est multitudo militiæ cælestis, laudantium Deum et dicentium: gloria in altissimis Deo*, ait, Deum hodie laudandum esse et glorif-

caudam pro bonitate, sapientia, potentia et iustitia; pro bonitate, quia non desepit plasmatis nostri infirmitatem; pro sapientia, quia invenit difficillimi negotii solutionem decentissimam; pro potentia, quia nihil potentius, quam Deum fieri hominem; pro iustitia, quia simile simili te salvavit. En potissima motiva, quibus ad Christum nascentem et in praesepio degentem laudandum allici et allectari debemus; estque a nobis laudandus, non solum vocibus, verum et vita, ita quod vita nostra non et displiceat: *non solum lingua nostra et vox nostra laudet Deum, sed et conscientia nostra, vita nostra* (Aug. in Ps. 148). Hi, quorum vita est scelerata, flagitiosa, multisque criminibus inquinata, quamvis Deum aliquando laudare videantur, eorum coram Deo non est jucunda, decoraque laudatio; imo, ut ait sanctus Augustinus, hi *blasphematores Dei potius dicendi sunt, quam laudatores*. Ut Christo placeant laudes, quas hodie ore ad ejus gloriam effunditis, eum et vita laudate; seu satagite, ut hujusmodi laudes e corde puro et conscientia nullis sauciata criminibus procedat: *non solum lingua nostra laudet Deum, sed et conscientia nostra, vita nostra*. Cam conditus est orbis terrarum, Deum laudarunt Angeli; hi fuerunt astra matutina et filii Dei, qui matutino mundi tempore laudarunt Altissimum: *eum me laudarent astra matutina et jubilarent filii Dei* (Job. 38). Deum etiam laudibus affecerunt angeli, cum natus est creator orbis Christus Dominus; tunc audita est vox caelestium illorum spirituum dicentium: *gloria in altissimis Deo*; atvero sive in mundi creatione, sive in Christi nativitate, non solis vocibus et concentu suo Deum laudarunt angeli; verum et sanctitate sua, qua ei gratissimi extitere. O quam parum Christo placeret hodie linguae nostrae laudatio, si eum cum angelis vite nostrae innocentia non laudaremus. Laus Dei in sacris codicibus *sacrificium laudis* vocatur. Hoc sacrificium parum gratum est et acceptabile, cum a viris, quorum vita criminibus est inquinata, offertur: *nullus immolat Deo sacrificium laudis, nisi qui e terrenis civitis fuerit segregatus* (Cassiod. in Ps. 149); igitur ad digne hodie simul cum angelis Christum laudare valeatis, abjicienda sunt omnia vestra crimina, mundanda est

conscientia vestra, vita vestra recte ordinanda: ac tandem Christum nascentem laudandus sanctis operibus: *cantent opera*.

3. In atheniensi lyceo celebratissima agitata est quaestio, videlicet quae res maxima simul et minima esset; omnes qui in famosissima hac Academia tunc aderant philosophi, in varias abiere sententias; quidam enim id esse dixerunt pupillam oculi, quae licet in se minima, solem tamen, lunam et alia quaevis corpora, quantumlibet magna, sibi proposita saltem per representationem includit. Alii illud magnum simul et parvum, de quo querebatur, cor hominis esse censuerunt; quoniam, licet in se sit parvum, capacitate tamen sua unum, imo et plures mundos continet, ut contigisse cernimus Alexandro, qui lacrymatus fuisse dicitur, audiens alios esse mundos, cum nondum ille unum suo imperio subjugasset. Nonnulli asseruerunt id esse proprium intellectus humani, qui licet ita parvus sit, ut omni careat quantitate, non solum visibilem hunc conplexitur mundum, verum et alios innumerabiles, quos agitatione mentis fabricare potest. Ille omnes opiniones philosophorum Christum natum non agnoscentium ingenio dignae sunt; si vero christiane philosophentur, nil aliud simul maximum et minimum agnosendum quam Christus Dominus pro nobis homo factus et in praesepio reclinatus; nil quidem illo majus, eum Deus sit: *non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo* (ad Philip. 2, 6). Nil etiam illo minus, qui etsi Deus esset, et eo nil majus excogitari posset, pro nobis tamen incarnari, nasci et quasi annihilari voluerit. O quam magnus est Christus? o quam parvus est Christus? Si pro nobis parvus factus est, illum ardentissime amare debemus: *parvus Dominus et amabilis nimis*. Si autem magnus est, a nobis quam maxime laudandus est: *illum toti laudate*, inquit sanctus Augustinus. Quomodo autem Christum natum toti laudare valeamus, idem Augustinus docet diceas, quod non solum vocibus, simul et operibus laudandus est: *non solum vox tua sonet laudes Dei, sed et opera tua concordent cum voce tua* (in Psal. 146). Cum cantat vox, cantare debent et opera: ex vocibus et bonis operibus gratius hodie debet efformari concentus, ut toti Christum nascentem

laudemus. Miror regium prophetam innumeris implicatum negotiis et tamen Dei laudibus effundendis tota die vacantem: *lingua mea meditabitur iustitiam, tota die laudem tuam* (Ps. 34, 28). Quomodo tota die Deum laudat propheta? Non utique vocibus, sed operibus: *tota die Deum laudat, qui omnia bene agit*, ut explicat Glossa interlinearis: et ut ait S. Augustinus: *tota die vis laudare Deum? quidquid egeris, bene age et laudasti Deum* (in Ps. 34). Laudatur Deus tota die, cum tota die bona sunt opera: omnibus quidem vite nostrae diebus sic a nobis laudandus esset Christus; praecipue vero in die natiuitatis ejus, in qua in hunc mundum venit, ut redimat et salvet nos; tota hac die bonis et sanctis operibus nostris est laudandus; aliquid quidem insumendum tempus in laudibus ad ejus gloriam ore promendis; reliquo totius diei tempore bonis operibus est vacandum; hodie visitandus est Christus in tabernaculis residens; hodie recipiendus reverenter in communione ad nos veniens; hodie parandum ei hospitium per sinceram peccatorum confessionem; hodie specialiter cibandus est in pauperibus famelicis, hospitandus in pauperibus peregrinis, operiendus in pauperibus nudis; horum et aliorum his similibus operum honorum exercitio tota hac die laudandus est et glorificandus: *tota die vis laudare Deum? quidquid egeris, bene age et laudasti Deum*. Jamvero o quam pauci Christum vita et operibus hodie laudant! eum blasphemant multi, laudant pauci. Eum omnibus et singulis vite nostrae momenti amare ac laudare tenemur, et praecipue hac die, in qua amandi et laudandi Christum nova et maxima nobis obijciuntur motiva: multi tamen eum nec amant, nec laudant; e contra eum maligne oderant, eique criminibus suis conviciantur. Heu! quid dignius, quam ut homo amet, et laudet creatorem suum et benefactorem suum? Quid facilius, quam modo exercere quod speramus in futura beatitudine peragere? « Nil melius, nil salubrius, nil suavius, nil jucundius, nil dignius, nil altius, nil felicius, nil perfectius, nil beatius, quam ardentissime amare et altissime laudare Deum. Hoc centies dico, hoc millies replico; nullum studium elegantius, nullum opus eminentius, quam amare

et laudare Deum (Thom. a Kemp. *Vall. lil. 29*) ». Eja ergo toti et totaliter hodie Christum natum amemus et laudemus; eum amemus cum Maria; eum laudemus cum angelis; eum etiam *queramus cum pastoribus*.

III PARS.

Christus nascens a nobis est querendus.

Christus, qui ut Deus, ubique est per suam praesentiam et essentiam, non est ubique per suam gratiam, qua privatur peccatores; nec per suam familiaritatem, qua saepe viri etiam sanctissimi non fruuntur; ideo sive justis, sive peccatores simus, a nobis querendus est, eoque verius et sincerius a nobis quaeretur, quo per fidei, contritionis, spei, charitatis et aliarum virtutum actus ferventius ad eum properabimus. Eum quaesierunt pastores et invenerunt: ut autem a nobis inveniat, simul cum pastoribus 1. querendus est in Bethlehem; 2. querendus est sollicita; 3. querendus est generose.

1. Christus pretiosa est margarita a nobis sedulo querenda: *si enim*, ut ait Doctor Seraphicus, *libenter et diligenter quaeret homo gemmam valentem mille marchas: quanto magis querere debet hanc margaritam, quae melior est toto mundo?* (serm. 6 in Rogat.). A nobis quidem inquirendus est Christus; si vero in locis in quibus inveniri nequit, eum inquiremus, vana et inutilis erit nostra sollicitudo; ideo monet nos sanctus Ambrosius, *ut nequaquam ibi queramus Christum, ubi invenire non possumus* (de Virg. 3). Varia autem enumerata loca divus Augustinus, in quibus non invenitur Christus: « Querendus, inquit, est Christus, sed non in platea, ubi est magna vanitas: querendus est Christus, sed non in foro, ubi est grandis iniquitas: querendus est Christus, sed non in taberna, ubi est summa ebrietas: querendus est Christus, sed non in saeculari curia, ubi est maxima falsitas: querendus est Christus, sed non in scholis mundanorum philosophorum, ubi est infinita perversitas (serm. ad fr. de er.) ». Si au-

tem in tot locis non invenitur Christus, ubinam quaeremus et ubi eum inveniemus? In Bethlehem: *ubi est quem quaerimus? In Bethlehem Juda*, inquit sanctus Bonaventura; ibi quaerendus est, ibi invenitur. Non perfecte sacra noverat sponsa, quo in loco resideret Christus; ideo sollicite rogat, ut ipsi locum indicet in quo inveniri possit: *indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie* (Cant. 1.). Non etiam probe sciebant Magi, quo in loco commoraretur, et ideo inquirentes dicebant: *ubi est, qui natus est rex Judaeorum?* Pastores ab angelis edocti perfectissime noverant ubi esset Christus: *transeamus*, inquit, *usque Bethlehem*; ibi eum quaesierunt, ibi eum invenerunt et ibi ab omnibus quaerendus est, ut inveniat: *ubi est quem quaerimus? In Bethlehem Juda*. Minime quaerendus Christus in superbis palatiis; non enim ibi habitat, sed in humili spelunca Bethlehem. Minime quaerendus in locis immundis; non enim ibi, sed in Bethlehem cum purissimis parentibus Josepho et Maria residet. Minime quaerendus inter mundanas vanitates et voluptates, sed in Bethlehem inter cruces et dolores, ibi invenitur Christus, qui non in throno, sed in humili reclinatur praesepio. Ibi reperitur Christus egenus et pauper, qui cum multis mansionibus haberet in caelo, voluit nasci in stabulo. Ibi reperitur Christus amabilis, qui ibi pro nostro amore multa, eaque gravia patitur; ibi eum quaeramus pie per veram cordis contritionem, per sinceram peccatorum nostrorum confessionem et per ardentem fidei, humilitatis et omnium virtutum actus: *ipse autem est quaerendus sollicite*.

2. Pastores desides non fuere et pigri in quaerendo Christum; ut enim refert sanctus Lucas, prompte et festinanter eum quaesierunt: *penerunt festinantes et invenerunt Mariam et Joseph et infantem positum in praesepio* (Luc. 2). Dicitur, pastores Christum quaesisse festinantes et illum invenisse: *penerunt festinantes et invenerunt*; ut discamus, quod si Christum invenire optemus, quaerendus sit, non tarde, non segniter, nec desidiose, verum prompte, ferventer et sollicite: *vides festinare pastores*, inquit sanctus Ambrosius: *nemo cum desidia Christum requirit*. In via virtutis non pauci reperiuntur desides

et ad bene agendum tardi, qui Christum quaerere velleut, non tam cito; ad Christum accedere cuperent lento gradu; virtutibus, quibus quaeritur et invenitur Christus, vacare intenderent segniter; ad his haud dubie non invenitur Christus, quia ab his solummodo reperitur, qui eum festinanter et sollicite quaerunt: *festinaverunt pastores*, inquit V. Beda, *neque enim cum desidia est quaerenda Christi praesentia; et ideo forte nonnulli quaerentes incenire non videntur, quia desidiose Christum quaerunt* (in c. 2 Luc.). In molli lectulo coelestem quaerebat sponsum sponsa Cantorum: *in lectulo meo per noctes quaesivi quem diligit anima mea* (Cant. 3, 1). Ibi eum quaesivit, nec ibi eum invenit; quia non invenitur a pigris, a desidibus et ab his, qui in passionum suarum lectulo quiescunt: *quaesivi et non inveni*; ideo ut sponsa divinum suum inveniret sponsum, surrexit prompte, eumque sollicite quaesivit: *surgam et circumibo civitatem*. Sic multi oscitantur et in lectulo Christum quaerentes, illum invenire nequeunt; quia ut inveniri possit, surgendum a lectulo et absque desidia, imo ferventer, sollicite et toto corde quaerendus est: *neesse est, ut quaeramus Deum toto corde et tota mente in hac praesenti vita. Quaerendus est etiam Christus generose* (S. Bern. ser. 79).

3. Cum de quaerendo Christo agitur, demon et natura corrupta plures suggerunt rationes, multaque obijciunt impedimenta, ut a concepto proposito avertant. Heu! inquit demon intus loquens, quomodo peccata tua tam pudenda confessario aperire audebis? Quomodo huic creature, quam tantopere diligis, vallicere poteris? Quomodo ab inveterata, qua ligaris consuetudine, te extricare valebis? Quomodo jejuniis, vigiliis, orationi et aliis, quibus quaeritur et invenitur Christus, operibus vacabis? Haec tibi quidem forent impossibilia; vitam ergo duc sicut antea. Ecce impedimenta quas occurrere solent, cum nobis Christus quaerendus proponitur; quo omnia generose superanda sunt, ut quaeratur et inveniat. Cum angeli de Christi nativitate pastores monuerunt, nox erat, frigidum tempus erat, congruum etiam non videbatur, quod errantes greges relinquerent; superatis tamen his omnibus impedimentis, dixerant: *transeamus*

usque Bethlehem. Similiter, ut Christum quæramus et inveniamus, de omnibus quæ obstant valenter triumphandum. Sufflat dæmon, quod peccata confiteri non audebimus: *transeamus*. Suggestit caro, quod sine solitis vivere nequibimus voluptatibus: *transeamus*. Trahit mundus, ut a viis nostris possimis non discedamus: *transeamus*. Uno verbo omnia vincamus impedimenta, ut transeamus usque Bethlehem et Christum inveniamus. Naaman leprosus, ut sanaretur a lepra, e Syria magno cum apparatu venit Samariam ad Eliseum prophetam, qui misit ei nuncium, dicens: *vade et laquare septies in Jordane et recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis*. Quo audito, iratus Naaman recedebat, dicens: *putabam, quod egrederetur ad me, et stans invocaret nomen Domini Dei sui et tangeret manu sua locum lepræ et curaret me* (4 Reg. 5). Miramini Naaman, qui vult curari e lepra, et ut sanetur, non vult lavari in Jordane; querit salutem, verum sine proprio labore; cupit munditiem, et refugit nudare corpus et tangere aquas fluminis. Hic est agendi modus multorum, qui Christum invenire, ei adhaerere et salvari vellent; at tamen minimo occurrente impedimento, hærent, nec ultra progrediuntur. Ut inveniatur Christus, vigilandum est, laborandum est, et obvia quæque viriliter sunt superanda impedimenta, dicendumque cum pastoribus: *transeamus usque Bethlehem*, transeamus usque ad Christum; nec quocunque obstante impedimento hærendum, donec inveniat Christus. Ecce pios motus, quibus ad Christum hodie tendere debemus; a nobis amandus est, laudandus est et querendus: *a nobis est amandus*, quia fit homo ut nos deos efficiat; quia descendit ad præsepe, ut nos ad coelos evehat; et quia mala nostra sumit, ut nos bonis repleat. *A nobis etiam: Christus est laudandus* lingua, vita et sanctis operibus. *A nobis demum cum pastoribus querendus est* in Bethlehem, *querendus est* diligenter et *querendus est* genere. Jam heu! quam pauci hodie Christum ardentè amant, debite laudant et sincere querunt. Multi non eum amant cum Maria, non laudant cum angelis, nec querunt cum pastoribus; potius eum cum Herode persequuntur. Audite illum apud

Psalmistam dicentem: *iniqui persecuti sunt me* (Ps. 118); iniquus eum persecutus est Herodes et iniqui eum persequuntur peccatores. O peccator impie! quid tuæ sunt blasphemie, quid ebrietates, quid lascivie tuæ, quam peccata, quibus Christum persequeris? Si hodie ebrietati vaces, Christum persequeris; si detractionibus os tuum aperias, Christum persequeris; si illicitis voluptatibus indulgeas, Christum persequeris. O Christiane nequam! o Christi persecutor! o alter Herodes! cur Deum tuum, factorem tuum, Salvatorem tuum tam inique persequeris? Ipse venit ut ditet te, ut salvet te, ut deificet te; cur ergo eum criminibus tuis immaniter persequeris? Audivit S. Paulus divinum hunc Salvatorem ipsi clamantem: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Audi et tu, o peccator, eundem Christum tibi intus dicentem et clamantem: o impie! o ingrâte! o inhumane! cur immunditiis tuis, voluptatibus tuis et omnibus criminibus tuis me persequeris? Siste gradum, o peccator! ne ultra puerum Jesum persequaris, si Herode et ipsi Turcis, necnon barbaris barbarior censi nolis. Cum Solimanus Turcarum imperator eunuchum suum in Prusam delegasset ad occidendum Bajazethem, simulque cum illo parvulum ejus filium; hic delegatus præ cordis teneritudine noluit peccare in puerum, aut saltem manu propria eum occidere recusavit, tamque immane facinus Janithzario commisit; qui cum ad pueruli cunas accessisset, ejusque collo laqueum aptasset, ipsi tanta suavitate aridentem vidit infantem, ut emollitum ejus fuerit cor et a cæde pueruli abstinuerit. O peccator! in cunis hodie contemplare puerum Jesum; ibi pro salute tua plorat et ibi etiam beneficiis et gratis suis tibi ridet: itaque tuum emolliatur cor; ne ultra sceleribus tuis illum persequaris; ac potius illum toto corde diligas, illum totis affectibus laudes, illumque sedulo et ferventer quæras, ut aliquando in celo eum invenias et possideas. Amen.

DE SANCTO STEPHANO.

CONCIO PRIMA.

*Lapidabant Stephanum invocantem et dicentem:
Domine Jesu (Act. 7).*

Heri Christi nascentis humiliationes sancta nobis proposuit Ecclesia et hodie S. Stephani triumphos nobis ob oculos ponit. Heri solempne Regis martyrum celebravimus festum, et hodie speciali festo martyrum primicerium honoramus. Heri martyrum Rex ingressus est in hunc mundum, et hodie martyrum primus ex hoc mundo est egressus. Ingressus est in hunc mundum Rex martyrum, ut humilitatem sectaretur, amplecteretur paupertatem, et gravia pro nostra salute pateretur; egressus vero est ex hoc mundo primus martyrum, ut lauros in caelo carperet, meteret coronas, et aeternam beatitudinem adipisceretur. Sanctissimus autem hic protomartyr magna et gloriosa subiit certamina, antequam pervenerit ad palmam; strenue decertavit in hoc mundo, antequam corona redimeretur in caelo. Ejus gloriam et triumphos angeli demirantur in caelis; nos autem ejus certamina, passiones et virtutes contemplabimur. *Ave.*

Sanctus Stephanus in medio saeculorum Judaeorum stans, pro Christo loquitur, pro Christo patitur, et Christum imitatur. Sanctus hic Levita pro Christo loquitur, ecce imaginarium ejus crimen; pro Christo patitur, ecce ejus supplicium; et Christum imitatur, ecce ejus perfectionem. Sanctus Stephanus doctor, martyr, et Christi discipulus extitit: ut doctor zelantissimus pro Christi gloria locutus est; ut martyr generosissimus pro Christi amore multa passus est; ut Christi discipulus sancta ejus exempla perfectissime imitatus est. Unde cum in mediis suppliciis clamabat Stephanus: *Domine Jesu;*

perinde videtur ac si dixisset: o Jesu! tu es Dominus meus, pro ejus gloria loquor in conspecta Judaeorum, pro ejus amore dira patior manibus persecutorum et ejus exempla imitari contendo, ut perveniam ad regna caelorum. Videamus magnanimitatem doctoris illius zelantissimi, qui pro Christo loquitur; constantiam martyris illius generosissimi, qui pro Christo patitur; et fidelitatem discipuli illius perfectissimi, qui Christum imitatur. Haec omnia patebunt, cum probaverimus, quod S. Stephanus 1. locutus sit pro Christo fidenter; 2. passus sit pro Christo constanter; 3. imitatus sit Christum fideliter.

I PARS.

S. Stephanus pro Christo fidenter locutus est.

Uncto Davide in regem, simul cum Israelitis ipse Jerusalem versus perrexit; in qua cum habitarent Jebusei infensissimi, clausis civitatis januis, ei obstiterunt, eique protestati sunt, quod in eam non ingrederetur: *non ingredieris huc* (I Paral. 11). Tunc novus et strenuus ille rex sancivit et declaravit, eum futurum principem exercitusque sui ducem, qui primus rebelles percuteret Jebuseos: *omnis qui percusserit Jebuseum in primis, erit princeps et dux*: Joab autem filius Sarviae primus civitatis muros conscendit, Jebuseos percussit et factus est princeps. Quid simile in Christo et Stephano hodie intueor; Christus enim, qui verus erat David, in Regem ab aeterno Patre unctus fuerat; ipse super Israel, et supra universam regnabat Ecclesiam. Quidam tamen Jebusei, seu maligni Judaei, Jerusalemis degentes, Christo Regi adversabantur, ei improperabant, regiam et divinam ejus dignitatem agnoscere renuebant; S. Stephanus, quasi alter Joab, Jebuseos illos primus aggreditur: eorum duritiam et improbitatem fidenter arguit, sumptoque sancto verbi Dei gladio, plenus gratia et fortitudine, Christi laetur jura, necnon pro illius gloria ita generose et fortiter loquitur, ut ipsi nullus

resistere valeat: *non poterant resistere sapientiae et spiritui, qui loquebatur.* Apud Jeremiam prophetam iis maledicit Deus, qui gladiis suis graviter non feriunt: *maledictus, qui prohibet gladium suum a sanguine* (Jer. 48, 10). Deus fraternam charitatem in sacris codicibus crebro inspirat et praecipit; ad pacem, concordiam et benignitatem nos indesinenter sollicitat; non solum propinquos et amicos, verum et extraneos, necnon inimicos nos diligere jubet; cur ergo his maledicit, qui gladios suos fraterno non eruant sanguine: *maledictus, qui prohibet gladium suum a sanguine?* Mysterium illud pereximi aperit Petrus Damiani, per *gladium* intelligens linguam nostram, qua velat acutissimo gladio detractores et maledici ad inique percutiendos sanctissimos quosque viros uti solent; maledicit autem Deus iis qui hoc non utuntur gladio non ad calumnias et detractores, verum ad defendendam ejus causam; cum enim res Dei agitur, omnes a partibus ejus stare, necnon pro illius gloria valenter loqui tenentur, iisque maledicit Deus, qui tunc pro ipso stare et loqui renuunt: *maledictus, qui prohibet gladium suum a sanguine.* In hanc autem maledictionem incurrun potissimum maguates, potentes et omnes in potestate constituti, cum a sibi subditis Deum graviter offendi scientes, ejus causam non tuerentur, nec pro illo loquantur eos corripiendo, qui illi injuriam inferunt. Ast hanc nullatenus sublit maledictionem Stephanus: quia Judaeis Christo infensissimos videns, eosque adversus divinitatem ejus blasphemantes audiens, audacter pro illo stetit, et in conspectu doctorum legis, necnon aliorum plurimorum Judaeorum in Christi discipuli saevientium, sanctissimus hic levita pro Christi divinitate ab eorum blasphemis vindicanda libenter locutus et argumentatus est. Noverat Sanctus Stephanus apud Judaeos prohibitum esse, ne quis pro Christi gloria loqueretur: *ne omnino loquerentur in nomine Jesu* (Act. 5, 40); praesciebat etiam, quod si pro Christi gloria palam loqueretur, protinus Judaei in ipsum irruerent, ipsumque morti traderent; attamen sanctus hic levita nec minas, nec mortem timet, cum Christi causa agitur: coram Judaeis saevientibus et blasphemantibus

tibus pro Christi gloria libere loquitur, eosque acriter increpat, propterea quod non illi credant, eumque non ut Deum suum venerentur, tunc *sanctus Stephanus non tacuit, non defecti, nec blasphemantibus cessit* (S. Fulg. serm. de eod.). Se infelicem censobat Isaias propheta, quia siluerat: *vae mihi, quia tacui.* Heu! o propheta sanctissime, cur te tacuisse tædet? In multiloquio peccatum non deesse nosti? omnium etiam sapientium iudicio laud nocet moderatum silentium, verum nimia verborum effusio: *nam tacuisse nocet nulli; nocet esse locutum;* cur ergo te tacuisse pœnitet? hominum sapientissimum adolescentem in sua causa vix loqui patitur: *adolescens loquere in tua causa vix.* S. Jacobus eum religiosum et virtute praeditum esse negat, qui linguae suae frenum non adhibuerit: *quis se putat religiosum esse, non refrœnans linguam suam, hujus vana est religio;* omnes tandem sancti Patres silentium, et taciturnitatem perquam maxime laudant; cur ergo se infelicem judicabat propheta, eo quod taceret? *Vae mihi, quia tacui!* Respondet S. Hieronymus, quod Isaiam tacuisse pœniteret, quia tacerat, et non locutus erat, ut impium Oziam Deo injuriam irrogantem corripere: *nam impium Oziam non reprehendit.* Verum quidem est, non sat laudari et exaltari posse silentium, non tamen semper tacendum est, quia ut ait sapiens, est *tempus loquendi* (Eccles. 1); hoc autem loquendi tempus tunc potissimum adest, cum Dei causa agitur: ideo cum in Dei causa locutus non fuisset Isaias, eum tacuisse pœnitebat: *vae mihi, quia tacui.* At sanctus levita Stephanus in Dei causa non siluit: cum enim Christum a Judaeis despectum et blasphematum esse novit, ipse non tacuit; pro illius gloria fidenter locutus est: *sanctus Stephanus non tacuit, non defecti, nec blasphemantibus cessit.* Unde Sanctus Augustinus Stephanum jucunde sic affatur. O Stephane, si pro Christo loquaris, a Judaeis occideris; si pro illius gloria proferas verba, hi adversum te vibrabunt saxa: *dic aliquid de eo, ejus nomen nolunt audire, et tabescent, et servient; profer verba, et accipe saxa* (serm. de eod.). Hoc quidem praenoverat Stephanus; non tamen inane factum est, ut siluerit; quin contra valenter a Christi

partibus stetit, et pro ejus gloria palam locutus est. *Non tacuit, non defecit, nec blasphemantibus cessit.* Discipulos suos Christus, velut oves simplices et mites inter sævos et rapaces lupos misit: *ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum* (Matth. 9, 16). Judæi erant lupi crudeles, qui prophetas persecuti erant, qui Christi prænuncios occiderant, et qui ipsum Christum cruci affixerant; post mortem autem Christi feroces inter hos lupos, velut oves mitissimæ, sancti ejus adire discipuli: *sicut oves in medio luporum.* Quis autem ex illis ovibus balara, aut quis ex Christi discipulis pro illius gloria primus coram Judæis loqui audebat? *Prima ovis est Stephanus*, inquit S. Fulgentius; hæc est ovis generosissima, quæ præsentibus lups balara non timet; hic est generosus discipulus, qui contra Judæorum impietatem sine timore prædicat; qui immanitatem et injustitiam, quæ erga Christum nisi sunt, verbis acerbis arguit, et qui pro ejus gloria magnanimiter loquitur et clamat: *inter mortuos clamabat, qui inter lupos coruscabat.* Judæi mortui simul erant et lupi; mortui erant spiritualiter per crimina quæ patraverant; et lupi erant feroces ratione crudelitatis, quæ Christum occiderant: Stephanus autem est ovis sanctissima, quæ coram mortuis et rapacibus illis lups strenue et intrepide pro Christi gloria loquitur; irascantur quantum voluerint Judæi, sæviant et rabie tabescant quantum plauerit, usque ad mortem testificari et pro Christi gloria loqui non cessabit Stephanus: *non tacet ovis testificando, etsi lupi clament blasphemando.* Apostoli oves fuere non meticuloas, sed audaces nimis, quæ palam balara non pertimuerunt; hi fuere athletæ fortissimi, qui prius etiam locuti sunt pro Christo, quam Stephanus; nihilominus *prima ovis est Stephanus*, quæ usque ad sanguinis effusionem balavit; seu primus ille fuit ex Christi discipulis, qui pro ejus gloria fidenter usque ad mortem locutus est. Christus gentibus erat stultitia, et Judæis scandalum: *Judæis quidem scandalum et gentibus stultitiam* (1 Cor. 5, 10). Illum ita oderant Judæi, ut nec nominaretur in illis, et gravis censeretur criminis reus, qui illum esse Deum profiteretur: Step-

nus tamen illum esse Deum et Messiam promissum ita evidenter probavit et demonstravit, ut sapientie et spiritui, qui per os hujus sanctissimi levite loquebatur, nullo modo possent resistere Judæi: itaque ut ei silentium imponerent, falsos suscitaverunt testes, qui illum blasphemie accusarent: *tunc submitserunt viros qui dicerent, se audivisse eum dicentem verba blasphemie in Moysen et Deum* (Act. 6). At maligna hac adinventione a sua prædicatione cohiberi nequivit Stephanus pro Christi gloria semper audacter locutus donec animam efflavit: *ipsum prædicat, cui testis erat: ipsum preconizat, cui est famulus in agone perfectus.* O athletam generosissimum! o doctorem zelantissimum! qui pro magistri et Dei sui gloria otium cum vite suo dispendio palam loquitur. Heu! cur et nos a Christi partibus non stabimus? cur, cum sese occasio offeret, pro illius gloria non loquimur? Væ illis qui loquuntur perversa! Væ illis quorum os maledictione et amaritudine plenum est; væ illis quorum os locutum est superbiam; præcipue væ, vae illis qui, cum Christi causa agitur, pro illius gloria non loquuntur. Væ vobis magistratibus, qui pro Christo non statis, cum coram vobis blasphematur. Væ vobis iudicibus, qui Christi causam in persona pauperum non defenditis. Væ vobis animarum pastoribus, qui ut canes muti, adversus iniquos Christo injuriam irrogantes latrare non valetis. Væ vobis parentibus, qui filiis peccantibus adulamini, et qui pro Christi honore non loquimini. Velini sciatis omnes, quod a Christo ad ejus causam tuendam delegati sitis: *pro Christo legatione fungimur* (1 Cor. 5, 20). Sub forma visibili non apparet Christus; ut peccatores corripiat, suamque palam causam defendat; legatos suos mittit, ut ejus impleant vices, et pro illius gloria loquantur. Cum filii vestri pravos incedunt vias, et a justitie semitis deflectunt; tunc vos, o parentes, a Christo ad eos corripiendos delegamini; *pro Christo legatione fungimur.* O pastores! o prelati! o vos omnes, qui ad aliorum regimen estis vocati, eadem vobis legatio demandatur respectu eorum quibus præcistis: eos corripiendi vobis munus incumbit, et cum

adversus Christum Dominum peccant, ejus causa a vobis ardentur est suscipienda, et pro eo libere loquendum. Nec dicant pastores, parentes et alii omnes qui præsunt, quod pro Christo loqui non audeant et quod taceant, ut quiete et pacifice vivant, quia, ut ait S. Bernardus, tunc *tacere impietas est*. Igitur loquimini pro Christo sicut Stephanus, qui pro eo locutus est identiter: *ac etiam pro eo passus est constanter*.

II PARS.

Sanctus Stephanus pro Christo constanter passus est.

Communi axiomate apud philosophos antiquitus dicebatur, pacem, amicitiam et veritatem esse matres illustres, quarum partus erant pessimi: quia pax otium, amicitia contemptum et veritas odium parit. Multiplici constat experientia hujusmodi haberi illarum matrum factus: revera ut de veritate tantum loquar, ad unum Stephanum oculos convertito, eumque a Judæis odio habitum, accusatum, morti adjudicatum video, quia pro veritate stetit et veritatem predicavit; si enim cum Judæis judicasset, si in Christum simul cum its falsa debacchatus esset, non illum profecto odio habuissent; quia pro Christo, qui est ipsa veritas, vera coram Judæis locutus est, ipsi ira et odio tabescentes adversus eum insurrexerunt, eum ad diram mortem inique damnarunt, eumque immaniter lapidibus obruerunt: *impetum fecerunt unanimiter in eum et ejicientes eum extra civitatem lapidabant* (Act. 7). In hoc casu tot fuere Stephani tortores quot Judæi presentes adstiteri: tunc quisque carnificis munus obtiit, quisque ecurrat ad lapides, quisque quidquid habuit virium contra innocentem Levitam collegit, ut toto robore lapides vibraret; illeque majori censebatur honore dignus, qui virgalem sancti hujus Diaconi carnem gravius percutiebat et immanius mactabat. Simul et semel mille brachia armata, milleque lapides adversus Stephanum immisi cernuntur, et identidem ejus obteritur caput, ossa ejus confringuntur, illius

disrumpuntur viscera et totum illius corpus contunditur. Heu! quanta in hoc agone passus est tormenta S. Martyr? ac simul quanta ejus in patiendo constantia extitit? tanta quidem, ut lapidantibus Judæis nunquam cesserit; tanta, ut venientes contra se lapides benigne receperit, et tanta, ut ab hostibus suis vinciri nunquam potuerit: *venientibus in se lapidibus non est victa charitas*. Magnam S. Stephani in perferendis tormentis constantiam non parum indicat mirabilis vultus ejus splendor: in mediis enim suppliciis *Stephanus assumpsit speciem resurgentis*, inquit S. Hilarius Arrelatensis. D. Augustinus ait, *tunc faciem Stephani radiasse instar solis*, et sacer Textus asserit, quod dum sanctus hic protomartyr altercaretur cum Judæis et ab iis varia pateretur, *viderunt faciem ejus, tanquam faciem angeli* (Act. 6). Unde tanta pulchritudo in sancti Stephani vultu? A constantia haud dubie, cum qua tormenta patitur; constantia enim est quedam firmitas, et animi immobilitas inter adversa; hanc autem animi immobilitatem manifestavit Stephanus vultus sui pulchritudine et decore; etenim timidi et moticulosi inter adversa vultum gerunt pallidum et demissum; jamvero tanta extitit S. Stephani constantia, ut in mediis suppliciis hilarem, formosam et rutilantem faciem gereret, omnibusque adstantibus manifestaret. Non modo Stephani constantiam a pulchritudine vultus ejus auspicari oportet, etiam a Christo, quem in caelis vidit: *video*, inquit, *caelos apertos et Filium hominis stantem*. De Alexandri militibus fertur, quod per famosissimi illius duces presentiam fiebant impavidi et intrepidi, ita quod ipso presente nullatenus trepidarent: *ipso presente, nec hostes, nec tela timebant*; sic S. Stephanus per Christi, quem in caelo intuebatur, presentiam ita fiebat impavides et constans, ut nec Judæorum calumnias, nec eorum minas, nec quaecunque supplicia timeret. Animadvertendum autem Stephanum vidisse Christum stantem: *et Filium hominis stantem*. Sancta Ecclesia canit, quod sedeat ad dexteram Patris, quomodo ergo eum stantem videt Stephanus? *Stabat Christus adjucans illum*, inquit S. Bernardus; ideoque a Christo, quem videbat et a Christo, a quo adjuvabatur, tantam sumpsit con-

stantiam et animi firmitatem, ut convicia, calumniæ, imo et ipsi lapides, quibus feriebatur, ipsi dulces fuerint: *lapides torrentis illi dulces fuerunt. Constantia*, inquit Doctor Angelicus, *facit firmiter persistere in bono contra difficultatem, que provenit a quibuscunque aliis exterioribus impedimentis* (2, 2, 57, 5). Unde vir vere constans simul est perseverans et patiens; perseverans, in quantum persistit in bono; et patiens, in quantum dolores, labores et quæcunque gravia libenter patitur, ut in proposito sibi bono perseveret. Hanc constantiam perseverantem sibi et patientem habere quidem omnes martyres, qui in Christi confessione, non obstantibus quibuscunque suppliciis, usque ad mortem persistere; atvero sanctus Stephanus aliis constantior fuisse videtur, quia cum passus sit omnium primus, aliorum exemplo ad perseverantiam moveri non poterat; nihilominus in bono proposito firmissime persistit, non obstantibus gravissimis difficultatibus, que se se obtulerunt; bonum enim quod intendebat Stephanus, non aliud erat, quam Christum confiteri, ejus causam defendere et pro illius gloria decertare; in hoc autem bono usque ad mortem constanter perseveravit sanctus: hic Levita, licet maximæ occurreret difficultates. Doctores enim Legis adversus Stephanum disputarunt, ut eum a Christi confessione avertèrent et ipse in ejus confessione perseveravit: Judei in illum sevierunt, ut eum a Christi causa tuenda revocaret et ipse perseveravit: advocati sunt falsi testes, qui eum blasphemie accusarent et ipse in promendis Christi laudibus perseveravit: duxerunt illum Judei extra civitatis muros, ibique eum conviciis affecerunt et lapidibus obruerunt; ipse autem libenti animo et convicia et lapides excepit, et in Christi confessione usque ad mortem firmiter perseveravit. O magnam sanctissimi hujus protonartyris constantiam! Aliquid ferocitatis præferre videtur constantiæ virtus in hoc, quod acerbiora quæque supplicia et ipsam mortem contemnere facit: *constantia vim quandam ferocem virtutem habet mortem contemnere*. Et ideo ad hanc animi constantiam et in virtute perseverantiam exprimendam, refert Paulus Jovius emblemata, in quo erat siren maritima cum hac epigraphe: *Con-*

tennit tuta procellas. Verox illa virtus in omnibus martyribus enituit, quia pro Christo duriora quæque supplicia et ipsam mortem perpessi sunt; omnibus autem constantior fuisse videtur Stephanus, tum quia dira tormenta et ipsam mortem adeo jucunde passus est, ut in mediis suppliciis genua flecteret, oraret, coelum contempleretur et angelicum præferret vultum, non secus ac si tormenta et mortem contemneret et pro nihilo haberet: tum etiam quia a Christi morte ipse omnium primus acerbum passus est martyrium, non habens exemplum quod imitaretur, et quo mors illi tolerabilior et dulcior redderetur: *primus meruit pro Christi nomine subire conflictum* (Chrysol. ser. 154). O magnam Stephani constantiam, quam pro viribus imitari tenemur: non enim in celo coronabitur, nisi qui in via virtutis usque ad mortem fortis et constans exiterit: *esto fortis usque ad mortem et accipies coronam vite*. Dum patiebatur Stephanus, ad ipsum, velut ad primum martyrem e celo corona descendit, qua ipse coronatus est et que ab ipso ad omnes, qui ad ejus constantiam imitabuntur, est transitura: *quando beatus Stephanus pro Christo primus sanguinem suum fudit, quasi corona processit de celo, ut eam sumerent sequentes in premio, qui procedentis pietatem imitentur in proelio* (S. Aug. ser. 96 de divers.). O Christiane! vis in celo coronari cum Stephano? quidquid in via salutis durum et difficile occurret, genose et constanter pro Christo patere; esto constans cum Stephano, qui pro Christo dira constanter passus est; *ac etiam Christum perfecte imitatus est*.

III PARS.

S. Stephanus Christum fideliter imitatus est.

Christum Pater æternus misit in mundum, ut pariter Redemptoris fungeretur officio, atque ut in omni virtutis exemplar a cunctis imitandum proponeretur: hic enim est dilectus Patris æterni Filius, quem ut Redemptorem venerari et

ut totius perfectionis exemplar imitari tenemur: *imitentur senes mores Tobie*, inquit S. Augustinus: *imitentur adolescentes Joseph castum, pulchrum corpore, pulchriorem mente (de Cathec. 6)*: imitentur adolescentule Agnetem et Catharinam; imitentur omnes Christum: *fias imitator Christi, non Antichristi*. Eam sancti, dum in hoc sæculo viverent, diversimode imitati sunt; martyres vero specialiter eum imitati sunt in morte sua et oleo coronas triumphales meruerunt: protomartyr autem Stephanus et in vita et in morte eum perfectissime imitatus est, ideo gloriosam et sublimem in celo assecutus est coronam: *Stephanus humiliter lapidatur, sed sublimiter coronatur*. Non immorabor in enumerandis singulis virtutibus, quibus simul cum Christo refulsit Stephanus: norunt enim omnes, ipsum simul cum illo virginitatem illibatam servasse, voluntariam sectatum esse paupertatem, humilitatis profunda exercitiis incubasse, charitate erga Deum et proximum exarsisse, ejusque alias virtutes imitatum esse. Quod maxime mirabile et omni admiratione dignum censeo in beato Stephano, in dilectione inimicorum fidelissime et perfectissime imitatus est Christum Dominum, qui dum gravissima in cruce pateretur supplicia, persecutoribus peperit, pro iis oravit, multisque eos beneficiis affecti: quod ut clarius pateat, Stephanum cum Christo conferamus et cuique evidenter constabit, quod servus Dominum et discipulum Magistrum hac in parte perfectè imitatus sit. De Christo refert princeps apostolorum, quod cum gravia a Judæis pateretur supplicia, his ne minimum quidem communitatus sit malum: *cum pateretur, non comminabatur* (1 Pet. 2). Neque solum non comminabatur Judæis, verum et omnium injuriarum, sibi ab iis illatarum, quasi immemor videbatur: *qui flagellis cæcis, clavibus confossus, patibulo affixus, opprobriis saturatus, omnium tamen dolorum immemor* (S. Bern. ser. 50 in Cant.). Similiter S. Stephanus a Judæis dira perpeusus tormenta, contra eos tamen nequaquam iratus est, nec aliquam iis ininitatus est penam; quasi omnium injuriarum immemor, facie hilari, oculisque ad cælum elevatis, Christum Jesum sedulo contemplabatur: *video cælos apertos et Jesum stantem*. Injuriarum

ab inimicis suis acceptarum ita immemor fuit Christus, seu inimicis ita peperit, ut pro iis Patrem oraverit; et item pro inimicis et persecutoribus suis enixe oravit Stephanus. Christus pro inimicis orans, clamavit. *Judæi clamabant: crucifige: ille clamabat: ignosce* (S. Bern. s. 4 de pass.). Stephanus etiam pro inimicis suis orans, clamavit: *positis autem genibus clamavit*. Christus pro crucifixoribus suis orans, clamavit voce magna: *cum clamore valido*, ut ait divus Paulus; Stephanus non absimiliter pro persecutoribus orans: *clamavit voce magna*. Christus pro inimicis suis orans clamavit, dicens: *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt*. Stephanus autem similem pro inimicis suis orationem fudit, dicens: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum*. Hac oratione, quam pro persecutoribus ad Patrem direxit Christus, plus de venia iis impetranda, quam de propriis doloribus sollicitus videbatur; instanter enim rogabat Patrem, ut illis ignosceret: *Pater, dimitte illis*; similiter Stephanus *plus persecutorum dolebat peccata, quam sua vulnera; plus illorum impietatem, quam suam mortem* (S. Max. ser. de eod.). Quid plura? Christus veniam pro multis ex suis persecutoribus obtinuit et S. Stephanus *novit etiam pro persecutoribus exorare Dominum nostrum Jesum Christum*. Christus a Judæis crucifixus spiritum Patri commendavit; *in manus tuas commendo spiritum meum*; et Stephanus a Judæis lapidatus clamavit: *Domine Jesu suscipe spiritum meum*. Christus tandem in cruce moriens, emisit spiritum et quasi dulci somno obdormivit: *in pace in idipsum dormiit et requiescam* (Ps. 4); et S. Stephanus inter lapides, quibus ab inimicis mactatus est, *obdormiit in Domino*. O mirabilem Christi imitatore! et o maximam Stephani cum Christo conformitatem! non solum enim pro Christo fideliter locutus et pro Christo constanter passus est; verum et Christum perfectissime imitatus est. Unde *si nihil est dignius, quam quod homo sit sui authoris imitator*; quantus honor, quantaque est gloria Stephano, quod auctorem suum et Redemptorem suum Christum perfectè imitatus sit? Maxima quidem ei gloria maximaque felicitas inest: ipse enim actu Christum imitatus in dilectione inimicorum,

obdormiit in Domino. O qualem felicitatem! o felicem somnum! *Felix somnus cum requie*, inquit Petrus Damiani; *requies cum voluptate et voluptas cum eternitate*; et clamat S. Augustinus: *O somnum pacis! quid illo somno tranquilius? quid illo somno quietius?* Equis tali somno dormire et tali morte mori non ambiret? Quis pessimam peccatorum mortem vitare et felicissimam justorum morte mori non optaret? Certe nemo non dicit: *moritur anima mea morte justorum.* Jamvero ut morte justorum moriamur, imitandus est Stephanus: *imitare Stephanum, qui dum peleretur lapidibus, ut hoc peccatum remitteretur, orabat* (S. Chrysost. hom. 63 in Mat.). Si Stephanus inimicis non peperisset, morte peccatorum pessima mortuus esset; quia pro iis oravit, iisque benefecit, morte justorum mortuus est et *obdormiit in Domino.* Vultisne, fratres, morte justorum mori cum Stephano? Imitamini Stephanum. Mihi cum audire videor in caelo clamantem: *imitatores mei estote, sicut et ego Christi*; seu, in multis imitatus sum Christum Salvatorem et praecipue in amore inimicorum; in hoc et vos imitatores mei estote, inimicos vestros toto corde diligite, orate pro persequentibus et calumniantibus vos, benefacite iis qui oderunt vos, et postquam inimicos dilexeritis, mors gratissimus vobis erit somnus et felicissimus ad aeternam beatitudinem transitus, in qua in aeternum regnabit. Amen.

CONCIO SECUNDA

Lapidabant Stephanum invocantem et dicentem:
Domine Jesu (Act. 7).

Si sanctus Stephanus persecutores non habuisset, protomartyris nomen et gloriam non obtinisset; si sanctus hic Levita inimicis non peperisset, caelos apertos non vidisset; et si strenuus hic athleta tam gravia ab inimicis perpeusus non esset in terris, ad thronum tam excelsum sublimatus, et corona tam pretiosa redimitus non fuisset in caelis. Unde si parvulis inno-

centibus Herodis et satellitum crudelitatem multum profuisse asserat S. Augustinus: *profanus hostis nunquam beatis parvulis tantum professe potuisset obsequio, quantum profuit odio* (serm. 10 de SS.); dicendum pariter de sancto Stephano, quod inimici, a quibus dira passus est tormenta, ei plurimum profuerint; quod officiosissimis quibusque amicis ei utiliores existerint. Verum est, quod maligni, duri et saxei erant Iudei, qui Stephanum persecuti sunt; at ipse, ut perfectissimus Christi discipulus, maximam eorū malitia utilitatem elicere novit, amplaque et praedivitem laudum suarum segetem omnibus concionatoribus subministravit. Laudari quidem posset Stephanus a nivea virginitate, qua floruit; a zelo salutis animarum, quo accensus fuit; a paupertate evangelica et aliis multis virtutibus, quibus emicuit; nihil tamen in eo eminentius, nihil rutilantius, nihil divinius, quam quod suos perfectissime dilexerit inimicos; ideo S. Levitam in hoc tantum contemplabimur, ut ab inimicis dura patientem et inimicis beneficientem: quod prius cum ipso oculos et mentem ad caelum elevamus. *Acc.*

Adversus Christum corde, ore et opere graviter peccaverant Iudei; corde, per malitiam, qua succedebantur; ore, per blasphemias, quas in illum evomerant; et opere, per dira et horrenda supplicia, quibus illum cruciaverant. Christus autem reddens bona pro malis, corde, ore et opere eos dilexit; corde quidem, quia cor ejus amore illorum maxime exarsit; ore, quia pro iis Patrem enixe rogavit; et opere, quia pro eorum salute pretiosum sanguinem fudit, et acerbissimam mortem voluntarie pertulit. Unde si probe res perpendantur, Christus inimicorum suorum fuit victima, advocatus et protector; eorum fuit victima, quia ab iis crucifixus et morti traditus est; eorum advocatus extitit, quia pro iis ardentem deprecatus est; et eorum fuit protector, quia iis fortiter et efficaciter patrocinatus est. Ecce magnum dilectionis inimicorum exemplar a Patre aeterno nobis propositum, quod perfectissime imitatus est Stephanus: ipse enim, sicut et Christus, fuit victima, advocatus et protector inimicorum suorum; ut *victima*, ab inimicis gravia jucunde passus est; ut *advocatus*, pro iis ferventer

deprecatu est; et ut *protector*, iis efficaciter patrocinatus est. S. Stephanus passus est, oravit et protexit: 1. *passus est* ab inimicis jucunde; 2. *oravit* pro inimicis ferventer; 3. *protexit* inimicos efficaciter.

I PARS.

S. Stephanus ab inimicis jucunde passus est.

Tantum eructabat sapientiam Stephanus, ut in publicis, quas contra legis doctores inierat, disputationibus, sapientiae et spiritui, qui per os ejus loquebatur, nullis resistere valeret; quapropter Judaei, invidia et ira exardescentes, falsos testes adversus eum adduxerunt, calumniis eum denigrare conati sunt, et tandem impetum fecerunt unanimiter in eum: et ejicientes eum extra civitatem lapidabant. Unde S. Stephanus, qui prius erat doctor contra Judaeos disputans, factus est deinde eorum victima, ac victima voluntaria, quia non invite, non coacte, imo jucundo et hilariter animo convicia, calumnias et omnes lapidantium inimicorum impetus sustinuit. Quod satis superque manifestant ejus vultus, ejus oculi et ejus os. Hoc manifestant 1. *ejus vultus*, qui angelicus est; 2. *ejus oculi*, qui caelum inspiciunt; 3. *ejus os*, quod silet.

1. Cum S. Stephanus adversus Judaeos disputaret, omnes adstantes vultum ejus ad instar faciei angelicae renitentem, introiti sunt: *viderint faciem ejus, tanquam faciem angeli* (Act. 6). Non angelus, sed homo erat Stephanus: et tamen angeli vultum praeferebat, vultumque ille angelicum habebat, cum illum persequerentur Judaei. Cum sanctus hic Levita in xenodochiis innumera charitatis officia impendebat, angeli faciem non habebat; cum in domibus infirmorum portentosa operabatur miracula, tunc etiam angelica non ei facies inerat; cum vero Judaei eum calumniabantur, et crudeliter persequerentur, tunc radiantem et angelicum praeferebat vultum, ut inde testaretur se esse paratum ad gravia quaevis supplicia hi-

lari et jucundo animo perferenda: ut enim ait S. Gregorius, *novit patientia levigare quod grave est*. Stephanus autem, ejus patientia erat maxima, gravia quae ipsi minabantur Judaei supplicia, tanquam levissima respiciebat. Unde vultum gestabat angelicum, quasi pulchritudine vultus Judaeis dixisset: gravia putatis tormenta quae patior et quae mihi inferre pertentatis; verum quae vobis gravia videntur, mihi levissima sunt, eaque lubeanti et jucundo perferam animo. Ne credatis Judaei, quod aegre injurias, calumnias et quaevis supplicia feram: haec omnia mihi placent, haec mihi arident; vultum attendite, et ex pulchritudine vultus facile judicabitis, me gravia quaevis supplicia jucundo et hilariter esse passurum. Christus in die transfigurationis simul cum apostolis in monte Tabor de spinis, clavibus, cruce et omnibus, quae in toto passionis suae decursu passurus erat, loquebatur: *loquebatur de excessu*, et tunc *resplenduit facies ejus sicut sol*. Cum Christus apostolis predicabat, cum iis de regno suo loquebatur, et cum in conspectu illorum multa operabatur miracula, vultus ejus pulchrior et splendidior non apparebat; cum apostolos de iis quae passurus erat in Jerusalem, allocutus est, vultus ejus ad instar solis rutilans visus est: *resplenduit facies ejus sicut sol*. O Christe! cur cum de his quae passurus es loqueris, pulchram et radiantem geris faciem? Nonne convenientius esset, quod dum de tristibus et duris sermonem habes, tristis etiam et mesta appareret facies tua? Non equidem: tunc enim prudentissime faciem praetulit hilarem et ad instar solis radiantem, ut pulchritudine et hilaritate vultus apostolis patefaceret, se non coacte, sed libenter et hilariter omnia passionis suae tormenta portaturum; *oblatus est, quia ipse voluit* (Is. 53, 7). Ecce mysterium propter quod Christi facies resplenduit sicut sol; et ecce etiam mysterium, propter quod facies Stephani, tanquam facies angeli visa est; ut enim ait Tertullianus, *Stephanus instar Christi in transfiguratione*; quia si Christus in transfiguratione coram apostolis faciem ad instar solis radiantem praetulit, ut inde aequo, jucundo et gratis animo se cuncta passionis tormenta portaturum ostenderet, Stephanus quoque in conspectu Judaeo-

rum faciem prætulit angelicam, et *ad instar solis radiantem*, inquit Augustinus, ut spectantibus Judæis declararet, quod non ægre, imo jucunde eorum convicia et calumnias perferret; quodque ad gravia quævis supplicia lubenter et gratissimum animo perferenda paratus esset. Dum vero quam jucunde patiatur Stephanus, manifestat vultus ejus, *hoc etiam manifestant oculi*.

2. In mediis tormentis non terram, non tortores, nec spectatores, cælum et Jesum respicit Stephanus: *video*, inquit, *cælum apertos et Jesum stantem*. O Stephane! nonne vides duros et diros quos adversum te vilant lapides Judæi? nonne vides iniquos illos calumniatores, qui adversum te locuti sunt falsa et infensissimos illos tortores, qui crudeliter innocentem tuam mactant et lacrant carnem? Nonne, martyr invictissime, nonne vides innocuum illum sanguinem, qui undequaque e tuo corpore copiosissime fluit? Non equidem ad illa attendit Stephanus: ipse nec hostes, nec lapides, nec proprium respicit sanguinem; quasi extra se raptus cælum solum intuetur et Jesum intra cælum stantem: *video cælum apertos et Jesum stantem*. Cælus videt sibi apertos, intra quos brevi recipiendus est et videt pariter intra cælum Jesum, qui inimicos dilexit, Jesum qui pro inimicis gravia æquo animo perpassus est, et intuens cælum simul et Christum, tormentorum quasi obliviscitur, eaque non solum æquanimitè, verum etiam hilariter sustinet. Si enim *nilhil erus sentit in nervo, cum animus in cælo est* (Tertull.), qui dicemus de sancto Stephano, cujus animus et oculi non solum in cælo existerent, etiam Christum in cælo stantem contemplati fuero: *video cælum apertum et Jesum stantem*; certe inter tormenta non solum quasi insensibilis extitit, verum et ea pergratissimo animo pertulit. Ante oculos vobis proponite illustrem levitam Stephanum, carnificibus et aliis Judæis sibi infensissimis circumdatum, quorum quisque ad lapides currit et quisque lapides toto robore contra innocens ejus corpus vibrat; clamant omnes, lapidant omnes, carnemque ejus innocuam omnes malitiose percipiunt et crudeliter contendant. Stephanus autem nec lapides, nec tor-

tiores, tantummodo cælum et Jesum in cælo stantem aspiciunt: *video cælum apertos et Jesum stantem*; videt cælus sibi patentes et Jesum ipsum expectantem; cælum videt ut locum, et Jesum ut objectum suæ beatitudinis, atque intuita Christi et cæli ei dulcia et gratissima sunt tormenta, quæ patitur; si enim antiquitas, interea dum fleret pugna, præmia victoribus danda, alicui columnæ pugnantium conspectui exposita suspendebantur, ut præmiorum, quæ assequi ambiebant præsentia, ad generosius dimicandum moverentur; quanta generositate decertavit, et quanta alacritate gravia quævis passus est tormenta Stephanus, æterna præmia sibi proposita, seu cælum apertos et Jesum videns? *video cælum apertos et Jesum stantem*. Sed Stephanum ab inimicis jucunde passum esse, auspicari etiam possumus *ex silentio oris ejus*.

3. Scio locutum esse Stephanum, at eum etiam tacuisse non me latet: in Dei causa audacter loquebatur, in propria religiose tacebat. Unde D. Augustinus ait, quod sanctus Stephanus *scoriebat et anabat*. Cum Dei res agebatur, Stephanus libenter loquebatur et adversus Dei sui hostes maximo cum zelo decertabat, *scoriebat*; cum autem Stephani res agebatur, ipse mutus fiebat; tunc adversus proprios hostes os suum non aperiebat; eos toto corde diligebat et *anabat*. Judæi Christi simul et Stephani erant inimici, utrique erant infensi et contra utrumque insurgebant. Cum autem Judæi Christum aggrediebantur, contra ipsum et ejus Evangelium blasphemantes, Stephanus a Christi partibus stans, adversus Judæos libenter loquebatur, eosque libere increpabat, tunc *scoriebat*. Cum Judæi aggrediebantur Stephanum, calumniis illum afficientes, illumque lapidibus obruentes, ipse tamquam mutus fiebat, adversarios suos tunc *anabat* et ipsos lapides adversus illum immisos benigne recipiebat: durum illi erat offendi Christum; se autem calumniis affici et lapidari ipsi suave et jucundum erat: *lapides torrentis illi dulces fuerunt*. In Templo Hierosolymitano erant hoves aerei et clypei aurei; beatus autem Stephanus æreus simul et aureus erat. Cum adversus Christum insurgebant Judæi, Stephanus totus æreus erat: quia tunc personabat

celut vis sonans, personabat ejus vox, personabant argumenta, quæ adversus impiam illorum doctrinam adducebat et personabant verba, quibus illos potenter redargebat et increpabat. Jamvero cum adversus Stephanum insurgebant Judæi, ipse totus aureus erat; quia tunc non personabat, sed silebat; ut enim ait Tertullianus, *aurum percussum silet*; sic quoque Stephanus, qui totus aureus erat, quum conviciis afflicebatur et lapidibus impetebatur, ipse animo ita hilari et jucundo hæc omnia perlecebat, ut ne unicum verbum adversus hostes suos proferret, ac omnino sileret. Tunc, ut ait S. Gregorius Nyssenus, S. Stephanus adversus inimicos non loquebatur; pro Christo pati gaudebat et lapides velut rorem gratissimum percipiebat: *magnus ille Stephanus gaudet lapidibus, ac celuti suavem quendam rorem crebros lapidum ictus benigne recipit* (Tr. de beat.). Mirare, o Christiane, sancti Stephani patientiam et illius exemplo discere illatas ab inimicis injurias patienter sustinere. Duo tibi patientiæ exempla proponit Augustinus, Christum scilicet et Stephanum: *astuas, inquit, furis, anhelas, festinus de adversario vindicari? attende Christum redemptorem animæ tuæ, medicum ægritudinis tuæ, qui ideo pati soluit, ut tibi patientiæ suæ monstraret exemplum* (serm. 2 de S. Steph.). Ecce magnum patientiæ exemplum. Quis vero forte quis diceret; non possum ego homo infirmus hoc facere quod Christus Deus homo fecit; ideo aliud patientiæ exemplum proponit S. Augustinus, nempe Stephanum, qui non Deus erat, sed homo sicut et alii. *Respice martyrem*, inquit, *vicinam grandinem inspicere, ingentem acervum lapidum intueri, ferventes jam videlicet manus, anhelantia ora jam conspice, ignita rabie lumina jam contemplare; ecce acies funesta appropinquat, jam lapides vibrat, fremebant impij cordibus suis et stridebant dentibus adversus eum* (ser. 4 de eod.); et tamen hæc omnia patientissime et jucunde patitur Stephanus, O Christiane! si non potes imitari Christum, imitare Stephanum: *si non potestis imitari Dominum, imitamini conservum, imitamini Stephanum*. Velim, quod contumeliis vos inimicus afficiat, quod bona et famam auferat, imo et quod graviter feriat: hæc et alia

quantumvis gravia, patienter sustinenda sunt; imitandus est Christus, qui gravissima ab hostibus summa cum patientia sustinuit; *si non potestis imitari Dominum, imitamini Stephanum*, qui gravia ab inimicis illata jucunde passus est supplicia, et qui *pro inimicis ferventer deprecatus est*.

II PARS.

S. Stephanus pro inimicis ferventer deprecatus est.

Duplici amore, Dei scilicet et proximi, exarsit cor protomartyris Stephani; amor Dei omnes iræ et vindictæ motus in ejus corde sopivit; effecitque ut omnia supplicia jucunde et hilariter pertulerit; amor vero proximi eum ad orandum pro inimicis allexit; pro iis autem non remisit et inaniter, verum ferventissimo deprecatus est; quia dum lapidaretur, pro iis oravit 1. flexis genibus; 2. clamans; 3. clamans alta voce.

1. Dum Stephanus lapidibus quateretur, Deum ardentem pro persequentibus oravit: *dum super eum torti lapidum vortices deciderent et rotati aggeres torquerentur, pro seipientibus sic orabat: Domine, ne status illis hoc peccatum* (S. Aug. ubi sup.); et quod mirum est, pro inimicis ipse flexis genibus oravit; circumdabatur Judæis ululantibus, blasphemantibus et crebros lapides vibrantibus; ipse autem, ut pro persecutoribus oraret, inter lapidum aggeres genuflexus. Cur tantam sibi vim facit Stephanus moriens et quasi exanimis? Nonne satis fuisset, quod rectus, humi cubans, vel in situ quo a lapidantibus et a jactatis lapidibus ponebatur, pro iis oraret? Non equidem satis fuisset respectu charitatis, quia erga inimicos ardebat sanctissimus hic Levita; ipsos enim ita diligebat, ut pro iis orare voluerit flexis genibus ad hoc ut facilius a Deo iis veniam et misericordiam impetrare valeret: *ventum est, ut oraret pro lapidatoribus suis, attendit multam et magnam esse impietatem illorum, quæ difficillime donari posset: genuflexus* (S. Aug. ib.). Pro seipso et pro inimicis oravit Stephanus, cum hæc tamen diffe-

rentia, quod pro seipso orans steterit: pro inimicis vero orans genua flexerit: *pro se orans stat et erigitur*, inquit Petrus Damiani, *pro lapidantibus flectit genua*. Cur Stephanus pro inimicis et non pro seipso genua flectit? Respondet præfatus Petrus Damiani, sic se gessisse Stephanum, quia *plus dolebat persequentium peccata, quam sua vulnera; illorum iniquitatem, quam suam mortem*. Aliam parum dissimilem et præclaram adducit resposionem S. Thomas a Villanova; *Stephanus*, inquit, *orans, non pro se, sed pro lapidantibus genuflectit, quia sibi patens cœlum videbat, lapidantibus vero infernum immingere*. Cum ergo se videret S. Stephanus gratia plenum, sibi que cœlum patere, et e contra agnoscens gravia esse persequentium peccata, et os inferni ad eos deglutientes patere, ferventius pro inimicis, quam pro seipso oravit, et ideo non pro se, sed pro iis orans genua flexit. O fervidam sancti Stephani orationem! qui ferventer etiam pro inimicis Deum deprecatus est, *dum pro iis oravit clamans*.

2. Cum S. Stephanus pro seipso oravit, non clamavit: *lapidabant Stephanum invocantem et dicentem: Domine Jesu suscipe spiritum meum*; pro se orabat, Deum invocabat, ipsique spiritum suum commendabat non clamans, sed dicens: *invocantem et dicentem*. Non est mirum, quod Stephanus innumeris lapidum ictibus impetitus et quasi obrutus non clamet, cum pro se Deum deprecatur; ergo cum pro se orans non clamaverit, cur pro inimicis et lapidatoribus suis orans, clamat? *positis autem genibus clamavit*. Dionysius Carthusianus ait, Stephanum pro inimicis orantem clamasse: quia pro iis ardent et ex magno affectu orabat: *clamavit, quia ex magno et intimo cordis affectu oravit*. Et Lyranus ait, quod pro inimicis orans Stephanus, clamaverit, quia ejus oratio *procedebat ex magno affectu erga proximum*. Christus cruci affixus pro persecutoribus oravit, clamans: *pater ignosce illis*; clamabant Judæi adversus Christum sevientes et clamabat Christus pro Judæis Patrem deprecans: *o mira res! Judæi clamant, crucifige; ille clamat, ignosce*; Dominum autem et exemplar suum Christum perfectissime imitatus est Stephanus:

contra ipsum enim clamabant et dentibus suis stridebant Judæi, ipse vero pro iis Deum rogabat, tantoque affectu pro iis orabat, ut pro iis orans clamaverit: *positis autem genibus clamavit*. Clamabat Stephanus dicens: *Domine ne statuas illis hoc peccatum*; quasi diceret: velim sciant angeli et homines, me inimicis ex toto corde parcere, neque toto affectu pro iis veniam a Deo postulare. Clamabat Stephanus, dicens: *Domine*, quasi Deum sic affaretur; o Domine, vides caput, maxillas et omnes corporis mei partes lapidibus attritas; vides carnem meam undique contusam et sanguinem ex corporis mei membris undequaque fluentem; supplex autem te rogo, ut virtute sanguinis mei pro te fusi et ponarum, quas pro tui gloria pertuli, ad veniam et ad misericordiam persecutoribus meis concedendam flectaris. Clamabat tandem, dicens: *Domine*, quasi dixisset: de profundis clamo ad te, Domine, et licet lapidibus jamjam sim obrutus, quidquid tamen mihi superest virium colligo, ut clamem ad te, non vindictam, sed misericordiam; ex magno quo erga inimicos affectu ardeo, ad te clamo et usque ad mortem clamabo, ut a te pro iis gratiam et veniam impetrem: *clamavit, quia ex magno et intimo cordis affectu oravit*. Ferventer quoque Stephanus pro inimicis deprecatus est, quia pro iis orans, clamavit *voce magna*.

3. Lapidabant Judæi Stephanum et ipse pro iis orabat: *Judæi ictibus lapidum corpus ejus quatibant et hic pro eis orabat: contundebatur homo exterior et supplicabat interior* (S. Aug. ubi sup.); magnus erat strepitus lapidum quos adversus sanctum Levitam vibrabant Judæi et magnum erat clamor Stephani Deum pro lapidantibus deprecantis; ut enim ait sacer textus, *Stephanus clamavit voce magna*. Cor sanctus hic protomartyr jam exspirans et cum morte conflictans, pro inimicis oravit, clamans *voce magna*? Præclaram et proposito nostro congruam hujus rei rationem offert S. Petrus Damiani, dicens: *clamavit Stephanus voce magna, quia magna utique charitate ardebat*. Cor Stephani erat quasi fornax et quasi rogas igne charitatis ardens. Hunc ignem, nec calumnia, nec lapides, nec quarumvis tribulationum aque extinguere valuerunt: *aque multe non*

potuerunt extinguere charitatem; quin contra, quo plus percutiebatur, eo ignis charitatis in ejus corde magis accendebatur; quo charitatis igne exarscens, clamavit voce magna, Deum rogans, ut lapidantibus Judæis hoc peccatum non statueret: *clamat Stephanus voce magna, quia magna utique charitate ardebat.* Dum lapidaretur Stephanus, duplex audiebatur clamor, lapidantium scilicet et sancti Stephani; clamabant illi, clamabat ille; illi clamabant alta voce, *exclamantes voce magna*; ille etiam alta voce clamabat, *clamavit voce magna*. Jamvero quanta differentia inter clamorem et clamorem! ut enim ait sanctus Petrus Damiani, *clamor lapidantium furoris erat, clamor Stephani amoris.* Furor et rabies, quibus adversus sanctum Levitam exarscescunt Judæi, ad clamandum eos movebant: *clamor lapidantium furoris erat*; Stephanus vero ardentissimi amoris igne accensus, clamavit voce magna, Deum deprecans, ut persecutoribus suis parceret: *clamat Stephanus voce magna, quia magna utique charitate ardebat.* Ecce differentiam inter bonum et malum christianum; orat bonus, orat malus; bonus bene et malus male orat; clamat bonus orans Deum, ut inimicis pareat; clamat malus, orans Deum, ut inimicos plectat; *numquid dicis: oro Dominum, ut moriatur inimicus meus? Deus meus, si quid apud te promerui, occide inimicum meum.* O pessimam orationem! *Cum enim oras Dominum, ut occidat inimicum tuum, te facis iudicem et Deum constituis tortorem.* En exitiosam etiam orationem, qua malus fit et peccator, qui taliter orat: *sic oranda facti estis ambo mali; ille male agendo, tu male orando.* Propterea respectu inimicorum non mala, sed bona sit oratio vestra; sanctus Stephanus a Deo vindictam non petit, quinimo pro inimicis a Deo ferventissime postulavit veniam; similiter a Deo inimicis gratiam et misericordiam supplices petite. Non dixit Deus: orate contra, sed orate pro persequentibus et calumniantibus vos (Matth. 5); igitur pro inimicis ardentem orate ad instar sancti Stephani, qui pro inimicis ferventer deprecatus est: *et qui pro inimicis efficaciter patrocinatus est.*

III PARS.

Sanctus Stephanus inimicos protexit efficaciter.

Christum morientem inimicis suis efficaciter patrocinatum esse ait Augustinus, quia pro iis oravit *prece misericordissima et potentissima*; misericordissimas similiter Stephani preces extitisse jam vidimus; potentissimas etiam censende respectu inimicorum ejus, quia precibus suis obtinuit 1. Saulo conversionem; 2. multis gratiam; 3. aliquibus gloriam.

1. Saulus adhuc juvenis S. Stephani martyrio adfuit et lapidantium pallia servavit, ut hi ad vibrandos lapides magis essent expediti, et ut ipse omnium manibus lapides immittens, S. Levitam torqueret: *omnium vestimenta servabat, tanquam manibus omnium lapidabat.* Si Saulus cum aliis lapidantibus, propria manu Stephanum lapidasset, aliquos solum lapidum ictus, eosque leves vibrasset, lapidantium vestes servans, omnium manibus sanctum Levitam lapidabat: ideo sancti hujus protomartyris infensissimus persecutor fuisse videtur Saulus. Illi tamen potentissime et efficacissime patrocinatus est sanctus Stephanus, qui a Deo ejus conversionem impetravit, ita quod perditus et damnatus fuisset Saulus, nisi pro eo orasset Stephanus: *perdi debuerat Saulus, sed pro eo oravit Stephanus; si martyr Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non haberet: sed ideo de terra erectus est Paulus, quia in terra inclinatus est Stephanus.* Hæc sunt verba sancti Augustini (Serm. 4 de S. Steph.); et sanctus Fulgentius ait, quod Stephanus, *quem habuit in terra persecutorem in cælis meruit habere consortem.* Sanctus Paulus ante conversionem lupus rapax, in christianos sæviens, precibus sancti Stephani totaliter conversus ex lupo in agnum mutatus est. Saulus, inquit sanctus Thomas a Villanova, *martyris merito ex lupo factus est agnus*; et divus Augustinus ait quod Paulus, qui lupus erat rapiens, persecutor sæviens, et filius perditionis, sancti Stephani

precibus factus est agnus, prædicator et vas electionis: *pro eo oravit Stephanus; unde elisus est sociens, erectus est credens; elisus est lupus, erectus est agnus; elisus est persecutor, erectus est prædicator. Dicam planius, dicam apertius; elisus est filius perditionis, erectus est vas electionis; elisus est Saulus, erectus est Paulus* (ib.). O miram Divi Pauli conversionem, quam precibus suis obtinuit S. Stephanus! *qui a Deo obtinuit quoque veniam multis persecutoribus suis.*

2. Christum in cælo vidit Stephanus stantem: *video cælos apertos et Jesum stantem.* Cur non illum videt sedentem ad dexteram Patris, sed stantem? Stabat Christus in cælo, inquit Hugo cardinalis, ut hoc situ indicaret, se esse paratum ad vindictam de S. Stephani lapidatoribus sumendam: *per illud verbum standi habitus injuriarum vindicantis exprimitur.* Quis ergo exarmabit Christum iratum et ad vindictam aptatum? Stephanus quidem, qui gratiam et misericordiam a Christo pro persecutoribus ardentem petiit: *Domine, ne status illis hoc peccatum:* ejus enim oratio ita potens et efficax extitit, ut iis a Cristo gratiam et misericordiam impetrare mererit: *qui novit etiam pro persecutoribus exorare Dominum nostrum Jesum Christum.* Unde si de Christo moriente et pro persecutoribus orante dicat Petrus Damiani, quod ejus oratio non poterit esse inefficax, quodque ejus oratione numerus persecutorum transierit in numerum amicorum Dei: *non potuit esse inefficax oratio morientis; unde et inimicorum numerositas ad numerum amicorum transiit;* dicendum similiter de sancto Stephano in extremis orante; non inefficacem, imo adeo efficacem ejus extitisse orationem, ut pro persecutoribus veniam et gratiam obtinuerit: *qui novit etiam pro persecutoribus exorare Dominum nostrum.* S. Gregorius Nyssenus ait, Stephanum in medio persecutorum fuisse quasi sacerdotem, qui sui ipsius, suarumque orationum sacrificium Deo offerebat, ut pro inimicis veniam et gratiam impetraret: *tamquam sacerdos hostiam puram immolans oratione.* Lapidis quibus obruebatur Stephanus, altare hujus sacrificii formabant;

Stephani sanguis, qui copiose fluebat, et corpus quod mactabatur, erant quasi hostia, quam sanctissimus protomartyr pro persecutoribus suis Christo offerebat et itidem Deum enixe rogabat, ut lapidatoribus suis parceret, eisque veniam et gratiam concederet, quæ oratio Stephani morientis, juncta sacrificio quod offerebat, efficacissima fuit: *non potuit esse inefficax oratio morientis.* Simul autem precibus suis veniam multis obtinuit, multisque gloriam æternam impetravit.

3. Dum lapidaretur Stephanus, cælos omnes sibi patentes vidit: *video cælos apertos.* Cæli ita patnere S. Stephano, ut eorum latera disrupta viderentur: *patuit sedes Dei, et sulcus aëre, cælorum latera pependerunt; hinc lucidus axis et cæli omnes.* Quare cælorum rumpuntur latera? cur omnes cæli ita aperiuntur Stephano? non cælos sibi apertos, ast aliud quod sollemnmodo cæli ostium apertum vidit S. Joannes Evangelista: *ecce ostium apertum in cælo* (Apoc. 4); cur ergo Stephanus non unicum ostium, ut S. Joannes, verum omnes cælos patentes et sibi apertos vidit? Cælos apertos vidit, quia triumphali pompa, non solus, sed simul cum persecutoribus, pro quibus Christum exoraverat, cælum ingressurus erat. Vetus erat apud Romanos consuetudo, ut qui in ludis olympiis victoriam reportaverat, magnifico apparatu in urbem ingrederetur, non per ostium commune, sed per aditum eversione murorum factum, quo victor simul cum magna hominum eundem comitantium, illique plaudentium multitudine in urbem intrabat; sic B. Stephano, qui de carnis illocebris, de mundi fallaciis, de doctoribus et tortoribus gloriose triumphaverat, non unica cæli janua, omnes cæli aperti sunt, ut ipse triumphans, simul cum suis persecutoribus aut illum comitantibus aut post ipsum venientibus ingrederetur. Hunc, ut ait S. Fulgentius, Stephanum secutus est Paulus: *quo processit Stephanus, illic secutus est Paulus, adjutus precibus Stephani.* Neque soli Paulo, multis etiam aliis ex suis persecutoribus cælum suis precibus aperuit Stephanus, eisque gloriam et beatitudinem æternam a Deo obtinuit, quia *non potuit esse inefficax oratio morientis.* O pereximium inimicorum suorum amatorem! qui non solum

ab iis dira jueunde passus est, nec solum pro iis ferventer oravit; verum et eos beneficiis cumulavit. De Alexandro refert Plutarchus, subditum quemdam perperam de eo loquentem, multis muneribus affecisse, quibus gratiam illius adeo conciliavit, ut qui antea fuerat ejus obtretractor, postea in laudem ejus orator fieret. Quod cum novisset Alexander, dixit: *hæc est gloria Alexandri, inimicos reddere amicos*. Jamvero ad sancti Stephani honorem dicendum, ipsum majoribus inimicos affecisse donis, cum iis et gratiam et gloriam obtinuerit: *hæc est gloria Stephani*. Ad ejus imitationem vos iterum invitare vellem; benefecit ille inimicis: *benefacite et vos iis qui oderunt vos* (Mat. 5). Crucifixoribus suis benefecit Christus et lapidatoribus suis benefecit Stephanus, ut Christum et Stephanum imitemini, *benefaciet iis qui oderunt vos*. Cum quidam juvenis ira percitus adversus Lycurgum, ei oculum eruisset, senatus Lycurgo illum tradidit, ut ex propria sententia et ad libitum, illatæ injuriæ de eo vindictam sumeret; at tantum abest, quod de eo vindictam sumpserit Lycurgus, quin contra eum in domum suam recepit, eum ut proprium filium aluit, eumque bonis moribus imbuuit. Heu! si hic infidelis, cui nunquam Christi et Stephani proposita fuerant exempla, benefecit hosti suo, hosti infensissimo, hosti qui ipsi oculum eruerat, cur, o christiani, vestris non beneficiis inimicis? nondum vobis oculos eruerunt, et licet oculos eruisent, licet vos lapidibus obruisent, licet, ut ita dicam, vos crucifixissent, ad eos tamen diligendos et ad iis beneficiendum movere vos deberent exempla Christi et Stephani, qui crucifixoribus et lapidatoribus benefecerunt; propterea *benefacite iis qui oderunt vos*. Durum est benefacere calumiantibus et persequentibus nos; atvero quam suave et quam jucundum erit audire Christum dicentem: *venite benedicti Patris mei, percipite regnum*; inimicis ergo benefacite cum Stephano, ut cum illo regnum percipiatis æternum. Amen.

DE SANCTO JOANNE EVANGELISTA.

CONCIO PRIMA.

Vidit discipulum, quem diligebat Jesus (Joan. 21).

Sicut omnium malorum primum et omnium infelicitatum potissima est a Deo odio haberi; ita bonorum omnium maximum omniumque felicitatum nostrarum fons et origo est a Deo, omnis boni principio, amore speciali diligi: *amor Dei unicuique mundi beneficium est et causa bonorum omnium*. Quis autem dum in hoc mundo vivit, se a Deo diligi asserere poterit, cum absque speciali revelatione scire nequeamus, an in statu gratiæ, vel in statu peccati mortalis existamus; seu, an Dei amore, vel odio digni simus: *nescit homo, utrum amore, vel odio dignus sit?* (Eccles. 9, 5). Quis, dum in misero hoc mundo conversatur, de Dei erga se amore certus erit, cum divus Paulus, qui usque ad tertium cælum raptus, arcana viderat quæ non licet homini loqui, ingenue ipsum latere fateatur, an sit in statu gratiæ illius, qua homo formaliter justus et Dei amicus constituitur: *nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum?* (1 Cor. 4, 4). Paucissimis quidem hoc revelatur mysterium; sanctus Joannes Evangelista, qui in Christi corde, velut in libro vite, se scriptum viderat, discipulum a Christo dilectum se libere nuncupat et in toto Evangelii sui decursu se non alio, quam dilecti discipuli nomine vocat: *discipulum quem diligebat Jesus*. Et revera Joannem, ut ait S. Augustinus, *Dominus præ ceteris diligebat*; et Tertullianus eum *dilectissimum Domino* vocat. Quis et quantus Christi erga Joannem fuerit amor hæc explicabit concio. Ave. Mundi erga suos amorem avarum et tenacem, fictum et fallacem, inconstantem et mutabilem esse quisque fatebitur. Amat clientem suos mundus amore avaro et tenaci, quia illis aut

ab iis dira jueunde passus est, nec solum pro iis ferventer oravit; verum et eos beneficiis cumulavit. De Alexandro refert Plutarchus, subditum quemdam perperam de eo loquentem, multis muneribus affecisse, quibus gratiam illius adeo conciliavit, ut qui antea fuerat ejus obtretractor, postea in laudem ejus orator fieret. Quod cum novisset Alexander, dixit: *hæc est gloria Alexandri, inimicos reddere amicos*. Jamvero ad sancti Stephani honorem dicendum, ipsum majoribus inimicos affecisse donis, cum iis et gratiam et gloriam obtinuerit: *hæc est gloria Stephani*. Ad ejus imitationem vos iterum invitare vellem; benefecit ille inimicis: *benefacite et vos iis qui oderunt vos* (Mat. 5). Crucifixoribus suis benefecit Christus et lapidatoribus suis benefecit Stephanus, ut Christum et Stephanum imitemini, *benefaciet iis qui oderunt vos*. Cum quidam juvenis ira percitus adversus Lycurgum, ei oculum eruisset, senatus Lycurgo illum tradidit, ut ex propria sententia et ad libitum, illatæ injuriæ de eo vindictam sumeret; at tantum abest, quod de eo vindictam sumpserit Lycurgus, quin contra eum in domum suam recepit, eum ut proprium filium aluit, eumque bonis moribus imbuuit. Heu! si hic infidelis, cui nunquam Christi et Stephani proposita fuerant exempla, benefecit hosti suo, hosti infensissimo, hosti qui ipsi oculum eruerat, cur, o christiani, vestris non beneficiis inimicis? nondum vobis oculos eruerunt, et licet oculos eruisent, licet vos lapidibus obruisent, licet, ut ita dicam, vos crucifixissent, ad eos tamen diligendos et ad iis beneficiendum movere vos deberent exempla Christi et Stephani, qui crucifixoribus et lapidatoribus benefecerunt; propterea *benefacite iis qui oderunt vos*. Durum est benefacere calumiantibus et persequentibus nos; atvero quam suave et quam jucundum erit audire Christum dicentem: *venite benedicti Patris mei, percipite regnum*; inimicis ergo benefacite cum Stephano, ut cum illo regnum percipiatis æternum. Amen.

DE SANCTO JOANNE EVANGELISTA.

CONCIO PRIMA.

Vidit discipulum, quem diligebat Jesus (Joan. 21).

Sicut omnium malorum primum et omnium infelicitatum potissima est a Deo odio haberi; ita bonorum omnium maximum omniumque felicitatum nostrarum fons et origo est a Deo, omnis boni principio, amore speciali diligi: *amor Dei unicuique mundi beneficium est et causa bonorum omnium*. Quis autem dum in hoc mundo vivit, se a Deo diligi asserere poterit, cum absque speciali revelatione scire nequeamus, an in statu gratiæ, vel in statu peccati mortalis existamus; seu, an Dei amore, vel odio digni simus: *nescit homo, utrum amore, vel odio dignus sit?* (Eccles. 9, 5). Quis, dum in misero hoc mundo conversatur, de Dei erga se amore certus erit, cum divus Paulus, qui usque ad tertium cælum raptus, arcana viderat quæ non licet homini loqui, ingenue ipsum latere fateatur, an sit in statu gratiæ illius, qua homo formaliter justus et Dei amicus constituitur: *nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum?* (1 Cor. 4, 4). Paucissimis quidem hoc revelatur mysterium; sanctus Joannes Evangelista, qui in Christi corde, velut in libro vite, se scriptum viderat, discipulum a Christo dilectum se libere nuncupat et in toto Evangelii sui decursu se non alio, quam dilecti discipuli nomine vocat: *discipulum quem diligebat Jesus*. Et revera Joannem, ut ait S. Augustinus, *Dominus præ ceteris diligebat*; et Tertullianus eum *dilectissimum Domino* vocat. Quis et quantus Christi erga Joannem fuerit amor hæc explicabit concio. Ave. Mundi erga suos amorem avarum et tenacem, fictum et fallacem, inconstantem et mutabilem esse quisque fatebitur. Amat clientem suos mundus amore avaro et tenaci, quia illis aut

nihil dat, aut parum dat, vel etiam nonnunquam bonis imaginariis et umbris eos pascit: *omnia transierunt tanquam umbra* (Sap. 9). Amat etiam suos mundus amore ficto et fallaci, quia omnes ejus favores fletu sunt et fallaces: *fallax gratia et vana est pulchritudo* (Prov. 31, 30); seu, ut ait divus Augustinus, totum mundi studium in hoc est, quod suos fallat et decipiat: *fallit et decipit*. Mundus tandem suos amore inconstanti et mutabili diligit, quia quos hodie amare fingit, cras aperto prosequitur odio: quos hodie aliquo afficit beneficio, cras malis obruit, gloriamque, necnon omnia que largitur bona, brevi in ignominiam et mala plurima commutat: *gloriam eorum in ignominiam commutato* (Osé. 4). Ecce turpes characteres amoris mundi erga suos, a quibus toto celo distat et ex diametro opponitur Christi Domini erga Joannem amor: nam amore liberali et non avaro, sincero et non fallaci, constanti et non mutabili eum diligit, Christus Dominus amavit Joannem amore liberali, amore sincero et amore constanti. Amavit eum 1. amore liberali, quo eum beneficiis cumulavit; 2. amore sincero, quo ei altissima mysteria revelavit; 3. amore constanti, quo ei etiam post mortem benefacere non destitit. En tres hujus orationis partes, quibus patebit, quantum Christus Joannem dilexerit: *vidit discipulum, quem diligebat Jesus*.

I PARS.

Christus Joannem dilexit amore liberali.

Omnes penitus sapientes amorem liberalem et prodigum esse noverunt; quia communi experientia constat, eum qui ardentem amat, suis se facile spoliare bonis, ut ea dilecto largiatur. Unde Alciatus in suis emblematicis amorem sub figura pueri vestibus suis exuti proponit:

Convenit hoc, quod veste caret, quod corpore parvus.

Et ideo alius quidam poeta egregia apostrophè amorem con-

pellans, ab eo querit, cur eum mater ejus nudum incedere pateretur:

Dic mihi te nudum cur tua mater alit?

Nudus quidem depingitur amor, quia tanta ipsius est liberalitas, ut suis omnibus se spoliare bonis ad ea in personam amatam transferenda. Et hic verus est character amoris Christi erga Joannem, quem amore ita liberali dilexit, ut ei dignitates suæ Ecclesie, cor suum et matrem suam dederit. El dedit 1. *dignitates suæ Ecclesie*, ut eas exerceat; 2. *Cor suum*, ut illud possideret; 3. *Matrem suam*, ut illam consolaretur.

1. Hanc inter divinam et humanam amorem differentiam constituit Doctor Angelicus quod amor divinus *ponit*, amor vero humanus *supponit*; amor humanus, qui plerumque inops est et omni bono vacuum supponit in objecto amato aliquid bonum, quo amabile fiat; amor vero divinus, qui dives et liberalis est, *ponit* in persona amata, seu illi largitur bona, que illam amabilem efficiunt. Deus autem hoc amore benefecit et liberali dilexit Joannem, quia in eo posuit, seu illi omnes Ecclesie suæ dignitates et prærogativas liberaliter concessit: *omnes dignitatum titulos, omnes gratias et honores, quos per alios domus suæ famulos sparsim divisit Deus, in hoc uno plenius accumulavit et aceravit: hic apostolus, propheta, evangelista, martyr, confessor, virgo, doctor*. Deus ab æterno Petrum elegerat, ut esset apostolus; Isaiam, ut esset propheta; Lucam, ut esset evangelista; Stephanum, ut esset martyr; Martinum, ut esset confessor; Paulum, ut esset virgo; et Augustinus, ut esset doctor. Amor Dei fuit erga Joannem liberabilior, cum ipsi dederit, ut simul esset *apostolus, propheta, evangelista, martyr, confessor, virgo et doctor*. Deus mirabili providentiâ ab initio Ecclesiam suam regit et sicut sapientissimus œconomus, suum cuique in ea exercendum dare consuevit officium. Unde videmus, quod hunc prophetam, illum apostolum, istum evangelistam et alium doctorem, vel pastorem constituit: *ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et*

doctores. Christus erga discipulum suum Joannem ita liberalis extitit, ut in eo omnes Ecclesie sue dignitates collegerit et adunarit: prophetam enim cum prophetis, apostolum cum apostolis, evangelistam cum evangelistis, cum martyribus martyrem et cum aliis doctoribus, confessoribus et virginibus, eum doctorem, confessorem et virginem effecit. Imo et illum quodammodo supra alios sublimavit: fuit namque inter apostolos ille quem diligebat Jesus; inter evangelistas non bos ruminans, vel leo rugiens, sed aquila sursum volans extitit; inter prophetas fuit perspicacissimus; inter martyres constantissimus, sapientissimus; inter doctores, inter confessores fidelissimus et inter virgines purissimus. Unde respecta sancti Joannis Christi gratia non solum divise; Christus thesaurizavit super eum, ejusque erga Joannem amor ita se liberalem exhibuit, ut omnes gratias omnesque Ecclesie sue dignitates, quae inter alios habentur disperse, in eo collegerit et coaequaverit: *hic apostolus, propheta, evangelista, martyr, confessor, virgo, doctor.* Christi vero erga Joannem amor fuit adhuc liberalior, quia ei dedit cor suum.

2. Joannes, ut ait Origenes, interpretatur, cui donatum est; et merito quidem sic vocatur, quia multa et maxima a Christo dona percipere meruit, quorum notissimum et pretiosissimum haud dubio fuit divinum illud cor, quod illi tradidit Christus, cum supra pectus ejus requievit: *qui et recubuit in caena supra pectus ejus* (Joan. 21, 20). Cum requievit Jacob supra montem Bethel, dixit ei Deus *terram in qua dormis, tibi dabo* (Gen. 28); Christus similiter supra cor suum Joannem requiescere voluit, velut supra terram sacram et divinam, quam illi tradebat possidendam. Petro Christus claves regni caelestis dedit: *tibi dabo claves regni caelorum* (Mat. 16, 19). Magdalenae pedes suos tradidit: *stans retro secus pedes ejus* (Luc. 7); sponsae Canticorum sua donavit labia: *osculetur me osculo oris sui* (Cant. 1); sancto Thomae apostolo latus suum concessit: *affer manum tuam et mitte in latus meum* (Joan. 20); erga sanctum Joannem Evangelistam longe munificentior et liberalior extitit: etenim dedit ei cor suum; dedit

ei cor illud, quod est substantialiter et hypostatice Verbo divino unitum; cor illud, in quo velut in throno suo residet plenitudo divinitatis; cor illud divinum, quod in sinu Mariae formaverat Spiritus Sanctus ei tandem dedit cor illud, cujus omnes cogitationes, affectus et motus erant theandrici et cujus valor infinitus erat et incomprehensibilis. O magnam Christi erga Joannem liberalitatem! Deus a nobis non facultates, non corpora, sed corda petit: *probe fili mi cor tuum mihi.* Hic vero, o rem omnibus saeculis admirandam! quod Christus ab aliis petit, ipse Joanni tribuit: ab aliis corda petit et ipse proprium cor Joanni concedit. Dederat cor suum Joannes Christo, quem ardentissime diligebat et cujus cor Christi amore ita ardebat, ut *velut caninus quidam diocini videretur incendii.* Christus autem e converso cor suum tradidit Joanni, quem prae aliis apostolis amavit: *Joannem Dominus prae ceteris diligebat.* In corde Patris requieverat Christus ab aeterno: *qui est in sinu Patris;* et in tempore vult Christus, quod supra cor ejus requiescat Joannes; vult quod ibi pascat, quod ibi cubet, quodque divini hujus cordis fiat inquilinus et possessor. Quod preclara visione sanctae Geltrudi fuit revelatum: ipsa enim in extasi raptam, in caelo Christum vidit multis undoqueque circumdatum sanctis, calamos, seu fistulas dextera gestantibus; quas alii supra caput, alii supra oculos, alii supra labia et alii supra alias nobiliores corporis ejus partes flecebant: S. Joannes Evangelista suam supra cor illius deflectebat, ut indicaret, quod Christus eum divini hujus cordis possessorem effecisset. O portentosam Christi liberalitatem erga S. Joannem, cui dedit cor suum *et cui dedit etiam Matrem suam!* (R)

3. Christus in cruce pendens authenticum fecit testamentum: *disposuit testamentum electis meis* (Ps. 88): hoc testamentum animam Patri, Petro Ecclesiam, paradysum latroni, corpus suum terrae, militibus vestem, veniam peccatoribus, sanguinem suum omnibus penitus hominibus dedit; Joanni largitus est, quod sibi manebat charius et quod pretiosius esse censebat, Mariam scilicet, quam ei in matrem concessit: *fili, inquit, ecce mater tua, seu ecce Mariam matrem meam, quae in posterum tua erit*

mater. O Joannes, hanc tibi do in matrem, quæ est regina angelorum, hominum imperatrix, protectrix totius mundi et gubernatrix cœli et terræ: *ecce mater tua*; illa erit Mater tua et tu filius ejus eris; accipe illam in matrem tuam, et ipsa te in filium suum accipiet. O prodigum Christi amorem erga discipulum suum Joannem, cui Matrem suam Mariam in matrem tradidit! videtur, inquit S. Thomas a Villanova, quod Christus majorem gratiam Joanni conferre nec erga illum liberabilior esse poterit: *o magnum dilectionis indicium! suo loco apud matrem substituit eum et pro se in filium Virginis reliquit eum: huic gratiæ quid amplius dari potest?* (serm. de S. Jo. Ev.). Et revera, si de Artemidoro, cui Theodoricus rex Romam custodiendam commiserat, dixit Cassiodorus, quod non posset altius sublimari, quam eum et Roma commissa est: *nemo potest amplius erigi, quam cui potuit Roma committi*; quanto potiori jure de Joanne dici debet, quod non poterat Christus eum altius evehere, nec erga illum se liberatiorem exhibere, quam cum Mariam ei in matrem dedit: *huic gratiæ quid amplius addi potest?* Maria, ut ait Doctor Angelicus, *ex hoc quod est Mater Dei habet quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus*: Christus ergo Joanni Mariam dans in matrem, ei donum largitur quodammodo infinitum. Quid ergo majus ei conferre potest: *huic gratiæ quid amplius addi potest?* Merito dicitur, bonum esse ad stare servum juxta domini morientis lectulum, cum testamento de rebus suis disponit: quia si eum amat, illi aliquid legare solet. In duro crucis lecto jacebat Christus; dumque illi testamentum suum conderet, juxta crucem stabat dilectissimus discipulus Joannes: Christus ejus immemor non fuit; quinimo amore ita liberali eum dilexit, ut ei propriam Matrem reliquerit: *filii, ecce mater tua*; dedit ei matrem, quam post animam suam plus ceteris omnibus amabat; dedit ei Matrem suam, quæ omnibus puris creaturis sanctior, perfectior et excelior erat; dedit ei matrem, quæ Patris æterni filia, et Spiritus Sancti erat sponsa. Quid amplius dare poterat Joanni: *huic gratiæ quid amplius addi potest?* Ecco quomodo Joannem Christus amaverit amore liberali; videamus nunc quomodo illum amore sincero dilexit.

II PARS.

Christus Joannem dilexit amore sincero.

Qui aliquem non fecte, sed sincere diligit, sua ei secreta libenter aperit, quia cum amantis et amati debeat esse cor unum, secreta etiam inter eos debent esse communia; nec quis alium sincere et perfecte amare constetur, si sua ingenue ei non aperiat secreta: *nihil occultat amicus, si verus est, et effundit animum in amicum suum* (S. Ambr., de Off. 3, 19). In hoc autem maxime evitet sinceritatis amoris, quo Christus Joannem prosequens est; eum dilexit amore sincero, quia ei manifestavit: 1. secreta sue divinitatis; 2. secreta sue humanitatis; 3. secreta sue Ecclesiæ.

1. Non humane solum, verum etiam angelice menti incomprehensibilia sunt divinitatis mysteria: *quam incomprehensibilia sunt judicia ejus et investigabiles viæ ejus* (Rom. 11) nihilominus amore ita sincero Joannem dilexit Christus, ut multa de divinitate aliis incomprehensibilia ei manifestaverit, eique de divinitate longe majorem, quam aliis prophetis, apostolis et evangelistis notitiam dederit: *in speculanda summe divinitatis essentia præcedit prophetas, supergreditur patriarchas, apostolos superat* (S. Jo. Dam. or. 62). In corde Christi erant delineata altissima sanctissimæ Trinitatis mysteria; Joannes autem, ut ait S. Gregorius Nyssenus, os suum cordi Christi tamquam spongiam apposuit, ut divinitatem epotaret. Sanctus vero Augustinus dicit, quod Joannes fuerit *avidissimus epulator, qui de arcanis pectoris fluentia bibit sapientiæ* (in ep. 1 Jo.). Et venerabilis Beda asserit, Joannem non semel dumtaxat, pluries supra Christi pectus recubuisse ad hoc ut avidus ille epulator altius et perfectius divinitatis mysteria penetraret: *supra pectus Domini recumbere solitus erat, ut secretum divinitatis uberius biberet* (in c. 1 Joan.). Ipse tandem supra Christi pectus

recumbens, factus est quasi thesaurarius arcanorum, quæ in sacro illo pectore, veluti in locupletissimo arario delitescant: ideoque in notitiâ mysteriorum divinitatis aliis multis antecellit: *in speculanda summe divinitatis essentia procedit propheta, supergredditur patriarchas, apostolos superat*, Aquila, ut ait sanctus Isidorus, dicitur *ab acumine oculorum*, quia tanto oculorum viget acumine, ut fixis palpebris solem intueatur. Adhæret autem Plinius, quod ex pullis aquilæ ille vegetiori et perspicaciori oculorum acumine polleat, *qui ad latius cordis, cum Mater nec fovet, adhæret*. Joannes autem fuit filius cordis Christi; ibi requievit, ibi adhæsit: ideo ad contemplandum essentia divini et sanctissimæ Trinitatis solem extitit aliis perspicacior. Sanctissimam generationis æternæ mysterium ineffabile esse fatetur Isaias: *generationem ejus quis enarrabit?* (Is. 53). Sanctus Paulus, qui ad tertium cœlum raptus fuerat, quasi mutus hærebat, cum altissimæ Trinitatis mysterii explicandi locus erat. Alii prophete multa quidem futura prædicant; alii quoque Evangelistæ quæ Christus in terris est operatus enarrant; solus sanctus Joannes Evangelista, ut aliis perspicacior, æternam Verbi generationem, personarum sanctissimæ Trinitatis distinctionem et alia reconditissima divinitatis mysteria explicat; hic est filius cordis Christi, quem Christus corde ita sincero dilexit, ut ei secreta sue divinitatis manifestaverit; *ac etiam secreta sue humanitatis*.

2. Per quatuor facies animalium, hominis scilicet, leonis, bovis et aquilæ, de quibus loquitur Ezechiel, quatuor Evangelistæ significari docet S. Augustinus, faciemque aquilæ Joanni convenire censet, quia velut aquila, ipse aliis altius volavit: alii enim quasi animalia terrena et alas non habentia, sursum non tentaverunt; Joannes vero usque ad Patris æterni sinum volavit, ibique Verbum æternum, justitiæ solem, fixis palpebris intuitus est: *in principio*, inquit, *erat Verbum et Verbum erat apud Deum*; ecce quousque volavit hæc aquila, ecce aquilam altissime sublimatum: *in principio erat Verbum: ecce aquila Dei ad cœli verticem sublimiter evolans*; ut ait Petrus Damiani. Sicut aquila nunc sursum volat et nunc ad

ima descendit, ita et Joannes, contemplatis altioribus divinitatis Christi mysteriis, ad ea quæ humanitatem ejus spectant consideranda et explicanda descendit: *aliquando divinitatis alta, aliquando humanitatis infirma describit*. Evangelium suum ab his verbis incipit Joannes: *in principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum*; ecce aquilam ad sublimia evolantem, ecce Joannem de æterna Verbi generatione disserentem; deinde ad ea quæ humanitatis Christi sunt explicanda descendens, ait: *et Verbum caro factum est et habitavit in nobis*; sicut diceret: Illud Verbum, seu Christus, ut Verbum, a Patre æterno in principio, seu ab æterno fuit genitus, et ut homo, in tempore a Maria Matre ejus fuit productus. Æterna Christi generatio tota spiritualis est, quia in ea ex mente Patris procedit; generatio vero ejus temporalis carnalis est, seu secundum carnem, quia in ista generatione Verbum, quod ab æterno erat genitum, unitum est hypostaticæ nature humane Christi, quæ per Mariam fuit genita: *Verbum caro factum est*. In perscrutandis deitatis mysteriis alios Evangelistas longe antecessit Joannes: *facies aquilæ desuper ipsorum quatuor*, inquit Ezechiel. Quæ verba sic explicat sanctus Gregorius: *locus aquilæ non juxta, sed desuper esse describitur; quia Joannes Verbum Patris, dum apud Patrem esse denunciat, super ceteros Ecangelistas virtute contemplationis excellit*. Eorum dixit Ezechiel: *facies aquilæ desuper ipsorum quatuor?* Cum enim tres solummodo sint alii Evangelistæ, videbatur dicendum: *facies aquilæ desuper ipsorum trium, et non desuper ipsorum quatuor*. Respondet subtilissime sanctus Augustinus, quod facies aquilæ fuerit desuper quatuor Evangelistas: quia sanctus Joannes non solum alios, sed etiam seipsum transcendit, cum de æterna Christi generatione et de ejus divinitate disseruit: tunc Joannes fuit *aquila grandis magnarum alarum, quæ in Libanum ascendit, atque inde medullam cedri tulit* (Ezech. 7). Hæc aquila ab æterna Christi generatione ad temporale explicandam descendit; non divinitatis tantum, etiam humanitatis Christi mysteria in suo Evangelio, in Epistolis et in Apoca-

lypsi explicavit, multaque de Christi humanitate dixit quae alii tacuerunt: necnon ea perfectius et clarius explanare videtur, quam alii: unde D. Hieronymus dicit, Joannem aliorum extricasse retia: *composuit retia aliorum*; seu clare multa exposuisse humanitatis Christi mysteria, quae alii Evangelistae vel tacent, vel non ita clare explicant. Christus igitur sincere Joannem dilexit, dum ei secreta suae humanitatis manifestavit, eum etiam sincere dilexit, *eidem Ecclesiae suae secreta aperiens*.

3. Alii prophetae aliqua de Ecclesia praedixerunt *in speculo et aenigmate, in visione et somnio*, ut loquitur Tertullianus; S. Joanni multa Ecclesiae suae mysteria clare manifestavit Christus; dilecto huic discipulo dedit nosse mysteria regni sui, quod est Ecclesia; ei notabiliores ejus eventus notificavit; ei patefecit futuras Caesarum persecutiones, Arianorum implacabiles tumultus, astatius Nestorianorum, Pelagianorum dolos, furias Iconoclastarum, Lutherianorum impudentiam, et Calvinistarum pertinaciam simul cum effrenata rabie conjunctam; ei aperuit Christus varia certamina quae subit, et innumeras tempestates, quibus usque ad mundi finem exposita erit Ecclesia. Joannes tandem, ut ait Petrus Damiani, fuit *argus universalis Ecclesiae* (Serm. 64), quia maxima totius Ecclesiae secreta novit, et alios docuit. Sanctus Petrus, qui ad universae Ecclesiae regimen destinabatur, scire voluit, quis Christum traditurus esset: ecce Ecclesiae secretum, quod a Joanne didicit. Heterosiarcha Cerinthus nosse optabat, an Christus esset ab aeterno; hoc idem ei Joannes aperuit secretum, dicens Christum, ut hominem, factum esse in tempore; ut Deum, esse ab aeterno: *in principio erat Verbum* (Joan 1). Manichaei, concipere nequibant, unicum esse Deum, a quo bona et mala procedunt: hoc secretum iis explicaverat Joannes dicens, malum quidem culpae a Deo non fieri: *sine ipso factum est nihil*; unicum tamen esse Deum, a quo omnia alia, sive bona, sive mala fiunt: *omnia per ipsum facta sunt*. Berengarius, Calvinus, et eorum sectatores negant, Christum esse realiter sub speciebus eucharisticis; quod mysterium Joanni revelatum

fuisse videant in ejus Evangelio, ubi ait, quod Christus propriam carnem ad manducandum dare promiserit, ac mortem eternam minatus sit iis qui carnem suam non manducaverint. Alia Ecclesiae specialia secreta Joanne patefacta non referam: dicere enim sufficit, quod Joannes fuerit *argus universalis Ecclesiae*, qui altissima Ecclesiae mysteria novit; nec unquam Beseleel (1) ita perfecte tabernaculi mobilis structuram, et varias partes concepit, uti S. Joannes initia, incrementa, et exitus omnium haeresum, nec non alia Ecclesiae totius mysteria penetravit: ideo fatendum, Christum amore sincero Joannem dilexisse, cum ei tot secreta revelaverit; *itemque amavit eum amore constanti*.

III PARS.

Christus Joannem dilexit amore constanti.

Constantia est veri amoris certissima nota; non enim bene amat, qui inconstanter amat; et amare ad tempus perinde habetur ac nunquam amare. Unde optime dixit Doctor Angelicus, eum qui vere amat, non solum pro re amata multa et magna, verum etiam constantiter operari: *amor operatur diu* (op. 51); et eodem sensu asserit S. Bernardus, quod *amor facit operare indesinenter*, seu constantem: quia qui bene amat, semper amat. Et hic est etiam character amoris Christi erga discipulum suum Joannem, quem dilexit amore constantissimocum eum namque dilexit in vita, in morte et post mortem. Eum dilexit *1. in vita*,

(1) Insignis artifex, cui una cum solo Ooliab ab ipso Domino demandatum fuit opus tabernaculi extruendi juxta exemplar quod Moysi extensum fuerat in monte. De hoc artifice dicitur (Exod. 31) quod Dominus implevit eum spiritu Dei, sapientia et intelligentia et scientia in omni opere ad excogitandum quicquid fabricari potest ex auro, et argento, et aere, marmoribus et gemmis et diversis lignorum. Ex quo constat ipsum in arte sua celebratissimos quoque totius orbis artifices processisse. N. E.

dum ei familiarissimus fuit; 2. *in morte*, dum et præsens adstitit; *post mortem*, dum eum ad cœlos sublimavit.

1. Pereximii amoris, quo Joannem, quamdiu in hoc mundo vixit, Christus prosecutus est, varia, eaque mirabilia vidimus indicia: novum tamen addam divini hujus amoris testimonium erga dilectum discipulum, familiaritatem scilicet qua erga illum usus est Christus: si enim, ut ait Aristoteles, qui bene amat, *convicit delectabiliter*; Joannem haud dubie præ ceteris dilexit Christus, quia ei ita delectabiliter et familiariter convixit, ut eum præcipuarum actionum suarum quasi socium inseparabilem, et testem esse voluerit; cum enim sanavit Christus principis Syriagoga filium, huic miraculo præsens adfuit Joannes; cum ascendit Christus in montem Thabor, ubi gloriam suam manifestavit, eum secutus est Joannes; in die cenæ cum sacrosanctum Eucharistia Sacramentum Christus instituit, tanti mysterii spectator interfuit Joannes; cum in orto olivarum usque ad mortem tristatus est Christus, doloris ejus Joannes participis fuit; cum in cruce pro totius humani generis salute dira passus est Christus, simul cum Maria huic spectaculo Joannes adstitit; uno verbo semper et ubique Joannem, ut individuum comitem vult habere Christus. Unde si de Christo dixerit Tertullianus, quod *nusquam sine angelis erat*; dicendum pariter, quod *nusquam sine Joanne erat*. O magnam familiaritatem, et o constantem Christi amorem erga Joannem! Adverterat S. Hieronymus, quod *præ ceteris discipulis diligebat Jesus familiaris suum, nempe Joannem*; que familiaritas scilicet superque nota videtur ex jam dictis: addam tamen Christi erga Joannem tantam fuisse liberalitatem, ut sicut Joannes in sinu ejus requievit, ita et vicissim, ipse super Joannis pectus requieverit: *in triplici sinu Christus requievit*, inquit S. Ambrosius: *in sinu Patris in celo, in sinu Matris et Joannis in terra*. Omni admiratione dignum est, tantam Joannis cum Christo fuisse familiaritatem, ut supra pectus ejus requieverit et incubuerit: *Joannem pectori Domini incubantem*; longe mirabilis est, Christum ex familiaritate voluisse supra dilecti Joannis pectus recumbere. Sacrum Domini verticem

contingere non audebat Baptista, Magdalena cum timore et tremore pedes tetigit, Thomas nisi jussus manum misit in latus; tanta autem Christum inter et Joannem habetur familiaritas, ut Joannes confidenter, nulla petita venia, supra pectus Dominicum recumberet, et vicissim Christus supra pectus discipuli caput suum reclinare non dedigneret: *requievit in sinu Matris et Joannis in terra*. O mirandam Christi erga Joannem familiaritatem! o stupendum ejus erga dilectum hunc discipulum suum amorem! quem etiam *in morte dilexit, dum et præsens adstitit*.

2. S. Petrus de Joanne sollicitus, a Christo petiit, quæ ejus futura esset sors. *Domine, hic autem quid?* Cui respondit Christus: *sic eum volo manere donec veniam*: quæ responsio haud facilis intelligentiæ in causa fuit, varios varie de Joannis morte sensisse: aliqui enim eum non mortiturum crediderunt, sed venturam eum Elia et Enoch, ut certet contra Antichristum: alii autem, quos refert et refellit S. Augustinus, eum adhuc intra sepulchrum vivere opinati sunt. Dum vero S. Ecclesia S. Joannis festum celebrat, eum vita functum et beatum esse, nec non cum Christo in celo regnantem credit; et plerique ex Ss. Patribus eum naturali et non violenta morte Ephesi mortuum asserant, quocirca nullum videtur esse dubium. Cum igitur fateamur quod sit mortuus, quomodo intelligenda sunt hæc verba: *sic eum volo manere, donec veniam?* Pereximie ea explicat Petrus Damianus dicens: *sic eum volo manere, donec veniam*, id est, *donec in morte ejus veniam*: quia Christus, inquit, Joanni morienti visibiliter præsens adfuit; unde Christum sic loquentem inducit præfatus author: *veniam, non mittam videlicet supernam aliquam virtutem, non angelicam potestatem, ipse per memetipsum veniam: veniam, et ipse egressurum ejus animam in glorie meæ claritate suscipiam* (sermo de S. Jo.). O insignem Christi amorem erga Joannem! Oh ejus adhuc erga dilectum hunc discipulum constantissimum amorem, quem etiam *post mortem dilexit!*

3. Mors omnium amicitiarum meta et terminus esse solet:

paucissimi enim mortuos amant et plerique eorum obliviscuntur; Christus vero Joannem amore ita speciali post ejus mortem dilexit, ut noluerit ejus corpus usque ad iudicium extremum sub terra remanere, at illud simul cum anima ad cœlum transtulerit, ut ibi beatitudine æterna frucretur. *Pium est arbitrari, inquit Petrus Damiani, ut sicut de B. Genitrice, ita etiam B. Joannes jam resurrexisse probabiliter asseratur; quatenus sicut in virginea fuerunt integritate participes, ita in anticipata resurrectione merito videantur æquales.* O constantem Christi amorem erga Joannem, quem ita amavit, ut ejus corpus incorruptum ad cœlum transferri voluerit! Majori adhuc amore eum post mortem dilexit, dum illum ad altiores cœli dignitates sublimavit. Tanta insignis poetæ Homeri in universo orbe extitit fama, ut de eo contenderint septem magnæ urbes, quarum quælibet in civem eum sibi arrogare volebat; *Septem urbes erant de stirpe insignis Homeri; Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamis, Chios, Argos, Athenæ.* Similem quandam, amicabilem tamen inter septem sanctorum choros de Joanne contentionem fuisse sensit, et tyjis mandavit novus et satis novus concionator: Anochorite, inquit, eum solitarium fuisse dicebant, ac proinde cum ipsis in cœlo collocandum; virgines virginem, doctores doctorem, concionatores concionatorem, evangelistam evangeliste, martyres martyrem et apostolum apostoli eum fuisse contendebant; ac proinde expectabant virgines, quod in cœlo locaretur cum virginibus, apostoli inter apostolos, evangelistæ inter evangelistas et doctores inter doctores ejus sedem constitui postulabant; Christus totam litem composuit et controversiam diremit, dicens se velle Joannem ad altiores sedes sublimari et simul cum Maria Dei Genitrice non longe ab ipso sedere. O magnum Christi erga Joannem amoris testimonium! hic vere fuit discipulus, quem diligebat Jesus; illum quippe dilexit amore liberali, cum ei dignitates suas, cor suum et Matrem suam dederit; illum dilexit amore sincero, cum ei divinitatis suæ, humanitatis suæ et Ecclesie suæ secreta aperuerit; eum tandem amavit amore constanti, cum eum in vita, in morte et post mortem dilexerit.

Ecce quomodo diligebat eum. O utinam divini hujus amoris participes esse possemus! utinam Christum Dominum ad nos amore speciali diligendos movere et adducere possemus! hoc fieret utique, si illum ardentem amaremus. Pereximie dixit S. Augustinus, se Dei amicum fieri, quoties volebat: *amicus Dei, si voluero, ecce nunc fio*; nos similiter quoties voluerimus, Dei amicitiam nobis conciliare valeamus; amemus eum et ipse nos redamabit; amemus eum et amor noster quasi magnes erit, quo ad nos amandos allicietur. Asseruit ipse, quod diligentes diligeret: *ego diligentes me diligo*; itaque diligamus eum et ille nos diliget. Diligamus autem eum, non verbis solum, sed factis; non sermone, sed opere. Non illos imitemur, qui dicunt se amare Deum, et factis illum oderunt; illum toto corde, verbo et opere diligamus. Non dicamus solum verbo: ergo diligo Deum, verum quod ore dicimus, opere compleamus: diligamus eum operibus, et præcipue perfecta et integra mandatorum ejus observatione; ut enim ait S. Augustinus, *dilectionis Dei probatio, mandatorum ejus est completio.* Si erga Deum blasphemus es, eum non diligis; si parentes non honoras, Deum non diligis; si mœcharis, furaris vel aliam aliquam ex Dei legibus violas, Deum non diligis, quia tunc Deum amamus, cum ejus omnibus mandatis perfecte obtemperamus: *dilectionis Dei probatio, mandatorum ipsius est completio.* Deum ergo sic dilige, ut omnia ejus servetis mandata, et postquam eum in hoc mundo dilexeritis, diliget vos æternaliter in gloria. Amen.

CONCIO SECUNDA.

Domine, hic autem quid? (Joannis 21).

Non mee mentis est nunc cum divo Petro, quid de S. Joanne futurum sit a Christo percontari; tamen ut in aliquam virtutum,

perfectionum et privilegiorum, quibus dilectus ille discipulus floruit, agnitionem venire valeam, principis apostolorum verbis utar, et quis, qualisve Joannes exiterit, sollicite inquiram: *hic autem quid?* Altissime huic questioni protinus respondet Petrus Damiani, quod Joannes fuerit *lingua Spiritus Sancti, cedrus Paradisi, lux Ecclesiae, decus orbis, praecon cæli, lumen mundi, sidus hominum et specimen angelorum* (ser. 1 de ept.); a S. Bernardo (ser. 3 de Coen. Domini). Joannes *discipulus felix et honoratus* vocatur: a Dionysio Carthusiano *Theologorum altissimus*; a sancto Chrysostomo *sublimium predicator*; et a D. Augustino *aquila, seu lucis æternæ et internæ facis oculis contemplator* appellatur. Alii multi authores, ut quis fuerit S. Joannes exprimere valeant, variis honoris et gloriæ titulis eum insignire conantur; paucis multa dixisse videtur Doctor Seraphicus, cum eum *microcosmum sanctitatis* nominat: in Joanne etenim non unica clucet virtus, non unica perfectio emicat; ipse omnium virtutum, omnium perfectionum, omniumque prærogatarum centrum, speculum et quasi parvus mundus extitit. Unde sicut quidquid malitiæ in ceteris hominibus erat dispersum, in uno Nerone natura collegerat, ita et quidquid in aliis hominibus est virtutis et perfectionis, in uno Joanne Deus coacervasse videtur. Ex innumeris his perfectionibus, quæ in sanctissimo hoc Christi discipulo rutilant, aliquas colligam, ut quis ille fuerit aliquatenus patefaciam: *hic autem quid? Ave.*

Joannem discipulum, apostolum et animarum pastorem extitisse neminem latet. Fuit quidem Christi discipulus, cum inter omnes discipulos hic ei clarior extiterit: *discipulum quem diligebat Jesus*. Fuit etiam apostolus, cum inter apostolos fuerit honoratus: *ceteris altius meruit honorari*. Fuit tandem animarum pastor, cum in tota Asia pastoris universalis munere diu functus sit: *Joannes septem Ecclesiis quæ sunt in Asia* (Apoc. 1). Verus Christi discipulus magistri sui scientiam participare debet, quia *per discipulos magister innovescit*. Verus apostolus Christum ardentem amare debet et cum D. Paulo dicere: *charitas Christi urget nos*. Verus tandem

fidelium pastor gregi invigilare, et pro eo animam ponere tenetur: *bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis* (Gregor. Nazianz.). Has veri discipuli, veri apostoli et veri pastores qualitates perfectissime possedit S. Joannes Evangelista, qui inter Christi discipulos doctissimus, inter apostolos amantissimus et inter pastores vigilantissimus extitit. Unde si jam a me quaeratur, quis et qualis fuerit S. Joannes: *hic autem quid?* discipulum, apostolum et pastorem eum fuisse dicam. Fuit 1. *discipulum*, qui mysteria altissima penetravit; 2. *apostolus*, qui ardentissime Christum amavit; 3. *pastor vigilantissimus*, qui sollicite gregem curavit. Scientia illius discipuli, amor illius apostoli et vigilantia illius pastoris tres orationis hujus partes constituent, quibus quis fuerit S. Joannes Evangelista facile innotescet: *hic autem quid?*

I PARS.

S. Joannes fuit discipulus, qui mysteria altissima penetravit.

Multos licet Christus habuerit discipulos Joannes tamen discipuli nomine specialiter insignitur, atque Christi discipulus per antonomasiam dicitur: *hic est discipulus ille*. Et revera S. Joannes fuit discipulus, in schola Christi doctissimus; sub divino hoc magistro altissima mysteria et secreta abditissima penetrare valuit; Christus enim ei revelavit secreta 1. regni sui; 2. domus suæ; 3. cordis sui.

1. Regnum Christi est paradisus; hoc est regnum æternum quod Christus animabus justis dabit possidendum: *venite benedicti patris mei, percipite regnum* (Matt. 25, 34); hoc est regnum, in quo gaudent angeli, letantur archangeli et triumphant omnes sancti; hoc est regnum, cuius incolæ gaudio perpetuo et sempiterna lætitiâ perfruuntur; hoc tandem est regnum, in quo sunt mysteria inexplicabilia et arcana quæ non licet homini loqui, ut ait D. Paulus. Quis ergo hujus regni valebit

penetrare mysteria? Joannes quidem, cui Christus ea revelavit: *beatus apostolus, cui revelata sunt secreta coelestia*. Jamvero si mysteria coelestia homini explicare non liceat, quomodo sancto Joanni ea explicare licebit? Respondet D. Augustinus: *quod homini non licet, Joanni aquilæ licet*. Respondet etiam Origenes, Joannem non hominem, sed plusquam hominem fuisse, ac proinde illi secreta coelestia penetrare et enarrare licuisse: *Joannes non erat homo, sed plusquam homo, quando et seipsum et omnia coelestia superavit* (ho. 22 de divers.). Raptus fuerat usque ad tertium cœlum D. Paulus; Joannes vero super omnes cœlos et in paradisum paradisorum D. Paulus in cœlum raptus, arcana viderat, quæ non licet homini loqui; et S. Joannes super omnes cœlos raptus, secreta etiam viderat, quæ non licet homini loqui; ea tamen penetravit et explicuit S. Joannes, quia non homo, sed aquila, et plus quam homo fuit: *Joannes non erat homo, sed plus quam homo, quando et seipsum et omnia coelestia superavit*. Altissima regni coelestis mysteria ita penetravit et tam perfecte enarravit S. Joannes, ut dicere non vereatur S. Chrysostomus, angelos fuisse quasi Joannis discipulos et coelestes illos Spiritus ab eo multa secreta coelestia didicisse: *nihil nobis humanum, sed a Spiritu Sancti profundis et abditis thesauris omnia proloquitur Joannes, quæ neque angeli prius quam diceret, noverunt; namque et ipsi nobiscum per Joannis vocem didicerunt*. Sic loquitur Chrysostomus prologo in Joannem, quod alibi confirmat, dicens: *angeli plura mysteria didicerunt a Joanne*. Nec solius Chrysostomi hæc fuit sententia, verum et D. Hieronymi, dicentis: *Joannes ea ausus est propalare mysteria, quæ forte mens nesciit angelica* (in Zachar.); angeli in cœlo habitant, ibi semper vident faciem Patris; ibi Deus lis, velut amicis, regni sui secreta manifestat; nihilominus illis profundius Joannes in abyssum mysteriorum Dei intraverat; divinam essentiam, emanationes personarum, decretorum divinarum mysteria et altiora Dei et regni coelestis secreta ita penetraverat, ut per eum ipsi angeli multa didicerint: *plura mysteria didicerunt a Joanne*. Quis non miretur hunc di-

scipulum, cui Christus tam perfecte revelavit secreta regni sui; ac etiam secreta domus suæ.

2. Ecclesia est mystica Christi domus: *quæ domus sumus nos* (ad Hebr. 3); in hac autem domo multa habentur secreta, quæ discipulo suo Joanni Christus revelare voluit, non solum in cenaculo, ubi supra pectus Domini recubuit, etiam in insula Pathmos, ubi pluries in extasim raptus, non triumphantis tantum, verum et militantis Ecclesie mysteria abditissima didicit. Joannes erat fidelissimus Christi secretarius, cui confidenter domus suæ secreta committebat, ut videre est in Apocalypsi, quam doctissimus hic discipulus conscripsit et quæ Ecclesie secretis a Christo ipsi revelatis est referta; ibi Joannes prophético spiritu Agni victorias, tyrannorum malitiam, imperatorum persecutiones, hæreticorum futuram rabiem, aliaque multa Ecclesie secreta, quæ a magistro suo Christo didicerat, prædicit et enarrat; nec illa mysteria uni duntaxat, aut alteri Ecclesie particulari, omnibus totius mundi Ecclesis, vel potius universæ Ecclesie per totum orbem diffuse aperit: *Joannem omnes Ecclesie per totum orbem diffusæ, non dubitent communem se habere Doctorem* (Petr. Dam. ser. 2, de S. Joan.). Ecce discipulum, quem totius Ecclesie Christus magistrum et doctorem constituit, quia totius Ecclesie ei secreta revelavit. Ecclesie Christi secreta multa noverant propheta, quorum prædicatione sub umbris et figuris latentes habemus; aliquid etiam de Ecclesie regimine a Christo didicerant ceteri Evangelistæ et omnes apostoli, qui per orbem terrarum diffusæ, mysteria domus Dei, seu Ecclesie prædicarunt; jamvero ceteris omnibus altius Joannes et profundius Ecclesie secreta penetravit: hic enim solus de Antichristo Ecclesie persecutore clare loquitur; hic solus futuras Ecclesie persecutiones enarrat; ipse solus ejus certamina et triumphos perfecte describit; de ea namque non solum loquitur ut Evangelista, qui tantum præterita referat; verum etiam ut propheta, qui futura plurima quantumvis abdita prævidet et elucida. Apocalypsis, quam scripsit S. Joannes, nil aliud est, quam *revelatio, qua status Ecclesie presentis et future designatur*, inquit S. Bernardinus (in c. 1

Apoc.) et ut ait Gilbertus Pictavensis, *Apocalypsis græce, revelatio latine dicitur; quia in ea continentur quæ Deus revelavit Joanni et Joannes Ecclesiae; quonia scilicet Ecclesia passa sit tempore primitivo et nunc patiatur, atque in novissimis temporibus ab Antichristo passura sit* (præfat. in Apoc.). O felicem apostolum, o discipulum eruditissimum, cui Christus revelavit secreta domus sue necnon *secreta cordis sui*.

3. In corde Christi prædestinationis æternæ, divinarum processionum et aliorum plurimorum mysteriorum plurima latebant secreta: *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi* (Coloss. 2, 3). Sicut Alexander Magnus amico suo Hephestioni secreta cordis sui detegebat, ita et Christus dilectio discipulo Joanni intima divini sui cordis secreta aperire voluit. *Joannes*, ait sanctus Ambrosius, *cum caput suum supra pectus Domini Jesu reclinaret, hauriebat profunda secreta sapientiæ* (in Ps. 111). Unde divus Augustinus cor Christi uberrimo secretorum fonti comparat, de quo ubertim bibit Joannes, cum supra pectus ejus recubuit: *de alto illo fonte sapientiæ secreta bibebat* (hom. 19). Nec communia solum, altiora quoque et profundiora et divino illo corde manantia ebibat secreta: *secreta altiora de intimo ejus corde potabat* (ad tract. 18 in Joan.). In Lybia ultra Cyrenaicam regionem, juxta Iovis Ammonis oraculum scaturit fons, cui soli speciali quodam modo dominatur; unde, teste Herodoto, vocatur *fons solis*. Talis utique fons fuisse videtur cor Christi respectu Joannis: sacrum enim illud cor fuit fons solis et lucis, quo illustratus fuit sanctus hic Evangelista, et ejus altiora secreta ebibat: *de alto illo fonte sapientiæ secreta bibebat*. Joannem sanctus Augustinus avidissimum vocat epulatorem, qui de secretis et Christi corde manantibus avidissime potabat: *avidissimus epulator, qui de arcanis pectoris fluentia bibebat sapientiæ* (in 1 Ep. Joan.). Tanta autem extiteret secreta, quæ et Christi corde hausit sanctus Joannes, ut si credamus divo Bernardo, eadem e corde Christi secreta hausit Joannes, quæ Christus e Patris æterni sinu auferat: *haurit*

Joannes de sinu Unigeniti, quod de paterno hauserat ille. Christus a Zenone Veronensi vocatur paterni cordis inhabitator: *cordis paterni nobilis inquilinus*. Sicut autem Christus paternum cor inhabitavit, ita et Joannes supra Christi cor requievit; ideo, ut addit sanctus Bernardus, sicut Christus cor paternum inhabitans, multa ex eo hausit secreta, ita et Joannes de sinu Christi hausit quod de paterno hauserat ille. O doctissimum discipulum, qui altissima regni, domus et cordis Christi rimatus est secreta! Mirabatur Philo, quod aliqua Abrahamo secreta Deus revelare voluerit; quam vero mirabilis est, Christum discipulo suo Joanni tot et tanta revelasse secreta! Mirentur cuncti, Christum altissimorum mysteriorum notitiam Joanni dedisse, atque itidem advertant, Deum ea manifestasse Joanni humillimo et mansuetissimo; quia non revelat ea superbis, sed humilibus: *abscondisti hæc a sapientibus, et revelasti ea parvulis* (Matt. 11, 25). Quapropter si quis Dei, sacræ Scripturæ, fidei, ac etiam propriæ salutis secreta penetrare velit, Joannem imitetur; non tumescat superbia, non infletur arrogantia; sancta simplicitate et humilitate Deo placere studeat: *si vis*, inquit Theophylactus, *ipse prope Christum recumbere, et in pectus ejus cadere, et mystica ab eo discere, da operam, ut propter simplicem, bonamque mentem ab eo diligaris; talis esto, qualis Joannes et dignabitur te pectoris sui recubitu* (in c. 13 Joan.). Et ut ad talium agnitionem facilius perveniamus, invocemus sanctum Joannem, qui altissima mysteria penetravit, et qui etiam Christum ardentissime amavit.

II-PARS.

S. Joannes fuit Apostolus, qui ardentissime Christum amavit.

Joannes præ aliis apostolis a Christo fuit dilectus: *Joannem Dominus præ ceteris diligebat* (S. Aug. tr. 36 in Io.); hic

autem discipulus pro viribus Christo rependit vicem, amore amore compensavit, diligentem se dilexit et ubique ardentissimi hujus amoris flammam emisit; ubique *charitatis vapores effundere et charitatis ardoribus videtur vestiare* (Petr. Dam. sermo 64). Ardentissimus hic Joannis erga Christum amor eluxit potissimum in cœnaculo, in horto et in monte Calvarie: 1. *in cœnaculo*, ubi supra Christi pectus recubuit; 2. *in horto*, ubi Christum non dereliquit; 3. *in monte Calvarie*, ubi Christum cruci affixum contemplatus est.

1. Dubitant expositores, an Christum Joannes plus quam Petrus dilexerit. Hoc dubium perfectissime solvit Doctor Angelicus, dicens, quod *Petrus plus dilexit Christum in membris, Joannes vero plus dilexit Christum in semetipso*. Sicut enim de duobus Alexandri Magni amicis, Cratæ scilicet et Hephestione, olim dicebatur, quod primus amaret regem, secundus vero Alexandrum, ita et Petrus plus Christum amabat in membris ejus, seu in fidelibus, quorum pastor universalis futurus erat; Joannes vero plus Christum diligebat in semetipso, quia ardentissimo ejus personam amore prosequabatur. Magnus autem hic Joannis erga Christum amor in cœnaculo perfectissime sluxit, ubi non ex præsumptione, nec ex nimia libertate supra pectus ejus recubuit, verum maximo quo erga Christum ardebat amore, in exstasim raptus et quasi inebriatus, supra dilecti sui pectus caput reclinavit: *qui supra pectus Domini in cœna recubuit*. Pereximie dixit sanctus Bernardus, quod *amat ardentè, qui ita proprio inebriatur amore, ut majestatem non cogitet* (ser. 17 in Cant.); sic sanctus Joannes in cœnaculo ita Christi inebriatus erat amore, ut majestatis ejus oblitus; supra illius pectus recumbere ausit: *Joannes non jussus, non petita venia, confidenter recumbit supra Dominicum pectus* (S. Thom. a Vill., ser. 2 de S. Jo.). Nec Petrus, nec Andreas, nec alius quisquam ausus est aliquando formidabile illud incarnati Verbi pectus attingere; neque illud attigisset Joannes, nisi plus ceteris Christum dilexisset; magno autem quo erga Christum inflammabatur amore, in exstasim raptus et quasi ebrius, majestatis

oblitus supra dilecti sui pectus recubuit: *amat ardentè, qui ita proprio inebriatur amore, ut majestatem non cogitet*. Præsumptuosa prima fronte et temeraria videtur sponsa sacra, dum a sponso osculum petit; *osculetur me osculo oris sui* (Cant. I). Si enim sponsi sacri, seu Christi caput in Jordano attingere timuerit S. Joannes Baptista; si pedes illius cum tremore tetigerit Magdalenæ; si mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur, vestimenti ejus fimbriam tangere vix ausa sit; si Centurio se indignum putaverit, ut in ejus intraret domum; nonne frontosa et superba nimis consuevit sponsa, quæ non pedes vel caput tangere, sed osculari et labia labiis apponere petit? *Osculetur me osculo oris sui*. Nequaquam, inquit S. Bernardus, quia sponsa non ex superbia, nec ex nimia libertate, ast amore sacro in exstasim rapta et quasi ebria, majestatis Christi obliviscatur, unde confidenter osculum petit: *o quanta vis amoris*, exclamat S. Bernardus, *quanta in spiritu libertatis fiducia!* Sic S. Joannes Evangelista, ob maximum quo erga Christum accendebatur amorem, non solum pedes, aut caput attingere petit, sed quasi amoris ebrius, majestatis Christi oblitus est et confidenter supra divinum ejus pectus recubuit: *amat ardentè, quia ita proprio inebriatur amore, ut majestatem non cogitet*. Dum vero S. Joannis erga Christum amor magnum se prodidit in cœnaculo, ubi supra pectus ejus recubuit: *etiam innotuit magnum in horto, ubi eum non dereliquit*.

2. Cum in horto Getsemani in Christum manus injecerunt Judæi, ejus discipuli, ipso relicto, fugerunt omnes, excepto quodam adolescente, quem Joannem Evangelistam fuisse dicit V. Beda, qui amictus sindone, Christum adhuc sequebatur, et cum Judæi illum capere vellent, *ipse relicta sindone nudus profugit ab eis*: qui tamen, subdit V. Beda, *mox sumpto vestimento rediit*, et Christi amore ardens eum deinceps non deseruit, neque ab eo amplius divulsus illum ubique est commitatus. Christum funibus ligatum ad Caiphæ domum ducent Judæi, eum sequitur Joannes; trahunt illum ad prætorium Pilati, ut presidi sistatur, ab eo non separatur Joannes; flagel-

latur, spinis coronatur, cruce affigitur et sepulchro mandatur Christus; ejus semper et ubique inseparabilis comes est Joannes; tanto amore erga Christum ardebat hic discipulus, ut eum non videre minime posset: *amor vehemens non potest non videre quem amat*. Gregorius Nazianzenus refert, Basilium Magnum aliquem ex amicis suis in carcere detentum etiam cum vitæ suæ discrimine invisisse; cumque aliquis ei dixerit, quod magno se mortis periculo exponeret, respondit: *aliter amare non dilet, nisi ut vitam meam in discrimen adducam, dum periclitantem amicum liberare opus est*. Sic sane amaro didicerat Joannes, qui Christam in horto, in judicium tribunali et ubique comitatur, non fames, non nuditas, non persecutio, non gladius, non mortis periculum, non creatura aliqua cum separato potest a Christo suo; veniat in hortum Gethsemani Judas cum innumeris satellitibus armatis, Joannem capere attentent, et multa supplicia et ipsam mortem minentur, ipse magistrum suum ita diligit, ut ab eo separari non possit: *amor vehemens non potest non videre quem amat*. Magis adhuc enitit Joannis amor erga Christum in monte Calvariae, ubi crucis afflicum contemplantur.

3. Stabat juxta crucem Jesu Joannes; stabat, et quem amabat dira pati, crucifigi et mori videbat; stabat et præ amoris magnitudine omnes cruciatus quos Christus patiebatur in corpore, ipse persentiebat in corde. Cum Abraham intuebatur dilectum filium, quem ad supplicium ducebat, tantos in corde illius patris dolores causabat amor, ut ejus viscera dire cruciverit et quasi sacrificaverit: *cognovit Abraham sacrificium ex suis visceribus fieri*, inquit Chrysostomus. De matre Machabeorum ait idem Chrysostomus, quod illa magis torqueretur, quam proprii filii (quia supplicia filiorum ad eam ejus pertransibant, et dum illi cruciabantur in corpore, illa affligebatur in corde: *gravius in suppliciis filiorum puniebatur, quam si ipsa pateretur, et major erat passio in visceribus matris, quam in corporibus filiorum*). Similiter Joannes Christum videns cruce affixum, gravissimos in corde patiebatur dolores, et dum Christi corpus crudeliter sauciabant carnifices, amor

erat carnifex internus, qui Joannis cor supra modum torquebat; offerebat Christus in cruce sacrificium doloris et in Joannis corde fovebat sacrificium amoris: *cognovit ex suis visceribus sacrificium fieri*. Unde sanctus Ildophonus Joannem juxta Christi crucem stantem plus quam martyrem vocat, quia amor, quo Christum prosequabatur, vario cor ejus torsit, ibique plura passus est ab amore, quam a carnificibus alii pati soleant martyres: *plus quam martyr fuit, quia in ejus anima non minus amoris, quam meroris fuit*. Sicut Judæi torquebant Christum, ita et amor Joannem; cruciabant Judæi corpus Christi et amor cor Joannis affligebat; Judæi Christi caput spinis coronabant, clavis manus perforabant et lancea cor transverberabant; amor vero cordis Joannis spinas, clavos et lanceam infigebat: unde per amorem plus quam martyr, imo et pluries martyr Joannes effectus est: *multoties mortuus est Joannes* (Chrysost. hom. 33 ad pop.). Petit Joanne Christus, an posset bibere calicem: *potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Per calicem intelliguntur tormenta et passiones; *calicem in Scripturis divinis passionem intelligimus*, inquit divus Hieronymus (in c. 2 Matth.); unde cum a Joanne petit Christus, an posset bibere calicem, idem erat ac si ab illo petisset, an gravia pro ipsius gloria pati posset supplicia? Respondit autem Joannes simul cum fratre suo Jacobo, quod calicem bibere possent: *possunus*. Et revera calicem bibit Joannes, cum paupertatis incommoda, abstinentiæ rigorem et tyrannorum persecutiones sustinuit; calicem bibit, cum Christum a Juda tradi, a militibus ligari, a populo illudi et a carnificibus flagellari vidit; calicem potissimum bibit stans juxta Christi crucem, ubi Maria et Joannes acerbum Christi calicem biberunt: *an non calicem Domini bibit, qui in hora qua Dominus ipse bibebat, juxta crucem cum Matre ejus stetit?* (Rupert). A Patre petierat Christus, ut a se transiret calix passionis: *transaeat a me calix iste*. Petebat, ut explicat sanctus Hilarius, quod a se ad alios transiret: *transaeat a me calix iste; id est quomodo a me bibitur, ita ab his bibatur* (c. 31 in Matth.). Transivit autem calix passionis Christi ad

omnes martyres, qui dira supplicia et mortem cruentam pro Christo passi sunt; transiit specialiter ad Mariam et Joannem juxta Christi crucem stantes: quia ibi amor quo erga Christum exardescabant, savissimus eis tyrannus extitit; ibique ab amore diriora perpassi sunt tormenta, quam quivis martyres a carnificibus passi sint; ibi plus quam martyr est effecta Maria et ibi plus quam martyr ab amore factus est Joannes: *plus quam martyr fuit, quia in ejus anima non minus amoris, quam mæroris fuit. O magnum S. Joannis erga Christum amorem! hic fuit discipulus, quem diligebat Jesus; fuit etiam discipulus, qui diligebat Jesum: nisi enim Jesum dilexisset, a Jesu non ita amatus fuisset. Joannem multum dilexit Christus et Christum Joannes multum dilexit. O quam felices essemus, si mutuum hunc amorem inter Christum et nos similiter instituere possemus! Dilexit quidem nos Christus et in natiuitatis et in toto vite sue decursu, nos autem amori ejus vicem non rependimus: ardentissime eum dilexit Joannes, et nos tepide, frigide et forte nullo modo eum diligimus. Heu! si tanti apostoli ad Christum amandum nos non moveant exempla, ad eum amandum ejus certe nos compellere deberent verba: audiamus charissimum hunc Christi amicum dicentem, quod qui non diligit, manet in morte (1 Joan. 2); audiamus eum et Christum diligamus, ut in morte non maneamus et morte æterna non pereamus; amemus Christum, qui totus amabilis est; amemus Christum non ex parte cordis, sed ex toto corde. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Diligamus Christum cum S. Joanne, qui eum ardentissime amavit et qui fuit pastor vigilantissimus, qui solite gregem curavit.*

DIRECCIÓN GENERAL DE ESPAÑA

III PARS.

S. Joannes fuit pastor vigilantissimus, qui solite gregem curavit.

Sicut Christus proponi solet ut bonus pastor, qui ovem perditam solite querit et inventam propriis superponit humeris,

ut eam ad ovile portet, ita et de sancto Joanne Evangelista refert Clemens Alexandrinus, quod ovem perdidit, nempe juvenem quendam, qui eorum, que a Joanne didicerat et proprie salutis oblitus, dux latronum factus erat. Hanc ovem perditam cum morore solite quesivit bonus pastor Joannes, eam feliciter invenit, eamque quasi super humeros sustulit et ad Christi ovile reduxit. Hoc exemplum, quæta fuerit Joannis cura et sollicitudo respectu illius oris, clare demonstrat; non hic tamen stetit ejus sollicitudo: hic etenim fuit pastor vigilantissimus, qui totum gregem sibi commissum pavit, prævit et defendit. Illum 1. pavit verbis; 2. prævit exemplis; 3. defendit scriptis.

1. Sicut brutorum cibus sunt gramina, ita animarum cibus sunt verba salutis per doctores, vel pastores ipsis administrata; nam non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei (Matth. 4). Quoad corpus, pane materiali pascitur homo; quoad animam, que spiritualis est, verbo Dei pascitur et nutritur. Spiritualis autem hoc pabulo gregem suum veri pastores pascere non desinunt; ut enim ait S. Bonaventura, pastor dicitur a pascendo, quia pastum dicit ovibus, sive quia depascit oves (collat. 49 in 10 Joan.); et ut monet Dionysius Carthusianus, verus pastor plebem sibi creditam continue pascere debet verbo salutis; *pascencia est plebs predicatione continua* (in Ep. 1. Pet. 4). Pastor autem perfectissimus exiit sanctus Joannes, qui spirituali hoc cibo gregem suum pascere non destitit; salutiferam hunc panem in Samaria, in Judæa, in Phrygia, in insula Pathmos, multisque aliis in locis distribuit et præcipue in Asia, ubi plures Ecclesias erexit, multos Episcopos ordinavit et indesinenter per illos et per seipsum verbum disseminavit: Joannes, ait S. Augustinus, a tempore Ascensionis per annos quadraginta quinque verbum Dei usque ad ultima Domitiani tempora predicavit (Prol. sup. Evang. Joan.). Et quod mirum est, Joannes a Spiritu Sancto edocebatur, ut doctrina ejus non posset esse nisi sana, recta et ad pascendas oves idonea: a Spiritu Sancto Joannis intellectus est illuminatus, lingua edocta et calamus ita directus, ut a veritate aberrare non

posses (S. Aug. in psal. 140). O mirabilem pastorem, qui gregem suum pavit verbis et praeivit etiam exemplis.

2. In Judæa, ut ait Lyranus, hunc modum habent pastores, quod precedant oves sibilando ore et instrumento, ad cuius auditum oves diriguntur et sequuntur: *pastor*, ut ait Christus, cum proprias oves emisisset, ante eas vadit (Joan. 10, 4); sic pariter quilibet fidelium pastor debet esse praeivus et dux, ovesque sibi commissas virtutum suarum exemplis praeire tenetur: ut enim docet sanctus Petrus, non sunt a Deo vocati pastores, ut fidelibus superbe dominantur, verum ut eos sanctitate antecendant,isque omnium virtutum exempla praebeant: *non dominantes in clero, sed forma facti gregis ex animo* (1 Pet. 5). Et ideo praeclarum animarum pastorem Titum in primis hortatur divus Paulus, ut ovibus suis sit omnium virtutum forma, norma et exemplar: *seipsum praebe exemplum bonorum operum* (ad Tit. 2, 7). Hanc autem veri pastoris qualitatem perfectissime possedit sanctus Joannes, qui populo sibi credito puritatis, humilitatis, patientiae et omnium virtutum mirabilia exhibuit exempla: in eo tanta eluxit puritas, ut virginitatem illibatam perpetuo servaverit; invicta ejus patientia in multis onituit et tunc maxime, cum ab Epheso ductus Romam ligatus ac deinde ibi flagellatus et in ferventis olei dolium missus est. Tanta ejus erat humilitas, ut ad impissimorum hominum pedes se inclinaret, supplex eos rogans, ut vitius valedicerent, et salutaris poenitentiae exercitiis sedulo incuberent. Quis explicare valeat quomodo ejus cor erga Deum accenderetur amore et qua erga proximum claritate arderet? quis obedientiae, paupertatis voluntariae et aliarum virtutum exempla, quibus oves antevit, enarrare posset? Nullus equidem, ideo dixisse sufficiat, quod fuerit pastor sanctissimus, qui raris omnium virtutum exemplis gregem praeivit, ac etiam *illum scriptis suis strenue a lupis defendit*.

3. Boni pastoris est non solum ut oves congreget, nutriat et impinguet, verum etiam ut eas sedulo custodiat et a lupis defendat: *boni pastoris hoc semper est proprium, ut oves solerti cura ab incurisibus silvestrium custodiat bestiarum* (Laurent. Ju-

stin. de contemp. mundi 15). Lupus rapacissimus, a quo pastores ovile tueri debent, est daemon, qui, ut ait sanctus Gregorius, *rapit oves, cum hunc ad luxuriam pertrahit, alium ad avaritiam accendit, alium in superbiam erigit, alium per iracundiam dividit, hunc invidia stimulat, illum fallacia supplantat* (hom. 14). Et ab hoc lupo praecipuis suis, vigiliis, jeuniis, consiliis et crebris adhortationibus gregem suum custodivit sanctus Joannes; cum etiam ab aliis lupis ferocissimis defendit, nempe ab haereticis, quos mirabilibus suis scriptis terruit, fugavit et penitus debellavit: *haereticorum tergiversationibus motam figit*, inquit Petrus Damiani, *et catholicorum fidem perpetua certitudine roboravit*. Joannes a Christo *Boanerges*, seu filius tonitruum vocatus est, quia fuit quasi tonitruum, quo Cerinthus, Apollo Tianaeus et alii multi haeretici terri sunt: vel, ut ait divus Basilus, *sicut aquila desuper conspecta futili loquacitati garrularum avium silentium indicit; ita Joannes haereticis* (in Isa.); cum enim haeretici S. Joannis Evangelium, Epistolas et Apocalypsim legunt, confunduntur, nec habent quod amplius loquantur, ut suos tuncantur errores; ibi Ecclesia arma et machinas invenit, quibus omnes impugnentur haeretici; ibi Cerinthus, Ebionitae, Ariani, Lutherani, necnon omnes fere haeretici suorum errorum condemnationem legunt. Unde sicut de Marcia canitur, quod omnes haereses sola interemit, per filium suum scilicet; ita et de sancto Joanne Evangelista asserit S. Hieronymus, quod omnes haereses per sua scripta aliquo modo interemerit. O mirabilem et omnibus saeculis praedicandum pastorem! Fuit quidem Joannes *discipulus doctissimus*, qui secreta regni, domus et cordis Christi penetravit. Fuit etiam *apostolus amantissimus*, qui Christum ardentissime dilexit in coenaculo, ubi supra pectus ejus recubuit; in horto, ubi eum non dereliquit, et in monte Calvario, ubi eum contemplatus est. Denique fuit *pastor vigilantissimus*, qui gregem pavit verbis, praeivit exemplis et scriptis defendit. Ecce quis fuerit S. Joannes: *hic autem quid?* Demiremur nunc eruditissimum hunc discipulum: apostolum hunc Christum ardentem amantem intemur; insuper et hunc pastorem sedulo

contemplerur; ejus adhuc apud nos manent scripta, ejusque habemus exempla; scripta ejus frequenter et reverenter legamus; ejus vero exempla pro viribus imitemur. Quod si hunc pastorem jam non audiamus predicantem, habemus pastores nostros, quorum ore Joannes adhuc concionatur, illos audiamus et quæ dicunt, perficiamus: *quæ dicunt vobis, facite*. Ut autem ea adimplere valeamus, Joannem invocemus et ad ejus patrocinium confugiamus. Asserebat sancta Elisabeth Hungariæ regina, se omnia impetrasse quæ per sancti Joannis intercessionem a Deo petierat. Scimus etiam sanctum Petrum, licet apostolorum principem, mediante Joanne, investigasse quis Christum traditurus esset. Heu! inquit sanctus Petrus Damiani, si sanctus Joannes ab apostolis invocatur, quanto magis a nobis ejus implorandum est patrocinium: *qui advocatus factus est summus, quam famuliter imploranda est a minimis!* Ferventer ejus auxilium imploramus; oremus autem in primis eum ut a Deo nobis obtineat gratiam, qua illi placere et vitam æternam assequi possimus. Amen.

DE SANCTIS INNOCENTIBUS.

CONCIO PRIMA.

Occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem et in omnibus finibus ejus a binatu et infra (Matth. 2).

Cum hodie Bethlehemiticum solum mente revolvo, mihi videri videor portentosam carnificinam, in qua undique efferati spectantur carnifices, qui trucidant et mactant; et in qua undique innocentes videntur victima, quæ ferali Herodis ambitioni sacrificantur. Hæ victima sunt innumeri pueri, ad summum biennales; carnifices vero sunt ab Herode missi satellites, qui,

ut iniquo huic regi obtemperarent, domos, vicos et plateas circumveunt, undequaque mactantes pueros: *mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, et in omnibus finibus ejus, a binatu et infra*. Ob tam crudele spectaculum ubique luctus, ubique clamor auditur; lacrymantur, clamant et ita vociferantur matres, ut earum gemitus caelos penetraverint, earumque clamores in Rama longe a Bethlehem distante auditi sint: *vox in Rama audita est, ploratus et ululatus multus*. Hæc est famosa et lamentabilis tragedia, quam nobis hodie sancta proponit Ecclesia, quæ tam luctuosi spectaculi hæc immemor adhuc quasi ingemiscit, dum aliqua gaudii cantica in aliis solemnitatibus recitari solita ab hodierno officio subtrahi precipit. Hæc est pia Mater, quæ filios suos luget; lugeamus et nos cum illa et tam horrendam contemplerur tragediam. Ave.

Tria personarum genera in tragedia Bethlehemitica intueor, Herodem scilicet, satellites et pueros; Herodem, qui lethalem adversus infantes sententiam dicit; satellites, qui eam executioni mandant, et pueros, qui eam subeunt. *Herodes* sententiam suam justam et in æquitate fundatam sibi animo fingit; *satellites* se nimis scire minime credunt in pueros, quos ut regis sui hostes inspiciunt; *pueri* vero, qui morti addicuntur, a matribus et ab aliis eorum cruciamenta spectantibus, miseri et infelicissimi censentur. Si vero de his probe judicemus, iudex iniquus est Herodes, crudeles nimium sunt satellites et felices supra modum consendi pueri. *Iniquus est Herodes*, qui ut Christum interimat, tot infantes ad mortem damnat; *crudeles sunt satellites*, qui sanguinem innocentem inaudita ferocitate effundunt; *felices sunt pueri*, qui pro Christo morientes, martyrii gloriam et coronam obtinent. Videamus ergo in illa tragedia injustitiam, crudelitatem et felicitatem: 1. injustitiam Herodis; 2. crudelitatem satellitum; 3. felicitatem puerorum.

contemplerur; ejus adhuc apud nos manent scripta, ejusque habemus exempla; scripta ejus frequenter et reverenter legamus; ejus vero exempla pro viribus imitemur. Quod si hunc pastorem jam non audiamus predicantem, habemus pastores nostros, quorum ore Joannes adhuc concionatur, illos audiamus et quæ dicunt, perficiamus: *quæ dicunt vobis, facite*. Ut autem ea adimplere valeamus, Joannem invocemus et ad ejus patrocinium confugiamus. Asserebat sancta Elisabeth Hungariæ regina, se omnia impetrasse quæ per sancti Joannis intercessionem a Deo petierat. Scimus etiam sanctum Petrum, licet apostolorum principem, mediante Joanne, investigasse quis Christum traditurus esset. Heu! inquit sanctus Petrus Damiani, si sanctus Joannes ab apostolis invocatur, quanto magis a nobis ejus implorandum est patrocinium: *qui advocatus factus est summus, quam famuliter imploranda est a minimis!* Ferventer ejus auxilium imploramus; oremus autem in primis eum ut a Deo nobis obtineat gratiam, qua illi placere et vitam æternam assequi possimus. Amen.

DE SANCTIS INNOCENTIBUS.

CONCIO PRIMA.

Occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem et in omnibus finibus ejus a binatu et infra (Matth. 2).

Cum hodie Bethlehemiticum solum mente revolvo, mihi videri videor portentosam carnificinam, in qua undique efferati spectantur carnifices, qui trucidant et mactant; et in qua undique innocentes videntur victima, quæ ferali Herodis ambitioni sacrificantur. Hæ victima sunt innumeri pueri, ad summum biennales; carnifices vero sunt ab Herode missi satellites, qui,

ut iniquo huic regi obtemperarent, domos, vicos et plateas circumveant, undequaque mactantes pueros: *mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, et in omnibus finibus ejus, a binatu et infra*. Ob tam crudele spectaculum ubique luctus, ubique clamor auditur; lacrymantur, clamant et ita vociferantur matres, ut earum gemitus coelos penetraverint, earumque clamores in Rama longe a Bethlehem distante auditi sint: *vox in Rama audita est, ploratus et ululatus multus*. Hæc est famosa et lamentabilis tragedia, quam nobis hodie sancta proponit Ecclesia, quæ tam luctuosi spectaculi hæc immemor adhuc quasi ingemiscit, dum aliqua gaudii cantica in aliis solemnitatibus recitari solita ab hodierno officio subtrahi precipit. Hæc est pia Mater, quæ filios suos luget; lugeamus et nos cum illa et tam horrendam contemplerur tragediam. Ave.

Tria personarum genera in tragedia Bethlehemitica intueor, Herodem scilicet, satellites et pueros; Herodem, qui lethalem adversus infantes sententiam dicit; satellites, qui eam executioni mandant, et pueros, qui eam subeunt. *Herodes* sententiam suam justam et in æquitate fundatam sibi animo fingit; *satellites* se nimis scire minime credunt in pueros, quos ut regis sui hostes inspiciunt; *pueri* vero, qui morti addicuntur, a matribus et ab aliis eorum cruciamenta spectantibus, miseri et infelicissimi censentur. Si vero de his probe judicemus, judex iniquus est Herodes, crudeles nimium sunt satellites et felices supra modum consendi pueri. *Iniquus est Herodes*, qui ut Christum interimat, tot infantes ad mortem damnat; *crudeles sunt satellites*, qui sanguinem innocentem inaudita ferocitate effundunt; *felices sunt pueri*, qui pro Christo morientes, martyrii gloriam et coronam obtinent. Videamus ergo in illa tragedia injustitiam, crudelitatem et felicitatem: 1. injustitiam Herodis; 2. crudelitatem satellitum; 3. felicitatem puerorum.

I PARS.

Herodis injustitia.

Semper et in omnibus crudelis et injustus fuit Herodes, qui equitatem odio habuit et iniquitatem dilexit: *Herodi odiosa est equitas, iniquitas semper est amica* (Chrysol. serm. 152). Ejus autem injustitia in strage Innocentium fuit maxima respectu Christi, puerorum et matrum: 1. *respectu Christi*, quem interficere expetiit; 2. *respectu puerorum*, quos ad mortem damnavit; 3. *respectu matrum*, quarum filios rapuit.

1. Ut ad Christi internecionem pertingeret, innocentes pueros morti adjudicavit Herodes: *si parvulos interficiat, Jesum sibi videtur interficere, quod utique facere sine cessatione molitur* (S. Leo ser. 2 de Epiph.). Unica impii illius regis intentio, unicuique ejus votum erat Christum occidere; et ideo tot infantes trucidare præcepit, ut Christus simul cum aliis interficeretur et necem subiret: *tot infantes, ut ad Christum perveniret, occidit* (S. Aug. tr. 115 in Jo.). Hæc Herodis iniqua et perversa fuit intentio; quæ ut melius concipiatur, sciendum, quod sceleratus ille princeps cæca ambitione et immensa cupiditate servandi, augendique regni Judææ angerebatur: quocirca certior factus, verum Messiam natum esse in Bethlehem, illum venisse credidit, ut ipsi sceptrum auferret et Judææ regno potiretur, propterea eum interficere statuit; ignorans vero ex qua domo et familia Bethlehemitica originem duceret, omnes infantes, qui erant in Bethlehem et finibus ejus, occidit imperavit, ut simul cum aliis occideretur Christus: *tot infantes, ut ad Christum perveniret, occidit*. In hac autem Herodis opinione et sententia gravem hujus principis errorem et infandam injustitiam conspicio; errat Herodes, cum opinatur Christum, qui regna dat coelestia, in hunc mundum venisse, ut terrenum ejus regnum eriperet: ut enim ait Augustinus, *Christus non venerat, ut regnum terrestre præriperet,*

sed ut coeleste donaret (ser. 9 de Sanct.). Maximo erga in errore versabatur Herodes; consequenter maxima ejus fuit injustitia respectu Christi, quem occidere statuit: ipse enim divinum hunc infantem omnis innocentiae et sanctitatis authorem, creatorem suum et benefactorem suum, nullo servato juris ordine, imo et contra omnes jus ad mortem querit et occidere decernit. O qualem et quantam impii hujus principis injustitiam! Omnium plane judicio iniquissimus iudex extitit Pilatus, quia verum Messiam Deus et hominem Universi creatorem, nullius criminis reum et omni virtute præditum absque ulla causa ad mortem damnavit; eadem et forte gravior Herodis dicenda injustitia respectu Christi, quem lactentem et in cunis lactentem morti adjudicavit, et ad mortem quæsit. Nonne idem est Christus, nonne idem Messias a lege et prophetis promissus? nonne æque innocens et justus in infantilibus membris ac cum ad triginta trium annorum ætatem pervenit? Semper idem est Christus, semper eadem ejus est innocentia: non itaque minor Herodis, quam Pilati extitit injustitia; imo et longe major extitit, tum quia aliquem juris ordinem servavit Pilatus, Herodes nullum; tum quia Pilatus videns Christum jam hominem factum et de multis accusatum aliquo modo suspicari poterat, eum forte alicujus esse criminis reum; at Herodes nil tale de Christo adhuc puero cogitare et suspicari poterat: ideo major fuisse videtur Herodis, quam Pilati injustitia. Si maxima extitit injustitia Herodis Christi mortem expetentis, et eum ad mortem quærentis, maxima etiam ejus fuit injustitia *respectu puerorum, quos ad mortem damnavit.*

2. Ab Herode petit S. Petrus Chrysologus, quo crimine rei essent pueri, qui nondum videbantur, nondum audiebantur, nondum loquebantur: *infantes, quid? quorum lingua tacuit, oculi nil viderunt, nihil audierunt aures, manus nihil fecerunt, et quibus actus nullus est, unde culpa?* O Herodes, ut loquitur præfatus Chrysologus, tu qui esse debes *morum custos, disciplinae censor, justitiæ indagator, equitatis defensor, servator innocentia,* dicito quæso, quod crimen in his infantibus deprehendisti? quo scelere ab iis perpetrato

ad illos morti adjudicandos moveris? Ipsi contra Deum non blasphemarunt, nec te conviciis affecerunt, cum nondum loquantur; ipsi visu et auditu minime peccaverunt, cum licet forte colores videant et sonos audiant, distinguere tamen non valent inter hunc et illum colorem, nec inter hunc et illum sonum; manus eorum ad homicidia et atrocitiam perpetranda omnino ineptæ, pedes eorum ad malum non currunt, eorum mens omnis deli et mali est ineapax. Quod ergo est horum puero-
rum scelus? *Unde culpa?* Forsitan, o Herodes, hi pueri adversus te pugnaturi, aciem instruebant, hastas vibrabant, enses exerebant, arcus tondabant et sagittas jaculabantur? Responde, o scelestè tyrannè, eosque pueros aut innocentes esse fateri, aut si quod eorum sit crimen, manifesta illud? Respondet Chrysologus, hos pueros in Herodis mente reos fuisse, et unicum illorum crimen extitisse, quod nati fuerint in Bethlehem eodem tempore, quo Christus natus est: *apud Herodem solum quod nati sunt, hoc fuit crimen.* O grave crimen? quod quidem nullatenus est crimen. Adolescenti cuidam egrotanti, qui mori plurimum timebat, dixit Seneca: *morieris, non quia egrotas, sed quia visis;* similiter S. Petrus Chrysologus ait, pueros innocentes ad mortem damnari non quod aliquod crimen perpetraverint, sed quia nati sunt: *apud Herodem solum quod nati sunt, hoc eorum crimen* (ser. 152). Non est crimen quod hi pueri nati sint tempore, quo natus est Messias, orbis conditor et mundi redemptor; non est crimen sed magna felicitas, quod in lucem editi quo tempore natus est Christus, quem prophetae predicaverunt, patriarchæ optaverunt et omnes homines expectaverunt: cum ergo nullius alii criminis rei fuerint, iniquissimus censendus Herodes, qui eos ad mortem damnat. Iusti iudicis est innocentes tueri: quorum innocentiam hîs tueatur, iniquus reputatur et a Deo severe iudicabitur: *non enim poterit evitare iudicium, qui iusti innocentiam iudicando custodire neglexerit* (Laur. Just. de Chr. agone, 12); quanto ergo major est Herodis iniustitia, qui non solum non protexit innocentes; verum et eos ad mortem damnavit! Quam maxima adhuc fuit Herodis iniustitia *respectu matrum, quarum pueros rapuit!*

3. *Omnis qui iuste iudicat,* inquit S. Antoninus, *stateram in manu portat* (3 p. tit. 9, 1); ad hoc scilicet, ut jus cuiusque ita examinet et ponderet, ut nulli injuriam faciat. Verum est, quod iudex fortis esse debet et animosus ad extirpanda scelera, ac stateram semper manu gestare debet, ad hoc ut jus suum cuique tribuat. Unde inter signa celestia *Virgo*, quæ justitiam indicat, inter *Leonem et Libram* sedem habet; hoc enim ordine numerantur, *Leo, Virgo, Libra.* Hic locus justitiæ debetur: oportet ex una parte *Leonem*, iustitiam summam fortitudinem habeat; ex altera vero *Libram* juris, qua jus ipsum ponderet. Ast Herodes nec fuit leo fortissimus ad dirumpendas iniquitates, nec justitiæ libram manu gestavit, imo iniquissime innocentes matres suis orbavit filiis, quos contra omne jus rapi et trucidari imperavit: Herodes, ut ait S. Petrus Chrysologus, *causas innocentie non requirit, jus abrogat, confundit fas, nefasque.* Præclare dixit Aristoteles, *iudicem esse oportere centro similem:* quia quemadmodum centrum est punctum in medio globi existens, ita iudex medium tenere debet in administratione justitiæ, ita quod nec ad unam, nec ad aliam partem declinet, nullique injuriam faciat, atque jus suum cuique tribuat. Multi quidem habentur boni et æquissimi iudices, in quibus justitia quasi in centro residet. Herodes autem non justitiæ, verum omnis iniquitatis, universæ impietatis et totius malitiæ centrum extitit: ipse enim iniquissimus fuit non solum respectu Christi et puero-
rum, etiam respectu matrum, quarum filios absque ullo iure immaniter rapuit. Hæu! si omnium iudicio iniquissimus erga sanctam Felicitatem extiterit Publius præfæctus, cum septem ejus filios rapuit et crudeli morti adjudicavit; quanto iniquior fuit Herodes, qui non unius dumtaxat, at millium et ultra matrum filios, nulla juris servata forma et absque ulla ratione rapi et enecari jussit? O impie Herodes, quam gravis tua fuit iniustitia? Certe tu centro absimilis prorsus extitisti ratione justitiæ et æquitatis quam servasti; quia vero inique in hoc mundo alios iudicasti, in alio mundo iusto a supremo iudice iudicaberis. Hic justitiæ centrum haud attigisti, in

mundi centro, seu in inferno circa terræ centrum sito in æternum habitabis, ibi in æternum manebis, ibi in æternum cruciaberis, ibique in æternum tecum cruciabuntur magnates iniqui et iniqui quoque iudices, qui pauperes et innocentes opprimunt: *illic denudati et capitaliter mortui in perpetuum demergentur* (Euseb. Em. hom. 3 de Epiph.); illic gravia patientur supplicia et poterit torquentur: *potentes potenter tormenta patientur*. O quam durum erit magnatibus et iniqui iudicibus, illic sempiternis addici suppliciis! *Quæ tunc spectaculi latitudo! tot spectans reges, qui in calum recepti nunciabuntur, cum ipso Jove et ipsis suis testibus in imis tenebris congemiscentes! item præsides, persecutores dominici nominis, sevirioribus, quam ipsi contra Christianos sæviunt, flammis insultantibus liquescentes* (Tert. de Spect. 30). Quam durum erit his magnatibus supplicia inferni tolerare! *Ab æstu byssus non defendit, purpura non resistit inferno*, inquit Chrysologus (ser. 122); quin contra longe duriora et acerbiora erunt inferni supplicia his qui in hoc mundo divitiis et deliciis abundarunt! desinant ergo inique agere; pauperum et pupillorum causas tueantur, non eos persequantur sicut Herodo, nisi cum illo in æternum cruciari velint. *Modo ab Herodis injustitia transeamus ad satellitum crudelitatem.*

II PARS.

Satellitum crudelitas.

Cum sacer evangelista ait, Herodem Bethlehemiticos occidisse pueros, intelligendum, quod non per se, ac per suos satellites tale facinus obierit: *mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem et in omnibus finibus ejus*. Maxima autem horum satellitum fuit crudelitas, si attendantur qualitas occisorum, numerus eorum et modus, quo occisi sunt; seu si attendatur qui, quot et quomodo occisi sint: 1. *qui*, quia pueri; 2. *quot*, quia multi; *quomodo*, quia modo immanissime.

1. Qui occisi sunt, non erant provectæ ætatis homines, atvero pueri innocentes: ut enim ait sanctus Petrus Chrysologus, Herodes suos congregavit et misit milites, non ad pugnandum contra fortissimos hostes, vel ad expugnandum aliquam arcem; misit ad occidentes pueros, vel ad expugnandam, vel in sinibus matrum degeutes: *ad sinus matrum militum cogit castra*. Suis satellitibus dixit Herodes: *sateltes, t. ferrum rape, perfrunde cunas sanguine* (in off. Ss. Inn.). Ipsique immane exequentes mandatum, non homines, sed puerulos occiderunt, a quorum sanguine abhorret natura, quos occidere omnes leges prohibent, et quibus barbaræ quævis nationes parcere solent. Hi quidem satellites dissimili plane modo se gesserunt a Gentilibus euidam præfecto, cui cum imperator etiam Gentilibus præcepisset, ut ingentem Christianorum multitudinem in odium fidei interficeret, tam immane mandatum exequi rennit, eo quod hi Christiani suos deferrent et stricte amplexarentur pueros, ut simul cum illis martirio coronarentur: ad imperatorem enim rediens præfectus, dixit ei: *serenissime princeps, mori possum, sed hos Christianos cum parvulis suis occidere non possum* (Pepin. ser. de Ss. Innoc.); et revera mori maluit, quam crudele imperatoris decretum exequi. Hujus indolis non fuere Herodis satellites: ipsi namque iniqui regis crudeles fuere ministri, qui Herodem a puerorum occisione non averterunt: quin contra, ut ait sanctus Vincentius Ferrerius, illi suaserunt, bonum esse hos pueros occidere, illum ad immane decretum ferendum moverunt, et crudeliter in pueros deservierunt. O magnam horum satellitum crudelitatem, quæ major adhuc apparet, si spectetur numerus puerorum, qui ab iis occisi sunt.

2. Antequam baptizaretur Constantinus, æquissima lege sancierat, ut quicumque ex suis militibus in bello aliquem occidisset infantem, capitali sententia puniretur; iniquissimus autem rex Herodes totus in pueros sæviit et impio mandato jussit, ut omnes pueri, ad summum humuli qui erant in Bethlehem et finibus ejus interficerentur. Ejus mandato obtemperaverunt satellites, qui omnes illos pueros immanissime occiderunt. O ingentem puerorum stragem! quorum tamen numerus præcise sciri

nequit. Eos fuisse centum quadraginta quatuor milia inferunt nonnulli, ex hoc quod in officio hodierno legatur (Apocal. 14), quod Joannes viderit Agnum stantem, *et cum eo centum quadraginta quatuor milia*; at valde improbable est, in Bethlehem civitate parva, una cum oppidulis circumadjacentibus, tot inveniri potuisse infantes. Unde alii complures auctores cum Genebrardo quatuordecim milia occisos fuisse probabilius sentiunt. Melius, meo quidem judicio, loquitur sanctus Vincentius Ferrerius, dicens, quod Herodis satellites *tot innocentes occiderint, ut innumerabiles quasi fuerint*. O qualem carnificem! o quantam horum satellitum immanitatem! Hoc si crudelis estimatis fuerit puer Spartiatus, qui unius perdicis adhuc viventis oculos eruerat, quanta censenda horum satellitum crudelitas, non unius dumtaxat avis oculos eruerunt, verum innumerorum infantum sanguinem effuderunt! Hi barbari, ut ait Tertullianus, in infantes innumeros, nulliusque criminis reos, summa crudelitate enses demerserunt: *demergit ferrum in infantem nullius inimicum, nullius reum* (Apol. 8). O qualem crudelitatem! quæ adhuc maior censetur, si attendamus modum, quo tot pueros interfecerunt.

3. Illi crudeles vero sunt, qui in puniendo modum debitum minime servant: *illos crudeles vocabo, qui puniendi causam habent, modum non habent* (Seneca de clem. 2, 4). Herodis autem satellites in occasione pueroꝝ nullam humanitatis et clementie modum servaverunt; sevientes in hos infantes, summa eos ferocitate interfecerunt; alii etenim pugionibus pectora illorum transfodiebant, alii gladiis capita eorum amputabant, pedibus parvulos conculcabant aliqui, eosque alii strangulabant et suffocabant; iste pueros ad parietem allidebat et ille eos in cunis dormientes exstinguabat. Virginitatis gladius undique currabant satellites, undique hos agnellos mactabant et occidebant. Complures eorum cum matribus et nutricibus de prole contendebant et interdum pueros in duas partes secabant, una parte in matrem et altera in carnificum manibus remanente: *pugnabant mater et carnifices*, inquit sanctus Augustinus, *traherat ille, illa tenebat. Ad carnificem mater*

clamabat, quid separas a me quem genui ex me? uterus meus genuit et tu crudelis interimis (ser. 8 de Sanct.). O magnam crudelitatem! quis audivit unquam tale, aut quis vidit hinc simile? Quæ crudelitas horum satellitum ferocitati equiparari potest? Nulla quidem; cum autem hi in pueros severint, in eos et demones severint et crudeles hos satellites crudelissime torquebant. Equissima hæc est regula a Christo posita: in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis; propter cum adversus innocentes pueros crudelissimi extiterint satellites Herodis, adversus ipsos se crudelissimos exhibebunt demones. Audite hæc vos qui obliviscimini Deum; audite hæc vos qui pauperes, viduas et pupillos opprimitis; audite Christum dicentem, quod *in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis* (Matth. 7, 2). Tempus adveniet, quo ad Christum tribunal de omnibus vite vestre actionibus rationem redditori apparebitis; tunc clamabunt viduæ, tunc clamabunt pueri et pauperes quos oppressistis; tunc clamabunt et dicent: *vindica sanguinem nostrum*; Domine, vindictam sume de his qui oppresserunt nos. Heu! *quantus tremor est futurus, quando iudex est venturus cuncta stricte discussurus*! Quantus erit horum impiorum pavor, cum Christum iudicem iratum videbunt! quantus erit fletus, quantus dolor, quanta desperatio, cum hic homo dives et hic homo nobilis, qui pauperes oppresserunt, ad tartara æternum cruciandi detrudentur! Attendite hæc; talia mente crebro revolvet vos qui pauperes opprimitis et discite imposterum his benefacere, sique satisfacere, ut in sampterum cum Herodis satellitibus in inferno non torqueamini. Visa horum satellitum crudelitate, pueroꝝ pro Christo occisorum felicitatem contemplemur.

III PARS.

Pueroꝝ felicitas.

Si oculis carnis inspiciantur innocentes martyres, infelices quidem sunt et miseri; sed si fidei oculis eos contemplemur,

felicitissimi sunt, quia aeternam beatitudinem consequuntur: 1. etiamsi de ea non cogitaverint; 2. etiamsi eam non voluerint; 3. etiamsi eam non meruerint.

1. Ut nos ad illam aeternam beatitudinem assequi valeamus, de ea et de mediis ad illam assequendam necessariis serio cogitare debemus; est enim corona, quam Deus non dat dormientibus, sed vigilantibus; est merces, quae non datur desidiosis et iis qui ejus obliviscuntur, verum iis qui eam crebro mente revolvunt et qui de ea sollicite et efficaciter cogitant. At innocentes martyres nobis longe feliciores extitero, quia aeternam gloriam obtinuerunt, licet de ea in hoc mundo nunquam cogitaverint, nec cogitare potuerint. Ut enim de iis loquitur Chrysologus, *ignari tollunt palmas, coronas rapiunt ignorantes* (Ser. 153). Hi pueri ignari erant de omnibus quae in hoc mundo fiebant, quia nondum rationis usu pollebant: propterea de iis ne quidem cogitare noverant et tamen ita beati et felices fuere, ut quamvis ne minimam de caelestibus bonis cogitationum habuerint, ea assecuti fuerint. De sancto Antonio Abbate et aliis sanctis viris, qui humanas non callebant scientias, dicebat sanctus Augustinus, quod licet indocti essent et ignari, caelos tamen rapiebant: *eoce indocti rapiunt caelos*. Id autem satius de sanctis Innocentibus dici posset: eorum quippe tanta fuit felicitas, ut licet de beatitudine caelesti ita ignari ut ne quidem de ea cogitassent, ad eam tamen pervenerint: *ignari tollunt palmas, coronas rapiunt ignorantes*. Sanctus Joseph ab angelo monitus, accipiens Christum et Mariam, fugit in Aegyptum: *accepit puerum et matrem ejus nocte et recessit in Aegyptum* (Matt. 2). Cur Christus, qui tempore passionis exultavit ut gigas ad currendam viam et qui in hunc mundum venit, ut pro hominum salute pateretur et moreretur, voluit hac vice a conspectu et ira Herodis fugere? Anno impium huic timebat regem? Nequaquam, inquit sanctus Petrus Chrysologus: non enim fugit, eo quod Herodem timeret, verum eo quod pueros amaret: *fugere istud est amoris intimi, non timoris ignavi* (serm. 153). Jamvero quis est ille Christi erga hos pueros amor? Nonne illos magis amasset, si ipsi

non fugisset; nonne magis ipsis consulisset si in Bethlehemi remanens, aliquos ex suis angelis ad hos innocentes ab Herodis manibus liberandos advocasset? Nequaquam: neque enim majus amoris sui testimonium iis dare poterat Christus, quam cum fugiens, illos Herodis furori et satellitum crudelitati commisit; inde namque iis occasionem dedit pro ipso moriendi et vitam aeternam assequendi, antequam de ea cogitassent. Unde ex hoc illos felicissimos censet divus Augustinus: *quam feliciter nati, inquit, quibus in primo nascendi lumine aeterna vita obviam venit* (ser. 9 de Sanct.). Nobis aeterna felicitas non obviam venit; ut illam obtineamus, eam sollicite quaerere et de ea serio cogitare debemus. Petimus saepe a Deo, ut ad nos talis veniat beatitudo: *adveniat regnum tuum*; quod tamen ad nos minime pervenit, nisi prius de ea et de mediis ad illam assequendam necessariis serio cogitaverimus; innocentes autem martyres ita felices extitero, ut iis obviam venerit, etiam *in primo nascendi lumine*, seu antequam de ea cogitassent. O magnam horum puerorum felicitatem! quae tam eximia quoque extitit ut aeternam beatitudinem obtinuerint, *licet eam non voluerint*.

2. In potestate nostra est aeternam beatitudinem velle, aut nolle, ad utrumque libertate donati; ut autem eam revera assequamur, illam ardentem et efficaciter velimus necesse est, ita quod media ad illam obtinendam sumamus. Verum quidem quod omnes penitus homines salvi fieri vellent; at simplex, velleitas non sufficit; ad salutem enim requiritur firma et constans et efficax voluntas, quae ad media assumenda ordinetur. Unde non praecipit Deus, nos quomodocumque beatitudinem velle et quaerere, imo vero illam sollicite quaerere et quaerentes quaerere: *si queritis, querite*. Nobis quidem innocentes martyres longe feliciores extiterunt, quia aeternam beatitudinem consecuti sunt, licet in terris eam nunquam voluerint; ut enim ait Chrysologus, *in parvulis quae voluntas, quod arbitrium, ubi captiva est ipsa natura*? (Ubi sup.). Horum enim parvulorum captivae et ligatae habebantur internae omnes animae potentiae, cum nondum rationis usum assecuti, velle bonum

aut malum, velle aut nolle æternam beatitudinem, in eorum non erat potestate: et sic eam assecuti sunt, ex verâ Dei misericordia, licet eam nullo modo voluerint. Unde S. Bernardus hæc statuit differentiam inter S. Stephanum et Innocentes martyres, quod S. Stephanus martyr fuerit opere et voluntate; Innocentes vero opere solum et non voluntate: *habemus in S. Stephano martyrii simul et opus et voluntatem; habemus solum in B. Innocentibus opus* (ser. de Ss. Innocent.). Certo constat hos pueros æternam beatitudinem æque vere obtinisse ac beatum Stephanum, martyrii laurea simul cum illo decorati; ipsi vero felicitatem æternam et martyrii coronam assecuti sunt tantum propter meritum passionis Christi absque eo quod eorum aliquis præcesserit voluntatis actus, quo martyres et beati fieri vellent: *habemus solum in beatis Innocentibus opus*. Per baptismum ab originali culpa lavantur, gratiæque divini donantur pueri; unde si, accepto baptismo, moriantur antequam rationis usu polleant, æternam obtinent gloriam, licet nunquam aliquam voluntatis suæ actum elicierint. Eodem autem privilegio gavisus sunt innocentes martyres, quibus martyrium fuit baptismus sanguinis, cuius virtute ab originali peccato loti fuerat et absque ullo voluntatis propriæ actu æternam beatitudinem obtinere: *quemadmodum*, inquit S. Bernardus, *baptismus sine ullo propriæ voluntatis usu sufficit ad salutem; sic pro Christo susceptum martyriam pueris sufficit ad sanctitatem* (Ubi sup.). In adultis, ut gratiam et gloriam assequi valeant, duo requiruntur, applicatio scilicet meritorum Christi et actus efficaces propriæ voluntatis; Innocentes martyres omnibus adultis feliciores exitere, quippe qui per simplicem applicationem meritorum Christi, quam sunt infiniti valoris, absque ullo voluntatis suæ actu æternam beatitudinem sunt assecuti. Insuper tanta eorum fuit felicitas, ut beatitudinem æternam obtinuerint, *licet eam nullo modo meruerint*.

3. Certum est, martyrium esse Dei donum: nemo enim corpus suum tormentis et tortorum crudelitati usque ad sanguinis effusionem et ad mortis passionem sine Dei gratia offerre

valeret. Unde præfatus Chrysologus ait, martyrium non venire ad nos per meritum, sed per gratiam: *attendat auditor, attendat, ut intelligat, martyrium non constare per meritum, sed venire per gratiam* (Ubi sup.). Licet autem martyrium sit Dei donum, ita quod ad martyrii palmam obtinendam necessario requiratur ut Deus det martyrii gratiam prævenientem, quæ martyrem ad fortiter patiendum excitet, et gratiam adiuvantem, quæ illum in mediis tormentis adjuvet; inde tamen minime sequitur quod ex parte martyris non requiratur libera voluntatis cooperatio, quæ agentis simul cum Dei gratia, gloriam æternam, mediante martyrio, assequatur: sicut enim ad inferni penas non damnatur quis sine meritis malis, seu sine peccato; ita nec quis adultus, licet mortem subeat, æternam felicitatem sine meritis bonis assequitur. At alia pro Innocentibus martyribus subest regula: hi namque martyres fuere privilegiati: *cere isti sunt gratiæ martyres* (Chrysol. ubi sup.); hi fuere omnibus martyribus feliciores; etenim uti docet sanctus Bernardus, ut suam Deus commendaret gratiam, his parvulis ita favere voluit, ut licet nullum in eis fuerit, vel esse potuerit meritum, his gratiam et gloriam martyrii contulerit: *hi sunt plane martyres tui, Deus, ut in quibus nec homo, nec angelus meritum invenit, singularis tuæ prærogativa gratiæ evidentius commendatur* (Ubi sup.). Christum inter et Herodem respectu horum pueroꝝ quædam fuisse videtur æmulatio, ita quod ex una parte eos deprimeret conaret Herodes et ex altera eos Christus sublimare satageret. Herodes invidia et ambitione æstuans, minas et cædes spirabat, illosque pueros trucidare et, ut ita dicam, annihilare volebat: Christus vero Herodi oppositus, his infantibus benefacere, eosque extollere conabatur. Herodes eos ad mortem sine ullo illorum demerito et peccato injuste damnavit; Christus vero, cuius pietas Herodis impietatem superabat, illos absque ullo eorum merito ad cœlestia regna vocavit et martyrii corona decoravit. Unde sicut ad mortem sine ulla eorum demeritis ab Herode fuere damnati, ita et a Christo sine ulla eorum demeritis ad cœlestem gloriam fuere vocati: *si queris apud Deum merita ut coronarentur, quere*

et apud Herodem crimina ut trucidarentur (S. Bern. ubi sup.). Ecce magnam horum puerorum felicitatem: *magna quidem exiitit Herodis iniustitia* respectu Christi, quem occidere expetivit, respectu puerorum, quos ad mortem damnavit et respectu matrum, quarum filios rapuit: *magna etiam fuit satellitum crudelitas*, si attendantur qualitas occisorum, numerus eorum et modus quo occisi sunt: *atvero maxima fuit puerorum felicitas*, quia beatitudinem aeternam obtinuerunt, licet de ea non cogitaverint, eam non voluerint et eam non meruerint. O impie Herodes, quam gravis tua est iniustitia! O barbari satellites, quam enormis est vestra crudelitas! O Innocentes martyres, quam appetenda est vestra felicitas! Detestemur Herodis iniustitiam, satellitum horreamus crudelitatem; in primis autem aeternam beatitudinem, quam assecuti sunt pueri, obtinere conemur; aeterna enim beatitudo pro nobis sicut et pro illis paratur; ad eam nos Deus vocat, illam nobis dare prooptat, ea tamen conditione, ut de ea cogitemus serio, ut eam velimus efficaciter et eam iuste mereamur. Hi pueri eam obtinuerunt, licet de ea in hoc mundo nunquam cogitaverint, et nos, ut eam obtineamus, serio, saepe et solcite de illa, sicut de re maximi momenti cogitare debemus. Nec solum coelestis haec beatitudo a nobis est simpliciter mente revolvenda: hoc enim et ipsi demones faciunt; insuper pensare quisque debet efficaciter de mediis quibus illam assequi poterit. Hi etiam pueri beatorum gloriam sunt consecuti, licet eam non voluerint, et nos, ut eam assequamur, eam velle, optare et ambire debemus efficaciter, ita quod manum operi admoveamus et sedulo pro ea comparanda laboremus. Hi tandem pueri ad coelestem beatitudinem pervenerunt, licet eam non meruerint; et nos, ut ad eam perveniamus, bonis et meritoris operibus vacemus et studioso incumbamus necesse est; seu ut loquitur apostolorum princeps, satagere debemus, ut per bona opera certam vocationem nostram faciamus: *satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis* (2 Pet. 1, 10). Heu tamen quam pauci serio cogitant, ardentem volunt et iusto illam merentur beatitudinem! cogitant plerumque homines de dignitatibus

comparandis, de opibus ampliandis et de familia sublimanda. Cogitant de temporali quodam negotio rite peragendo, de magnum amicitia sibi concilianda et de voluptatibus corporis satisfaciendo; de beatitudine aeterna comparanda *nullus est qui recogitat corde*. Pauci de ea acquiranda inveniuntur solliciti; de ea cogitant aliquando, verum ita leviter, ut haec cogitatio intima cordis non penetret: *nullus est qui recogitet corde*. Quam pauci etiam coelestem illam gloriam ardentem et efficaciter appetunt! eam quidem volunt, at quasi nolentes; eam obtinere vellent, interim media ad illam obtinendam necessaria sumere nolunt; perique respectu beatitudinis sunt pigri, quia simul volunt et nolunt: *vult et non vult piger* (Prov. 5, 4). Si quaeratur ab hominibus, an aeternam assequi velint beatitudinem? Respondent haud dubie omnes, quod velint; reipsa volentes nolunt, quia idonea ad illam assequendam via incidere nolunt; vellent omnes esse beati cum Christo; cum eo pati, ejusque mandatis obtemperare nolunt. Unde etiam fit, quod hanc beatitudinem mereantur pauci et pauci obtineant; quod certissimum est, cum Deus summa veritas, paucos esse electos asseruerit: *pauci electi* (Matt. 10, 16); ipse, ut ait divus Paulus, *omnes homines vult salvos fieri* (1 Tim. 2); pauci tamen salvantur, quia pauci bonis operibus aeternam beatitudinem sibi comparare satagunt. O fratres, hora est jam de somno surgere; exsurgite qui dormitis et serio de vita aeterna assequenda recogitate, illam ardentem desiderate et bonorum operum fructibus illam mereri contendite, ut cum sanctis Innocentibus in celo aliquando regnetis. Amen.

CONCIO II.

Hi qui amici sunt stolis albis, qui sunt? (Apoc. 7, 13).

Sancta mulieres, quae Christi adibant sepulchrum, ut sacrum ungerent corpus, dicebant ad invicem: *quis revolvat nobis lapidem?* (Marci 16, 3). Lapis qui Christi sepulchro erat superpositus, tanti eis esse videbatur ponderis, ut nec se ad illum movendum sufficiens censerent, quapropter attonitae aliquem ipsi vegetiorem et fortiorem, a quo hinc volvi posset lapis, inquirebant: *quis revolvat nobis lapidem?* ad similes prorsus me jam video redactum angustias: cumque elucidare suscipio, qui sint hi pueri, quos albis innocentiae stolis amictos sancta nobis hodie proponit Ecclesia, mens haeret, hebescit animus, lingua obtumescit et hoc onus meis importabile humeris ingenue fateor. Idecirco quaero, qui mihi hunc nodum dissolvat, qui tantum mysterium aperiat, qui hoc onus moveat, quique mihi explicet, qui sint hi pueri candidis induti vestibus: *hi qui amici sunt stolis albis, qui sunt?* Scio, quod eorum martyria describit Evangelista, quod eorum laudes sancta decantat Ecclesia, quodque eorum elogia concionatores non pauci coniciunt: ideo hos omnes ad mei auxilium vocabo, ut hunc movere valeam lapidem et ut debite explicare possim qui sint dealbati illi Innocentes: fortius vero et efficacius expecto adiutorium a Spiritu Sancto. *Ave.*

Innocentes martyres considerari possunt in Judaea, in lymbis patrum et in paradiso. 1. *In Judaea*, ubi cruciantur. 2. *In lymbis*, ubi aliquandiu post mortem morantur; et *in paradiso*, ubi in aeternum regnabunt. In Judaea vixerunt ad summum duobus annis, quia non sunt occisi, qui biennium excesserant: *occidit omnes pueros a bimatu et infra* (Math. 2, 16). In lymbis remanserunt trigintaduobus circiter annis, usque ad Ascen-

sionem Christi sollicitet, in qua omnes in lymbis detentos secum in paradysum duxit: *ascendens in altum, captivam duxit captivitatem*. In paradiso tandem non ad aliquod solum tempus, sed aeternum vivent et regnabunt: *justi autem in perpetuum vivent*. Ecce tres diversas sanctorum illorum infantium stationes; ecce tria loca, quae inhabitabunt; unde si jam a me quaeratur, qui fuerunt illi pueri: *hi qui amici sunt stolis albis, qui sunt?* ut clare respondeam et ut dilucide explicem, qui et quales fuerint illi Innocentes, eos in Judaea, in lymbis et in paradiso contempler et dico, eos esse martyres, praecursores et sanctos: 1. *in Judaea* sunt martyres admirabiles; 2. *in lymbis* sunt praecursores gratissimi; 3. *in paradiso* sunt sancti privilegiati. Tribus his orationis partibus constat, qui sint illi pueri stolis albis amici: *hi qui amici sunt stolis albis, qui sunt?*

I PARS.

Innocentes in Judaea sunt martyres admirabiles.

Primus locus in quo spectandi sunt Innocentes, est Judaea, ubi ex ordinatione regis iniqui occisi sunt; tantaque ibi horum puerorum facta est strages, ut juxta communem Doctorum sententiam circiter quatuordecim millia ferro perierint, quos omnes ut veros martyres pro Christo passos et mortuos sancta agnoscit et colit Ecclesia. Hi autem mirabiles dicendi martyres, quia non habebant usum linguae, manuum et vitae: 1. *non habebant usum linguae*, et Christum confessi sunt; 2. *non habebant usum manuum*, et pro Christo decertarunt; 3. *non habebant usum vitae*, et pro Christo mortui sunt.

1. Ut quis martyris nomen et gloriam obtineat, Christum confiteri debet: *martyr enim idem est, quod testis Christi* (Hugo Card. in 2 Matth.); idest testis qui Christum, vel Christi fidem confiteatur. Si autem, ut quis vere sit martyr, Christum confiteatur necesse sit, quomodo et quo titulo mar-

tyres dicentur pueri, qui pro Christo occisi sunt, cum carnerint usu linguæ, qui illum confitentur? Sunt equidem vere Christi martyres, quia illum non verbis, at passione confessi sunt: *Christum confitentur tacentes*, ait S. Petrus Chrysologus (ser. 153). Angeli, pastores, reges, Simeon et Anna Christum natum testati et confessi sunt loquendo; pueri vero tacendo et sanguinem pro illius gloria fundendo: *parvuli*, inquit D. Cyprianus, *dum vias Christi et pro Christo detruncantur, testimonium, quod nondum poterant sermone, perhibent passione* (Tr. de stella et Magis). Hi pueri Christum hand poterant sermone confiteri, cum adhuc loquelæ usu non fruerentur, illum confitentur passione, seu pœnis quas pro illo patiuntur. Miror D. Augustinum dicentem, hos pueros Christum confessos esse antequam loquerentur: *nondum loquuntur et Christum confitentur* (de symb. ad catech., 1, 4): cum enim minime loquuntur, quomodo illum confitentur? dum vero confitentur, quomodo non loquuntur? Certe non loquuntur et tamen illum revera confitentur, quia illum silentes et tacentes confitentur; nam sicut Christus a stella, quam S. Gregorius *elementum matutinum* vocat, regibus voluit prædicari; ita voluit, quod pueri illum tacentes confitentur: et sicut hæc stella, licet loquelæ incapax, motu, luce et figura sua Magis indicavit et annunciavit, venisse Messiam, quem expectabant; ita, licet hi infantes verbis Christum confiteri non valerent, eum passionibus suis confessi sunt, in quantum pro illius defensione multa et gravia sunt perpassi tormenta; *nondum loquuntur et Christum confitentur*. In epistola hodiernæ festivitatis hæc leguntur verba: *ecce Agnus stabat supra montem Sion, et cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen ejus et nomen patris ejus scriptum in frontibus suis* (Apoc. 14). Hæc multitudo signantur Innocentes martyres, qui omnes in frontibus suis deferebant nomen Christi Agni sine macula; non illud deferebant in ore, cum loqui nequirent; illud deferebant in fronte, quasi per hoc dixissent satellitibus: loqui non possumus, tamen videte in frontibus nostris scriptum nomen illius, quem confitemur; hic legite et scitote, quod pro illo

stemus et pro illo moriamur. Ecce martyres mirabiles, qui earent usu loquelæ et Christum confitentur; notate etiam martyres admirabiles, quia non habent usum manuum et pro Christo decertant.

2. Omnes martyres sunt Christi milites; hi sunt sancti milites, quibus Deus suam circumdedit Ecclesiam: *circumdabo domum meam ex his qui militant mihi* (Zach. 9); hi sunt milites, qui pro Christi fide strenue pugnarunt et de tyrannis gloriose triumpharunt; Innocentes pueri habentur martyres admirabiles, qui licet imbelles et ad pugnam penitus inepti videantur, cum manibus nequaquam uti valeant, pro Christo tamen fortiter pugnant: *nedum motibus membrorum valent suscipere pugnam*, inquit Augustinus, *et jam victuri efferrunt palmam* (de symb. ad catech.). Reges et principes ad sui custodiam deputatos habent milites, qui ubique eos armis suis tueantur et ab hostibus defendunt; Christus pariter, qui est *Rex regum*, in nativitate sua milites habere voluit, qui illum custodirent et ab Herodis persecutione defenderent, pueros scilicet, qui a S. Chrysologo vocantur *Christo dicati milites*. Christo nascenti deputati sunt angeli, ut ejus laudes decantarent; auditi enim sunt canentes: *gloria in altissimis Deo*. Pueri vero delegati sunt non ut cantorum, potius ut militum fungerentur officio, atque ita ad Christi custodiam sui destinati; quod mirum vero, inquit Chrysologus, hi pueri prius pro Christo pugnare, quam manibus ludere sciverunt: *Christo dicati milites, cooperant ante pugnare, quam ludere*. Nondum manibus sciebant matrum attractare genas, intricare crines, palpare mammæ, aliosque infantiles efformare ludos et pro Christo decertare sciebant: *cooperunt ante pugnare, quam ludere*. Jam vero quomodo hi pueri pro Christo decertarunt? Non quidem manibus, verum propria gladius exponendo corpora, ut eum a morte preservarent; Herodis enim satellites in quolibet puero Christum necare expetebant; at pro Christo Christi militem occidebant, qui corpus suum pro ducis et regis sui Christi salute exposebat. Unde gloriosior istorum, quam aliorum martyrum exitit pugna, dum alii non pugnarunt pro Christi persona, ut eum a morte

eximerent, solum pro fide Christi sanguinem fuderunt; Innocentes vero pro persona Christi et ut ipsum a morte praeservarent, decertarunt, suaque corpora tradiderunt. O gloriosam et mirabilem horum puerorum pugnam. S. Petrus Chrysologus hos pueros vocat *Christo coaetaneum exercitum* (ser. 150). Dabantur auctores quoniam praecise tempore facta fuerit Innocentium stragos? Cardinalis Baronius primo a Christi nativitate anno occisos putat; Hugo Cardinalis post annum et quatuor a Christi nativitate dies Herodem in pueros descivisse censet; Lyranus vero, Tostatus et alii non pauci pueros eadem duobus solum a Christi nativitate annis factum fuisse arbitrantur: unde pueri biennales Christo biennali erant coetanei et ideo Chrysologus hos pueros *Christo coaetaneum exercitum* vocat. Quis autem censendus est ille exercitus ex biennialibus ad summum pueris compositus, qui nondum manibus ad ludentium et contrectandum valent? Ingeus quidem, nobilis et fortis est ille exercitus, cuius omnes milites, ut ait S. Petrus Chrysologus, pro Christo rege suo pugnant, propriamque vitam offerunt, ut eum a morte vindicent: *coorta regi cohortis sua, magis praemori, quam commori tota gessit* (ser. 53). O gloriosos milites, o martyres mirabiles, qui nondum habentes usum manuum, pro Christo decertarunt! et qui cum non haberent vitae usum, pro Christo mortui sunt.

3. Mors est martyrii consummatio: dicuntur martyres, qui propter Deum sustinent mortem (S. Anton. 3 p., 31, 9); non sufficit ad hoc, ut quis vere sit martyr, quod pro Christo dira patiat, si pro illo non moriatur, quia mors est ultimum martyrii complementum; parvulis autem Innocentibus mors non deficit, atque ideo censentur martyres mirabiles, qui mortem passi sunt, antequam vitae usum haberent: *sumpservunt mortem qui vivere nesciunt* (Chrysol. ser. 152). Carnificibus hi ardebant parvuli, gladiis adjobabantur; flebant matres, illi ridobant; eos abscondabant parentes et hi clamoribus se manifestabant, quia nondum a viverent, noverant, seu vite rationalis nullum usum habebant; vivebant quidem vita animali, non vita rationali; et antequam istius vite usu pollerent, pro Christo mortem passi sunt: *sumpservunt mortem, qui vivere nesciunt*.

Cum in hodierno Evangelio parvulorum caedes enarratur, dicitur tantum extitisse Rachelis ploratum et ululatum, ut in Rama audita fuerit: *vox in Rama audita est, ploratus et ululatus multus, Rachel plorans filios suos et noluit consolari, quia non sunt* (Matth. 2, 18). Quomodo Rachel, a tot saeculis mortua filios suos plorare poterat? Per Rachelem intelliguntur tribus Joseph et tribus Benjamin, quae ex Rachele venerant, sicut et tribus Juda venit ex Lia Rachelis sorore. Audita ergo est vox Rachelis, idest vox hominum et mulierum, qui erant ex tribus Joseph et Benjamin, plorantium filios suos et ita eos plorantium, ut consolari rennerent. Hi non plorabant filios Liae, seu pueros tribus Juda, quos occiderat Herodes; proprios deflebant filios, quos Herodis ferrum non attigerat. Eccc eas ita deflebant, ut nullum solatium percipere possent? Ratio habetur in Evangelio, ubi dicitur: *noluit consolari, quia non sunt*. Filios amare deflebant, quia eorum filii non erant: *quia non sunt*. Ecce rationem, obscuram tamen: verum enim est, quod filii Liae, qui occisi fuerant ab Herodis satellitibus, tunc non erant, et filii Rachelis, qui occisi non fuerant, tunc erant; si ergo essent et viverent, cur eos flet Rachel, quia non sunt: et *noluit consolari, quia non sunt*? Praeclare respondet Origenes, Rachelem, seu duas tribus, quae ex Rachele originem duxerant, suos plorare filios, *quia non sunt* pro Christo mortui in annis puellaribus, sicut filii Liae, qui erant ex tribu Juda; *deflevit Rachel, quod non suis contigerit pro Christo mori, et illos, quasi non essent, existimavit* (hoim. 3 de divers.). (1). Filii Liae, seu pueri Bethlehem lucis primo in limine et antequam vite usum haberent, pro

(1) Haec quidem et pene singularis Origenis interpretatio: communiter Patres et Doctores docent bethlemitarum ploratus et ululatus analitos fuisse propter infantes necatos, non propter servatos a caede. Eorum matres autem rennerunt consolari, quia tum crudeliter necatos viderunt, sequae orbatus unico solamine, quod a spectabant. Ceterum si quis sensus mysticis et accommodativis in S. Scriptura requirat, ipsi facile dabitur, modo nimis a litterali sensu non aberret, nec absorta profert. N. E.

Christo mori et martyres fieri meruerunt: *sumpserunt mortem qui vivere nesciunt*. Lacrymatur autem, gemit et ululat Rachel, quod filii sui eandem gloriam non habuerint, quodque in cunis occidi et sicut Bethlehemite pro Christo mori non meruerint. Iusta quidem Rachelis afflictio; gaudere autem debet Lia, letari debent mulieres Bethlehemite, eo quod illarum filii, antequam lucis et vitæ usum habuerint, pro Christi gloria sanguinem fundere et martyres fieri meruerint: *sumpserunt mortem qui vivere nesciunt*. Ecce quales fuerint sancti Innocentes in Judæa; contemplerur jam eos in lymbis et ens ibi præcursores gratissimos fuisse dicamus.

II PARS.

Innocentes in lymbis fuere præcursores gratissimi.

Innocentes martyres immediate post mortem ad lymbos descendunt, simul ut ibi expectarent redemptionem Israël, et erga illos qui ibi morabantur, nunciorum et præcursorum fungerentur officio, et reuera tamquam præcursores gratissimi eisdem Messia. 1. adventum annuauerunt; 2. virtutes narraverunt; 3. mirabilia prædicaverunt.

1. Christus Dominus nuncios misit, ut nativitatem suam regibus, pastoribus et sanctis Patribus in lybo existentibus manifestaret. Regibus misit stellam novam, quæ, ut ait sanctus Augustinus, fuit *lingua colorum*, qua Deus his principibus annuauerunt venisse Messiam, quem expectabant, de quo propheta tot mirabilia prædixerunt. Pastoribus misit angelum, qui eos noctu gregi suo invigilantes invenit, et dixit eis: *Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: qui natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David* (Luc. 2). Ad Patres autem in lymbis degentes non unicum stellam, nec unicum angelum, verum quatuordecim millia puerorum delegavit, qui veluti prænunci et præcursores, jamdiu expectatum venisse et in Bethlehem

natum esse Messiam iis declararunt. Quilibet ex his pueris dicebat sanctis Patribus: *annuncio vobis gaudium magnum, quia natus est vobis Salvator*; quilibet erat præcursor a Christo missus, ut suum iis adventum patefaceret. Postquam pastores Christum in Bethlehem adoraverunt, reversi ad propria, multi ab iis seiscitabantur, quis esset ille puer quem viderant: *quem vidistis, pastores, dicite, annunciate nobis, in terris quis apparuit?* (in *Off. Nativ. D.*). Sanctus Vincentius Ferrerius pueris lymbum ingredientibus idem accidisse dicit: cum, inquit, qui in lybo erant, tot pueros simul venientes viderunt, ab iis petierunt, unde venirent et quid novi afferrent? Pueri vero, qui in hoc mundo minime loquebantur, nec rationis usu polluerant, tunc a Deo illustrati, loqui coeperunt, iisque Christum verum Messiam venisse annuauerunt. Christi adventum anxie expectabant sancti Patres: modo ipsum enixe deprecabantur, ut cito veniret: *veni, Domine, et noli tardare*: modo Deum rogabant, ut illum mitteret: *emite Agnum, Domine, dominatorem terre*; modo autem ad coelos suas dirigebant preces et ab iis petebant, ut pluerent justum, cujus adventu et pietate salvarentur: *rorate caeli desuper et nubes pluant justum*. Ipsi tandem qui Christi meritis e subterraneo illo carcere eripi et ad celestia regna introduci inhabant, illum, ut ait D. Augustinus, *lacrymabili obsecratione orabant, ut veniret* (ser. de resur.). Quale ergo eorum fuit gaudium, cum audierunt pueros asserentes jam venisse Messiam, pro cuius gloria occubuerant! *Quale gaudium fuit sanctis Patribus*; inquit S. Vincentius Ferrerius, quam bene accepta fuit horum infantum legatio, et quam pergrati extiteret Innocentes hi præcursores, qui sanctis Patribus annuauerunt adventum Christi! *Et qui eis etiam Christi virtutes narraverunt.*

2. Angelus ad pastores missus dum illis venisse Messiam annuauerunt, iis etiam virtutes ejus enarravit; dum eisdem declaravit venisse Salvatorem, tot insuper et heroicis, quibus florebat, virtutes iis manifestavit: *invenietis*, inquit, *infantem pannis involutum et positum in præsepio* (Luc.

2); quasi diceret: tanta hujus est Salvatoris charitas, ut cum Deus esset, pro nobis homo fieri voluerit: *invenietis infantem*. Tantus quoque ejus est erga paupertatem affectus, ut cum dives esset et Dominus omnium, vilibus et humilibus pannis ad instar pauperuli involvi passus sit: *pannis involutum*. Tanta demum ejus est humilitas, ut cum esset *Rex regum* a regio et caelesti suo throno ad vile praesepeium inclinari non dedignatus sit: *et positum in praesepeio*. Similem in modum Innocentes pueri lybmo intrantes, Patribus non solum Messie adventum annunciarunt, verum et ejus virtutes eis enarrarunt, dicentes: Messias qui natus est in Bethlehem et pro cujus causa passi sumus, est rex mansuetus et princeps pacis; est *Pontifex sanctus, innocens, impollutus et segregatus a peccatoribus* (Heb. 7, 26); est omnium hominum sapientissimus, humilissimus et benignissimus; charitatem, patientiam, obedientiam et omnes virtutes in summo gradu possidet, earumque exercitio studiose incumbit et maxime deliciatur. Ad sanctorum Innocentium laudem dicitur, quod *in ore eorum non est inventum mendacium* (Apoc. 14). His in terris mendacium proferre non poterant hi pueri, cum nondum loquerentur; quae ergo est ista eorum laus et commendatio? quae illis gloria, quis honor, ex hoc quod mendacium non dixerint? In adultis loquela usum habentibus alicujus virtutis et pietatis est, quod ab omni abstineant mendacio; in pueris loquendi potestatem non habentibus hoc non virtutis, sed necessitatis est: cur ergo commendantur Innocentes ex hoc quod mentiri non sint: *in ore eorum non est inventum mendacium*? Respondet S. Vincentius Ferrerius, haec verba non referri ad tempus, quo pueri in hoc mundo vivere, sed ad tempus quo in lybmo exsistere; unde, inquit, licet ergum sit hos pueros corporeis linguis non esse locutos, in lybmo tamen locuti sunt, et ut praecursores gratissimi, Messie virtutes delinearent, easque tanta cum sinceritate enarrarunt, ut nullum in tot infantum verbis inventum sit mendacium. O quam pergrati hi fuere praecursores, qui ut Ss. Patres in lybmo detentos consolarentur, iis Messie adventum et virtutes narraverant!

3. De Christo mirabilia praedixerat Isaias, dicens; *parvulus natus est nobis et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus, et vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis* (Isa. 9, 6). Similiter puari Innocentes, lybmo ingredientes, de Christo nato mirabilia narrant et praedicant: *agnoscunt Christum, praedicant Christum*, inquit Chrysostomus, et ut ait sanctus Vincentius Ferrerius, martyrium his pueris fuit baptismus sanguinis, quo loti sunt non solum a macula peccati originalis, verum etiam ab ignorantiae macula; ideoque accepto hoc baptismo, Christum perfecte noverunt et intrantes lybmo, ejus mirabilia predicaverunt: *agnoscunt Christum, praedicant Christum*. Ille parvulus, inquit, qui est in Bethlehem, est princeps omnium regum terrae; reges Magi illum adoraverunt, illicque munera obtulere; angeli obediunt ei, illicque humiliter obsequuntur; eum timet Herodes; in conspectu ejus trepidant daemones; elementa caeli et omnes creaturae ad ejus nutum moventur; ipse est Deus et homo, qui omnia quaecumque vult, facit in caelo et in terra. Haec et alia de Christo mirabilia predicarunt infantes, quae audientes sancti Patres in admirationem rapiebantur; mirabantur super his quae procedebant ex ore illorum puerorum, et mirum in modum gaudebant, cum parvulos hos Christi praecursores sic loquentes audiebant. Cum pastores ex Bethlehem reversi, narrabant mirabilia quae de Christo nato audierant et viderant, omnes qui eos audiebant, mirabantur: *omnes qui audierunt, mirati sunt, et de his quae dicta erant a pastoribus* (Luc. 2). Mirabantur qui pastores audiebant, quia de Christo mirabilia et inaudita simpliciter, absque ulla fictione, narrabant: *mirabantur*, ut explicat Hugo cardinalis, *et de mysterio Incarnationis, et de tanta pastorum attestatione, qui fingere inaudita nescirent, sed simplici facundia vera predicarent*. Eodem prorsus modo mirabantur et gaudebant sancti Patres in lybmo existentes, cum audiebant pueros adventum, virtutes et mirabilia multa de Christo predicantes: *agnoscunt Christum, praedicant Christum*. O quam pergrati et bene accepti porva-

nera in lyngo hi Christi præcursores! quale gaudium fuit sanctis illis Patribus audire, quod venerit Messias quem expectabant, ejus tot virtutes emicabant, et qui tot mirabilia operabatur! o quam jucunde talia audierant! o quam grati fuere præcursores hi, qui talia annunciarunt! Hi autem pueri in lyngo præcursores gratissimi, *in celo sunt etiam Sancti maxime privilegiati.*

III PARS.

Innocentes in celo sunt Sancti privilegiati.

Omnes penitus martyres multis in celo fruuntur privilegiis: ibi enim, ut ait D. Ambrosius, *principes sunt fidei, intercessores mundi, præcones regni, coheredes Dei* (ser. 13). Ibi, docet D. Cyprianus, *martyres cum Christo futuri sunt iudices, ibique fructum centenarium percipiunt* (ep. ad Mart.); et ut asserit S. Augustinus, *magnis in celo honoribus preferuntur martyres* (ser. 9 in Ps. 118). Has et alias prerogativas omnibus martyribus communes, in celo hand dubie possident innocentes, insuper hi pueri inter martyres et inter omnes sanctos singulari privilegio donantur; ipsi namque et ut martyres in celo agnoscuntur et honorantur, ac etiam 1. ut martyrum primitiæ; 2. ut martyrum flores; 3. ut martyrum gloria.

1. In lege veteri homines præcepto suo Deus ad fructum suorum primitias offerendas adstrinxerat: *cum intraveris terram, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi possidendam et obtinueris terram, atque habitaveris in illa, tolles de cunctis frugibus tuis primitias et pones in ear-tallo, pergesque ad locum, quem Dominus Deus tuus elegerit, ut ibi invocetur nomen ejus* (Deut. 26). Ab hac lege penitus liber et immunis fuit Christus, tum quia Deus, tum quia nullam terram frugiferam possidendam accepit in hoc mundo: ipse tamen, ut ait S. Vincentius Ferrerius, hanc perfecte legem adimplevit et Patri æterno mirabiles fructuum suorum primi-

tias obtulit: martyres enim, doctores, confessores, virgines, penitentes et omnes sancti sunt fructus passionum Christi: horum antam fructuum primitiæ sunt pueri Innocentes, quos Christus Patri æterno obtulit: *primitiæ istorum fructuum*, inquit præfatus Vincentius, *fuertunt sancti Innocentes, quos Christus obtulit Deo Patri.* Certum est, Christum speciali amore dilexisse pueros: *amat Christus infantiam, quam primum suscepit. Amat Christus infantiam humilitatis magistræ, innocentæ regulam, mansuetudinis formam* (S. Leo, ser. 7 de Epiph.). Specialem hunc erga pueros amorem varie testatus est Christus, tum eos ad se vocando: *venite parvulos venire ad me*; tum asserendo ipsorum esse regnum colorum: *talium est enim regnum colorum*; tum dicendo, eos in celo fore majores, qui in hoc mundo pueris erant in humilitate similes: *quicumque humiliaverit se sicut parvulus iste, hic major est in regno colorum* (Matt. 18, 4). Cum ergo infantes tanto affectu Christus dilexerit, cur eos ab Herode occidi permisit? Hanc questionem movet S. Petrus Chrysologus (serm. 152), dicens: *Christus futurorum præsciis, consciis secretorum, cogitationum judex, mentium persecutor, quare deseruit, quos sciebat querendos esse propter se, et propter se nocerat occidendos? natus rex celestis, quare neglexit milites innocentæ suæ? coætaneum sibi quare neglexit exercitum? quare cunabulis suis deputatos æcubias sic reliquit, ut regem solun questiturus hostis, totus grasseretur in militem? Ecce questionem perspicue propositam, quam ipse Chrysologus solvit, dicens, Christus hos non contempsisse pueros, imo eos sublimasse: *fratres, Christus non desepxit suos milites, sed procevit.* Quomodo hos Christus procevit pueros, quos Herodis et satellitum furori exposuit? Hos ita procevit et sublimavit, ut eos primitias martyrum esse voluerit, eosque Patri æterno, ut primitias fructuum suorum obtulerit: *primitiæ istorum fructuum fuerunt sancti Innocentes, quos Christus obtulit Patri.* O magnum illorum innocentium privilegium, qui primitiæ martyrum exitere! *Magnum pariter, quia flores martyrum noscuntur.**

2. Hos pueros, non solum martyres, etiam martyrum flores vocat, et ut tales sancta veneratur Ecclesia: *salvete flores martyrum*. Hi fuere martyrum flores, quos, ut ait D. Augustinus, *quodam persecutionis pruina decovit* (ser. 3 de Innocent.). Hi fuere flores albi ratione innocentiae et purpurei ratione sanguinis, quem pro Christo effuderunt: *candore rubro splendescetes propter candidam etatem et sanguinem passionis*, inquit idem Augustinus (ser. 8 de Sanct.). Hi tandem suavissimi odoris flores exiterunt, quos Christus nascentes aeterno Patri obtulit. Plinius testatur, quod diis antiquitus pulcherrimi juncorum flores offerrebantur, ex quibus ipsi coronari solebant, eo quod, ut tradit Clemens Alexandrinus, nunquam marcescunt et semper virorem conservant; pulchriores autem aeterno Patri flores hodie offert Christus, innocentes scilicet martyres, qui sunt flores suavissimum sanctitatis odorem emittentes et qui aeternum in caelo immarcescibiles conservantur. Unde merito cum venerabili Beda dicere possumus quod *paradisus habet flores suos* (ser. 8 de Sanct.): flores enim paradisi sunt sancti Innocentes, qui hodie in caelitus terra apparuerunt: *flores apparuerunt in terra nostra* (Cant. 2). Flores paradisi sunt hi pueri, qui in caelo Christi, pro cuius gloria mortui sunt, bonus odor extiterunt: *Christi bonus odor sumus* (2 Cor. 2, 15). Hi tandem Innocentes sunt flores admirandi, ex quibus Christus, quasi sericum compositus, ut illud aeterno Patri offerret. O quales flores habet paradisi, et o quam privilegiati sunt hi pueri, qui in caelo sunt flores martyrum, ac etiam gloria martyrum.

3. Hi pueri inter martyres non solum sunt primi ratione temporis, quo passi sunt, etiam ratione loci, quem occupant et sedium caelestium, ad quas a Christo sunt sublimati. Sic sentit D. Cyprianus dicens: *in ordine sanctorum hi protomartyres primum habent locum, et secretorum conscii divinatorum, propinquitate familiarissima clementiam Dei nobis exorant* (Ubi sup.). Ne credatis, ait idem Cyprianus, hos pueros primas non occupare sedes: *sunt enim superni Capitoli senatores et iudices*. Nec mirum si tantam horum puerorum in

caelo gloriam esse censeat D. Cyprianus, cum Christi erga illos pueros maxima fuerit dignatio; majorque fuit Christi bonitas ad eos sublimandos, quam Herodis malitia ad eos deprimendos: *an forte minor Christi pietas, quam Herodis impietas?* inquit S. Bernardus. Sicut ergo Herodes eos in hoc mundo deprimere et quasi annihilare studuit, ita et Christus eos ad primas coelitus sedes sublimavit. Quod facile credo, cum audio Chrysologum dicentem, hos pueros fuisse gratiae martyres: *vere, vere, fratres, isti sunt gratiae martyres*. Hi non sunt martyres in rigore et ex propriis meritis; atvero ex bonitate extraordinaria Dei eorum poenas acceptantis ac si voluntarie pro Christo passi essent. Si autem hi sunt martyres gratiae et ex mera gratia, cur etiam non fatebimur Christum ex mera gratia illos ad supremas beatorum sedes sublimasse? *hi certe protomartyres primum habent locum*. Ecce quales hi fuerunt pueri in Iudaea, in lybmo et in caelo: *in Iudaea fuere martyres admirabiles*, qui non habebant usum linguae et Christum confessi sunt; carebant usu manuum et pro Christo decertarunt; non pollebant usu vitae et pro Christo mortui sunt: *in lybmo fuere precursores gratissimi*, qui Patribus ibi existentibus Messiae adventum annuclaverunt, virtutes nararaverunt et mirabilia praedicaverunt: *in caelo tandem sunt sancti privilegiati*, quia ibi sunt primitiae, flores et gloria martyrum. Ecce quae ad sanctorum Innocentium laudem dicenda proposueram; nunc aliquid ad nostri utilitatem dicendum superest, quod fiet duplici consideratione. *Prima consideratio* erit de justo Dei iudicio, qui Herodem reum dire puni et pueros innocentes gloriose praemiavit. In Herodem infanticidam et quantum in ipso erat, Christicidam ita Deus dasevit, ut brevi post infanticidium tempore, febri, tussi, dysenteria, hydropsi, podagra, morbo pediculari, astmate et foetoro intolerabili percussus, animam exhalavit, quae aeternum crucianda inferni tortoribus tradita est; pueri vero, qui pro Christo passi sunt, in universa honorantur Ecclesia et in caelo gloriose coronantur. Ecce variam Herodis et Innocentium sortem; et ecce etiam communem aliorum innocentium et persecutorum sortem. In hoc mundo iusti

et innocentes habentur ut omnium peripsema, aestimantur tamquam oves occisionis; eos persequuntur et opprimunt impii: brevi autem justo Dei iudicio hi pauperum, pusillorum et innocentium persecutores æternis tartari addicentur suppliciis; innocentes vero et iusti, si æquanimitè pro Dei gloria persecutiones perpessi fuerint, et si in iustitia sua steterint, in celo cum Ss. Innocentibus æternum præmiabuntur: *beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum celorum.* Timete ergo, o Innocentium persecutores; o contra gaudete, qui persecutionem patimini. *Secunda* consideratio erit de invocatione sanctorum innocentium, qui apud Deum sunt potentissimi: si enim unius sancti, unius angeli, vel etiam unius hominis iusti preces apud Deum acceptæ sunt et efficaces; quante virtutis et efficacis apud Deum erunt preces Ss. Innocentium, quorum numerus est ad minus quatuordecim milium, qui omnes iusti et sancti sunt? si etiam duo ac tres in nomine Christi congregati, a Deo obtinent quiddam postulant, quid pro nobis non obtinebunt tot sancti simul congregati, si pro nobis intercedant? Certe, ut ait divus Cyprianus, hi innocentes ita apud Deum potentes sunt, ut veniam et gratiam obtineant his etiam qui non merentur: *hi, inquit, superni Capitolii senatores et iudices nonnullis veniam obtinent immeritis* (Ubi sup.). Itaque ad eorum accurramus patrocinium, eosque sedulo invocemus et precipue pro obtinenda peccatorum venia: quia *veniam obtinent etiam immeritis.* Dicebat Cain: *major est iniquitas mea, quam ut veniam merear* (Gen. 4, 13): multi quidem, non minus quam Cain, omni venia indigni sunt, quia gravibus, iteratis et inveteratis inquinantur criminibus. Verum o fratres, quantumvis enormia et antiquata vestra sint scelera, sperate in Domino et ad ejus impetrandam gratiam innocentes martyres invokeate; enixe eos rogate, ut pro vobis apud Deum intercedant; ique vobis, licet immeritis, peccatorum vestrorum veniam, gratiam et æternam felicitatem obtinebunt. Amen.

DE CIRCUMCISIONE CHRISTI.

CONCIO PRIMA.

Postquam impleti sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus JESUS (Luc. 2).

In veteri Testamento circumcisio lex erat, sacramentum et ceremonia. Circumcisio *lex erat* ad cujus observationem tenebantur omnes Judæi; *sacramentum erat*, cujus virtute delabatur peccatum originale (1); et *ceremonia erat*, quia Judæi a Gentilibus distinguebantur. Hæc quidem lege non ligabatur Christus, qui est rex et legislator noster; ad hoc sacramentum recipiendum non tenebatur Christus, qui est agnus sine macula, omniumque author sacramentorum; et probrosæ, ne non duræ huic ceremoniæ minime subdebatur Christus, qui ab omni peccato liber et a peccatoribus totaliter segregatus fuit; nihilominus absque ulla mora, tempore a lege præscripto circumcidi et dicitur hujus ceremoniæ cultro ferri voluit: *postquam impleti sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus JESUS.* Contemplerur hodie puerum Jesum inter manus ministri illum circumcidentis; ibi præsons aderat sanctus Joseph, qui amare flebat, videns quanta pateretur dilectus Filius; ibi erat et Maria, *que in panno de lino recipiebat sanguinem circumcisionis* (S. Vincen. Ferr. ser. de Circumc.); ibi adæmus et nos in spiritu, tantumque mysterium

(1) Circumcisio, ut ait D. Thomas (3 p. q. 68, a. 6) conferebat gratiam et erat meritoria ex opere operante tantum, id est in quantum erat fides signum de passione Christi futura, non autem ex opere operato, id est ex virtute circumcisionis. Ex quo patet maxime differre circumcisionem a baptismo Christi quoad virtutem delendi peccatum originale. N. E.

et innocentes habentur ut omnium peripsema, aestimantur tamquam oves occisionis; eos persequuntur et opprimunt impii: brevi autem justo Dei iudicio hi pauperum, pusillorum et innocentium persecutores æternis tartari addicentur suppliciis; innocentes vero et iusti, si æquanimitè pro Dei gloria persecutiones perpessi fuerint, et si in iustitia sua steterint, in celo cum Ss. Innocentibus æternum præmiabuntur: *beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum celorum.* Timete ergo, o Innocentium persecutores; o contra gaudete, qui persecutionem patimini. *Secunda* consideratio erit de invocatione sanctorum innocentium, qui apud Deum sunt potentissimi: si enim unius sancti, unius angeli, vel etiam unius hominis iusti preces apud Deum acceptæ sunt et efficaces; quante virtutis et efficacis apud Deum erunt preces Ss. Innocentium, quorum numerus est ad minus quatuordecim milium, qui omnes iusti et sancti sunt? si etiam duo ac tres in nomine Christi congregati, a Deo obtinent quiddam postulant, quid pro nobis non obtinebunt tot sancti simul congregati, si pro nobis intercedant? Certe, ut ait divus Cyprianus, hi innocentes ita apud Deum potentes sunt, ut veniam et gratiam obtineant his etiam qui non merentur: *hi, inquit, superni Capitolii senatores et iudices nonnullis veniam obtinent immeritis* (Ubi sup.). Itaque ad eorum accurramus patrocinium, eosque sedulo invocemus et precipue pro obtinenda peccatorum venia: quia *veniam obtinent etiam immeritis.* Dicebat Cain: *major est iniquitas mea, quam ut veniam merear* (Gen. 4, 13): multi quidem, non minus quam Cain, omni venia indigni sunt, quia gravibus, iteratis et inveteratis inquinantur criminibus. Verum o fratres, quantumvis enormia et antiquata vestra sint scelera, sperate in Domino et ad ejus impetrandam gratiam innocentes martyres invokeate; enixe eos rogate, ut pro vobis apud Deum intercedant; ique vobis, licet immeritis, peccatorum vestrorum veniam, gratiam et æternam felicitatem obtinebunt. Amen.

DE CIRCUMCISIONE CHRISTI.

CONCIO PRIMA.

Postquam impleti sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus JESUS (Luc. 2).

In veteri Testamento circumcisio lex erat, sacramentum et ceremonia. Circumcisio *lex erat* ad cujus observationem tenebantur omnes Judæi; *sacramentum erat*, cujus virtute delabatur peccatum originale (1); et *ceremonia erat*, quia Judæi a Gentilibus distinguebantur. Hæc quidem lege non ligabatur Christus, qui est rex et legislator noster; ad hoc sacramentum recipiendum non tenebatur Christus, qui est agnus sine macula, omniumque author sacramentorum; et probrosæ, ne non duræ huic ceremoniæ minime subdebatur Christus, qui ab omni peccato liber et a peccatoribus totaliter segregatus fuit; nihilominus absque ulla mora, tempore a lege præscripto circumcidi et dno hujus ceremoniæ cultro ferri voluit: *postquam impleti sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus JESUS.* Contemplerur hodie puerum Jesum inter manus ministri illum circumcidentis; ibi præsons aderat sanctus Joseph, qui amare flebat, videns quanta pateretur dilectus Filius; ibi erat et Maria, *que in panno de lino recipiebat sanguinem circumcisionis* (S. Vincen. Ferr. ser. de Circumc.); ibi adæmus et nos in spiritu, tantumque mysterium

(1) Circumcisio, ut ait D. Thomas (3 p. q. 68, a. 6) conferebat gratiam et erat meritoria ex opere operante tantum, id est in quantum erat fidei signum de passione Christi futura, non autem ex opere operato, id est ex virtute circumcisionis. Ex quo patet maxime differre circumcisionem a baptismo Christi quoad virtutem delendi peccatum originale. N. E.

monte serio revolramus, ut ex ejus consideratione spirituale aliquod eliciamus emolumentum. *Ave.*

Quamvis in omnibus divinis mysteriis nobis ab Ecclesia propositis, admirandi, amandi et imitandi rationes facile inveniri possint, S. Bernardus tamen in natali Christi die nos specialiter ad admirationem, amorem et imitationem invitat: *in nativitate Domini, fratres, habemus quod miremur, quod amemus, quod imitemur* (ser. de Circumcis.). Quod de Christi nativitate dixit Doctor Mellifluis, dicam et ego de ejus circumcissione, in qua mirabilia, amabilia et imitabilia adnoto: in circumcissione enim Christus vocatur Jesus, quod est nomen super omne nomen; *quid mirabilius?* In circumcissione gladio petri no ferit Christus et pretiosum pro nostra salute sanguinem effundere incipit; *quid amabilius?* In circumcissione tandem multos eosque peraximos virtutum actus elicit Christus; *quid imitabilius?* Contemplamur ergo nomen quod Christus recipit, sanguinem quem fundit et virtutum actus quos elicit: contemplamur nomen quod recipit et admiremur; sanguinem quem fundit et amemus; virtutes quas elicit et imitemur. In circumcissione 1. Christus vocatur Jesus; *est quod admiremur*; 2. Christus sanguinem fundit; *est quod amemus*; 3. Christus virtutes elicit; *est quod imitemur.*

I PARS.

In circumcissione Christus vocatur JESUS; est quod miremur.

Collectanti Jacob dixit angelus: *cur quæris nomen meum, quod est admirabile* (Gen. 32, 29); quæ verba de Christo supremi consilii angelo explicans divus Bernardinus, ait, ejus nomen ita esse admirabile, ut propheta volens et nesciens explicare mirabilia ejus, quasi subsistens in illo nomine, dixerit: *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in univèrsa terra* (Ps. 8). Multa quidem mirabilia in sanctis-

simo hoc elucet nomine; est tamen specialiter quod miremur: 1. ejus virtutem et fortitudinem; 2. ejus suavitatem et dulcedinem; 3. ejus fructum et utilitatem.

1. Falleris, inquit divus Bernardinus, qui putasti nomen Jesu non habere virtutem et fortitudinem divinam: habet enim *virtutem admirabilem adversus demones* quos fugat, quibus est terribile et cujus virtute facillime de his quisque triumphare potest. Lucifer superbia tumescens, dicebat: *In cælum conscendam, super castra Dei exaltabo solium meum et similis ero altissimo* (Is. 14, 53); sanctus Michael cum angelis bonis a Dei partibus stans, contra luciferum et ejus sequaces fortiter pugnavit, illos debellavit et in infernum præcipitavit: *factum est prælium magnum in cælo; Michael et angeli ejus præliabantur cum dracone et draco pugnat et angeli ejus; et non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cælo et projectus est draco ille magnus* (Apoc. 12). O gloriosum sancti Michaelis de lucifero et angelis ejus triumphum! jamvero quibus armis et qua virtute Michael de fortissimis illius hostibus triumphavit? Virtute sanctissimi nominis Jesu. *Existimo*, inquit divus Bernardinus, *quod angeli boni dicebant, vivat Jesus, vivat Jesus et ad vocem hujus nominis demones resistere non potuerunt, quin de paradisi apice in abyssum caderent* (t. 4, ser. 41). Christo dicebant apostoli: *Domine, etiam demonia subjiciuntur nobis in nomine tuo*; Christus autem respondit: *Videbam satanam sicut fulgur de cælo cadentem* (Luc. 10, 17, 18). Illa Christi responsio prima fronte ad rem non esse videtur; illam tamen interrogationi optime congruere ait sanctus Bernardinus: *respondit Christus*, inquit, *videbam satanam sicut fulgur de cælo cadentem, quasi diceret; ne miremini, si in virtute mei nominis expellitis demonia, quia in nomine meo fuere expulsa de paradiso, ruendo tamquam fulgur, quod uno impetu descendit*. O quam admirabile est nomen JESU, cujus virtute Michael de Lucifero et aliis sanctissimi triumphavit! est etiam admirabile, quia sanctissimi hujus nominis virtute et potestate de demonibus quisque facile triumphare

potest, si illud devote pronunciet et ferventer invocet. Sanctum esse et terribile Christi nomen ait propheta: *sanctum et terribile nomen ejus*. Est sanctum in se et terribile demonibus: quum enim sanctum illud nomen pie invocamus, contremiscent et fugiunt demones; *nequeunt*, ut ait S. Bernardinus, *damnata tarfaree noctis phantasmata tanti nominis lucem, tantique odoris fragrantiam spurcissimi spiritus illi, atque tantam potestatem JESU Christi nominis sustinere*. Quapropter sic hortatur S. Laurentius Justinianus, *si tentaris a diabolo, JESU nomen edicito et repente gratiam consequeris (de Circumcis.)*. Vel, ut ait sanctus Antonius Paduanus, *cum tentaris a diabolo, dic ei, in nomine JESU, qui imperavit ventis, recede a me et sic victor evades* (serm. Dom. 5 post Ep.). David, acceptis in pera sua quinque lapidibus de torrente, perrexit adversus Goliath Philistæum, eumque debellavit; sic et nos accipiamus quinque lapides de torrente, id est, quinque litteras nominis JESUS et eamus confidenter adversus Philistæum, seu contra demonem pugnaturi, et invocato illo nomine, de infensissimo illo hoste gloriose triumphabimus. *Dic ei in nomine JESU, qui imperat ventis, recede a me et victor evades*. O mirabilem sanctissimi nominis JESU virtutem! O nomen etiam admirabile ratione suavitatis et dulcedinis ejus.

2. Equidem impii, qui tetantur cum malefecerint et exultant in rebus pessimis (Prov. 2), nullam dulcedinem, nullamque consolationem spiritualem percipiunt ex frequenti pronunciatione et meditatione sanctissimi nominis JESU, quia, ut ait sanctus Bernardinus Senensis, delectatio est convenientis cum conveniente; ac proinde, quia Jesus est pax qua exsuperat omnem sensum, non sapit superbo, qui semper jurgia querit: quia Jesus est munditia summa, non sapit luxurioso, qui semper mente et corpore querit in luxuria delectari et involvi: quia Jesus est summa liberalitas, non sapit avaro, qui temporalium insatiabili cupidine flagrat: quia est summe mitis, non sapit turbulento et iracundo: quia est summa lætitia, non sapit acidioso et spiritui tristi: quia est charitas consummata, non

sapit invidioso: quia quoque est temperantia summa, non sapit ingluviæ dedito, cujus deus venter est. Cui ergo sapit sanctissimum nomen JESU, cum his omnibus non sapiat? Sapit, ut subdit idem S. Bernardinus, *animæ mundæ; animæ sanctæ; animæ charitatè fervidæ: quia talis cum propheta Abacuc dicere potest, ego autem in Domino gaudebo et exultabo in Deo JESU meo*. De sanctissimo nomine JESU sicut de manna Hebræorum loqui possumus; manna enim malis hominibus suave non erat et ideo illud fastidiebant: *anima nostra jam nauseat super isto cibo levisimo* (Num. 21). Justis autem manna erat alimentum suavissimum, et ut in Libro Sapientiæ (16, 20) legitur, erat panis celestis omnem habens suavitatem: *omne delectamentum in se habentem et omnis sugaris suavitatem*. Mirabantur manna Judæi, dicentes: quid est hoc? et nobis pariter subest quod sanctissimum nomen JESU miremur, quia non secus ac manna, adorandum hoc nomen non peccatoribus, verum justis est suave. Cum voluptuosi, superbi et alii peccatores illud pronunciant, nauseant super illo; homines justi autem, qui Christum amant et qui ab eo accepta beneficia sæpe recolunt, mirabilem ex sacri illius nominis pronunciatione et meditatione consolationem eliciunt. Tanta extitit interior consolatio divi Pauli sacrum illud nomen pronuncians, ut de eo dicat divus Hieronymus, quod *superflue et extraordinarie* (in ep. ad Ephes.) illud pronunciaverit. Dixit *superflue et extraordinarie*, quia, ut advertit Genebrardus, divus Paulus in suis Epistolis nomen JESU quingentias usurpat et milles forte illud quotidie proferebat. Divus Augustinus sancti hujus nominis dulcedinem mirabatur et ex ejus consideratione totus rapiebatur, dicens: *O nomen dulce! nomen delectabile! nomen bonæ spēs!* (in Soliloq.). Quanta erat consolatio et quasi ebrietas spiritualis sancti Bernardi sanctissimum illud nomen contemplantis et devote pronuncians! tanta quidem, ut non nostris, sed ejus solum verbis eam explicare valeamus: *aridus, inquit, mihi est omnis animæ cibus si non oleo isto infunditur; insipidus est, si non hoc sale conditur. Si scribas, non sapit mihi, nisi legero ibi Jesum;*

si disputes, aut conferas, non sapit mihi, nisi sonuerit tibi Jesus. Jesus mel in ore, in aure melos, in corde jubilus. Idem Bernardus illud vocabat *nomen dulce, nomen consolationum*. Tantam in sancta illius nominis pronuntiatione experiebatur suavitatem sanctus Franciscus, ut eo prolato, labia lamberet. Illud divus Bonaventura mel effusum vocabat: *mel effusum nomen tuum* (ser. 4 de Circumc.). Illud mellifluum dicebat sanctus Laurentius Justinianus: *mellifluum nomen Jesu* (ser. de Circumc.). Miramini suavitatem et dulcedinem, sanctissimi hujus nominis, quæ est *dulcedo dulcissima, per quam omnia amara dilecorantur*, ut ait sanctus Augustinus. Miramini hoc nomen etiam admirabile ratione fructus et utilitatis, quam *æ ejus frequenti et devota prolatione elicere possumus*. Varias utilitates ex sanctissimi hujus nominis pia prolotione et invocatione manantes enumerat D. Bernardus: *nihil, inquit, ita iræ impetum cohibet, superbiæ tumorem sedat, sanat sivaris cultus, restringit luxuriosum fluxum, extinguit libidinis flammam, sitim temperat amaritatis; siquidem cum nomino Jesum, hominem mihi propono mitem et humilem corde, qui suo me exemplo suavit et roboret adjutorio* (ser. 15 in Cant.). Doctor Angelicus paucis multis ex pia sanctissimi hujus nominis prolotione venientes fructus complectitur. *Illud nomen, inquit, peccatores justificat, justos letificat, tentatos adjuvat, justis gratiam augmentat et omnes qui ipsum invocant, salvet* (serm. de Circumc.). O mirabiles fructus! quorum præcipuus et qui alios fere omnes includit, est, quod salutem conferat: *omnes qui ipsum invocant, salvat*. Quod quam verum sit constat ex divo Paulo dicente: *Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit* (Rom. 10, 13). Quod de sceleratissimis quibusque etiam in ultime vite periculo versantibus, intelligi debere assertit S. Bernardus: *quicumque, inquit, selectissimus peccator debite invocaverit in ultimo vite nomen Jesu, salvabitur* (ser. 41). Quis homo scelerior Juda, qui Christum tradidit? Nullus quidem, et tamen perfidus hic traditor si Jesum invocasset, salvus factus osset. Perpendite quomodo loquatur ingratus hic apo-

stolus, cum magistrum suum vendidit: *quid vultis mihi dare, inquit, et ego vobis eum tradam?* (Matt. 26, 13). Judas non dixit, et ego vobis *Jesum* tradam, sed, *ego vobis eum tradam*: si enim dixisset, *Jesum*, et debite sanctum hoc nomen invocasset, salutem consecutus fuisset: *Judas dixit eum, non Jesum, quia sacrum illud nomen oderat, et tamen si illud invocasset, non male periisset* (Eutim. in h. verba). Non salvatus fuisset Judas, si labiis dumtaxat sacrum illud nomen pronuntiasset; si vero illud debite invocasset: veniam obtinisset: non enim dixit D. Paulus, omnis qui ore pronuntiaverit; sed *omnis quicumque invocaverit nomen Domini salvus erit*; omnis quicumque invocaverit *per affectum et debitum cultum*, ut exponit Doctor Angelicus. Omnis quicumque invocaverit *sicut invocari debet, scilicet corde, ore, opere, hic salvus erit*, ut explicat Haymo Episcopus Albertstad. O quam mirabiles sunt fructus et utilitates, quas percipiunt qui sanctissimum nomen Jesu invocant! heu tamen quam pauci illud modo debite invocant! illud blasphemant multi, illud pie et religiose pauci invocant. Proh dolor! in nomine JESU omne genu flexi debet, *coelestium, terrestrium et infernorum* (ad Phil. 2, 10), et plurimi sanctum illud nomen non pie invocant et religiose venerantur, at insaniter proferunt et impie blasphemant. S. Paulus in tertium cœlum raptus, exclamavit, *Jesus amor meus* (S. Bern. Senens.) et subito omnes cives cœli genuflexerunt, adorantes Jesum in nominatione illius; in terra sanctissimum illud nomen raro honoratur et sæpe blasphematur. *Jupiter tota die nomen meum blasphematur* (Isa. 52, 5). Heu! quot contra sanctissimum illud nomen blasphemie in vicis, in plateis, in campis et in foris quotidie proferuntur! O quot homines impii nomen tanta veneratione dignum, vel ex prava consuetudine, vel ex malitia, passim et ubique blasphemant! o quam magna est duritia et ingratitude hominum sic blasphemantium! o quanta hebetudo et inertia parentum et magistratum non corripientium filios et subditos sacrum illud nomen blasphemantes? *Si quempiam in foro blasphemantem audieris, inquit Chrysostomus, avidè increpa, et si verbera infligere oportet, ne recuses,*

ipsius faciem alapa percutere, contere os ipsius, percussione manuum tuam sanctifica (ad pop.). Non est blasphemandum sanctum illud nomen, sed admirandum, sed honorandum et ferventer in omni loco, omni tempore et in omnibus actionibus est invocandum: *Jesum voca, Jesum invoca* (S. Bern.). Adhærendum consilio S. Laurentii Justiniani Sermone de circumcissione dicentis: *Si tentaris a diabolo, si ab omnibus hominibus opprimeris, si conficeris egritudine, si doloribus fatigaris, si blasphemias seu desperationis agitaris spiritus, si concuteris formidine, si dubietate pulsaris, Jesu nomen edicito. In arduis, in periculis, in terroribus, in domo, in via, in solitudine, in fluctibus; ubicumque extiteris, Salvatoris profer nomen, non ex ore tantum, sed etiam ex corde.* Ecce que de admirabili nomine Jesu, quod hodie recipit Christus, nobis dicenda erant; nunc de pretioso sanguine, quem fundit, nobis instituendus est sermo.

II PARS.

In Circumcissione Christus fundit sanguinem, est quod amemus.

Sanguinis gutta, quas in circumcissione fundit Christus, sunt quasi rubentes gemmae et coelestes margaritæ, topazis, chrysolitis et smaragdus pretiosiores: *omni pretio superior est sanguis Christi* (S. Basil. in Ps. 47). Tanti erant pretii, ut unica gutta illius sanguinis quem in circumcissione fudit, ad redimendum totum genus humanum fuisset sufficiens. *Médica sanguinis gutta, propter unionem ad Verbum, pro redemptione totius generis humani sufficisset* (Extr. Unigenitus de pen. et remiss.). Pro redemptione unius animæ, terra, mare, totus denique mundus sufficiens pretium non esset; at sanguis Christi tanti est pretii et valoris, ut toti orbi redimendo unica ejus gutta fuisset satis. Est igitur quod amemus Chri-

stum, qui in circumcissione pretiosum hunc sanguinem 1. fudit pro nobis; 2. fudit prompte; 3. fudit libere.

1. Laudandus apud plerasque nationes mos inolevit, ut amœi initio anni, fausta sibi invicem deprecantes exordia, vicissim sibi munera impendant; Christus autem urbane huic quasi se cooptans consuetudini, nobis summi pretii munus donavit, nempe pretiosum sanguinem, quod hodie pro nostra salute fudit. Hac die dedit illi Pater æternus sanctissimum nomen Jesu, quo nullum sanctius, nullum nobiliss et nullum eminentius donavit illi nomen, quod est super omne nomen (ad Philip. 2, 9); ille vero dedit nobis munus, quo nullum pretiosius, suum scilicet sanguinem, quem in circumcissione pro nostri amore et nostra salute profundere cepit: *dum circumciditur pater, inquit Augustinus, cepit operari salutem nostram, immaculatum pro nobis sanguinem fundens* (ser. 11 de temp.). In hunc mundum venit Christus, ut spirituali sponsalio nostras sibi animas copularet; sponsus autem fuit sanguinum, qui tanto animarum nostrarum arsit amore, ut proprium sanguinem pro illarum salute in circumcissione profundere inceperit: *cepit operari salutem nostram, immaculatum pro nobis sanguinem fundens*. Propter quod cum Christus ita nos dilexerit, ut suum pro nobis sanguinem fuderit, est certe quod eum diligamus. De quibusdam falsis diis in Libris Regum (III, 18) legitur, quod a suis cultoribus sanguinem efflagitaverint et exegerint: unde hi *incidebant se juxta ritum suum cultris et lanceolis, donec perfunderentur sanguine*. Non sic Deus noster, sicut dii eorum: ipse nostrum non jubet nos effundere sanguinem; tanto nos prosequitur amore, ut suum pro nostra salute citro circumcissionis extrahi et profundere voluerit: que potior ratio eum amandi quam quod suum pro nobis sanguinem fuderit? Subest et alia illum diligendi ratio, quia nempe *suum sanguinem pro nobis fudit prompte*.

2. Conservevunt summi Pontifices et reges in sui pontificatus et regni primordio aurea, vel argentea numismata projicere et pretiosa multa dona in signum gaudii liberaliter largiri; Christus similiter summus sacerdos et rex regum, ubi primum

in hunc mundum ingressus est, donum pretiosissimum nobis dedit, scilicet sanguinem suum: *bonum aurum sanguinis Christus dives ad pretium profluens ad lavandum omne peccatum* (S. Ambr. in Ps. 35). Amoris est cito benefacere amato; amor enim, sicut et gratia, nescit tarda molimina; et qui bene amat, cito dat. Hujus autem naturae extitit amor Christi primitias sui sanguinis in circumcisione fundentis: tanto etenim erga homines amore afficitur, ut octavo a sua natiuitate die purpureum et divinum suum sanguinem effundere incipiat. Videte, inquit divus Bernardus, quanta celeritate pretiosum hoc sui sanguinis munus in infantili aetate nobis donavit: *vide quam paratus et promptus sanguinem effundere, circumciscus prompte octavo die* (tract. de Pass. Dom. 2). Hoc quidem videndum, hoc serio ponderandum, atque ex tanti beneficii consideratione ad Christum amandum moveri debemus et induratum haud dubie censendum cor illius, qui non amabit Jesum, qui ita nos dilexit, ut in primis vitae suis diebus festinanter pro nobis sanguinem suum effuderit. Cajus Caligula a subditis suis donativum postulavit offerendum sibi prima mensis Januarii die: quod ita liberaliter subditi praestiterunt, ut facili negotio rex ingentem pecuniam coacervavit. Quo ita hilaris factus est, ut jubilans et tripudians inter pecunias nudis pedibus incesseret. Longe alia extitit Regis nostri recens nati indoles: ipse enim non venit, ut nostris nos spoliaret bonis, at nobis miseris, nobis ingratis, nobis indignis, prima Januarii die et in infantili aetate pretiosum suum nobis dat sanguinem, ut nos dives et regni coelestis haeredes efficiat: idcirco ardentem amandus est, quia sanguinem suum tam prompte et festinanter pro nobis effudit. Amandus est etiam Christus, *quia in circumcisione sanguinem suum pro nobis effudit libere*.

3. Cum infantuli aegrotant, nonnumquam eorum nutricibus vena aperitur et pharmaca propinantur, ut sic lac reddatur purius, quod tamquam medelam morbis sugentes pueri, perfectam valetudinem consequantur. Magna erat xeritudo nostra, lethifera nostra infirmitas; Christus autem tamquam sedula

putrix, *quasi nutritius Ephraim*, nos ubere lactavit, nos inter brachia portavit et ad nostram omnium salutem, ut circumcisionis gladio sibi educeretur sanguis, se libere obtulit; non enim ex necessitate, sed voluntarie et libere hodie circumcidi et pro nobis sanguinem fundere voluit. In passione Christus sanguinem ex precepto sibi imposito effudit: *sicut mandavit mihi Pater, sic facio*; in circumcisione ex mera liberalitate absque ulla precepti necessitate, voluntarie suum fudit sanguinem (1). Unde licet maximus sit amor Christi in cruce pro hominibus sanguinem effundentis, major adhuc erga homines ejus in circumcisione fuisse videtur amor, quia amor in opere mera liberalitatis, quam in opere obligationis illustrior et ardentior apparet. Cum ergo Christus ita nos dilexerit, ut pro nobis sanguinem suum voluntarie et libere effuderit, est certe quod illum ardentissime diligamus. Populo Israel dicebat Deus, quod illum dilexerit: *dilexi eos, dicit Dominus*; illi autem a Deo petebant, in quo eos dilexerat: *et dixisti: in quo dilexisti nos?* (Malac. 1, 2). In multis quidem eos Deus dilexerat et maximo certe eos persecutus erat amorem; eos namque creaverat, a servitute Aegypti eos eduxerat, in populum suum elegerat, multisque aliis eos beneficiis affecerat; tamen majora nobis Deus amoris sui testimonia prebuit: quia assumpta humana carne, pro nobis a primis vitae suae diebus sanguinem suum libere et voluntarie fundere voluit. Videte quam ardentem a nobis diligendas qui tanto nos persecutus est amore: *nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos* (1 Joa. 4, 10). Diligamus eum non verbis solum, sed operibus;

(1) Nescio quid minus voluntarii habeatur in passione quam in circumcisione Christi; profecto de illa disserens Serrator, ait: *potestatem habeo ponendi eam (animam), et potestatem iterum sumendi eam* (Jo. 10). Cum vero videlicet: *hoc mandatum accepit a Patre meo*, hujusmodi mandatum non minus passionem respicit, quam cetera opera redemptionis, totamque suae vitae seriem, prout docet D. Paulus (ad Hebr. 10): *Ingressiens mundum dicit:.... corpus operanti mihi... ecce venio; in capite libri scriptum est de me: ut faciam, Deus, voluntatem tuam*.

non fide, sed vere: *non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate* (ib. 3, 18). Amoris figuram inter Mercurium eloquentiæ deum et Hærculem fortissimum collocare solebant antiqui, ut ostenderent, quod veri amatores, non solum eloquentiæ verbis, verum etiam fortissimis et generosissimis operibus suum testabantur amorem; itaque non verbo tantum, etiam sanctis operibus Deum diligamus; *non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate*. Omnia sancto Augustino clamabant, ut Deum diligeret: *cælum et terra, et omnia quæ in eis sunt, undique mihi dicunt, ut amem te, Domine* (Conf. 2, 10). Omnia pariter nobis clamant, ut Deum amemus; et nova hodie auditur vox, quæ nos ad eum diligendum invitat, vox scilicet sanguinis, quem Christus in circumcissione fudit; eum itaque diligamus, non verbo solum, *sed opere et veritate*. Christus pro nobis fundit sanguinem, *est quod amemus*. Christus demum in circumcissione multos virtutum actus elicit; *est quod imitemur*.

III PARS.

In circumcissione Christus virtutes elicit; est quod imitemur.

Ex Dei mandato in introitu tabernaculi speculum et aquam posuit Moyses, ut anteaquam ingrederentur sacerdotes, maculas vultus adnotarent in speculo, easque aqua lavarent (Ex. 18). Sic sancta Ecclesia divinitus edocta, prima anni die, quæ est quasi totius anni introitus, aquam nobis proponit et speculum; aquam vocavit pretiosum Christi sanguinem, quem non secus ac aquam libere effudit; *sicut aqua effusus sum* (Ps. 21); et speculum dicam splendoris ejus virtutes, quas contemplari et imitari debemus, et præcipue ejus obedientiam, humilitatem et patientiam: 1. *ejus obedientiam*, qua nulla reperitur perfectior; 2. *ejus humilitatem*, qua nulla profundior; 3. *ejus patientiam*, qua nulla fortior.

1. *Nihil perfectius, nil salubrius, nil utilius, nil laudabilius, nil securius, nil quietius pro bona conscientia et pace cordis habenda, quam omni hora, sine contradictione, sine mora, sine fitione, sine versione, prompte et libenter obedire* (Thom. a Kemp. ser. 18 ad nov.); hanc autem promptam et voluntariam obedientiam nos docet Christus, cum prompto et voluntarie legi circumcissionis se subjicit; Christus enim, ut Deus, essentialiter erat ab omni alio independens, ac proinde obedire non poterat; ideo factus est homo, ut obedire posset. Licet autem ut homo obedire posset, non tamen obedire tenebatur circumcissionis præcepto, cum ex fide constet, eum peccatum originale non contraxisse, ac propterea minime ligari præcepto circumcissionis ad hujusmodi peccatum delendum institutum; nihilominus præceptum illud tempore a lege præscripto observare voluit, ut suo nos exemplo Dei et Ecclesiæ mandatis obedire doceret; voluit Christus circumcidi, inquit Doctor Angelicus, *ut obediendi virtutem nobis suo commendaret exemplo: unde et octava die circumcissus est, sicut in lege erat præceptum*. Miratur divus Bernardus, quod Christus circumcidi voluerit, ac in sermone de circumcissione sic Christum interrogat: *ad quid tibi, Domine Jesu, circumcisio, qui nec peccatum fecisti, nec contraxisti? quod non feceris, ætas manifestat; quod non contraxeris, multo certius probat Patris divinitas et Matris integritas*. Hujc interrogationi respondet divus Thomas, dicendo, Christum severæ circumcissionis legi voluisse submitti, ut Dei et Ecclesiæ mandatis nos obtemperare doceret: *Christus, inquit, circumcissionem suscepit eo tempore, quo erat sub præcepto et ideo sua actio in hoc est nobis imitanda, ut observemus ea quæ sunt nostro tempore in præcepto*; itaque si tanta fuit Christi obedientia, ut prompte et voluntarie obtemperaret præcepto, ad quod observandum non tenebatur, ejus exemplo saltem moreamur ad Dei et Ecclesiæ præceptis obtemperandum. *Debemus etiam ejus humilitatem imitari*.

2. Quamvis semper et ubique humillimus extiterit Christus, nunquam tamen se tam alibi, quam in circumcissione demisit;

dum enim in aliis omnibus mysteriis inter humiliaciones ali-
quid gloriæ et majestatis ejus eluxit, omne decus et gloriam
suam in circumcissione laterè voluit. Profundam suam humili-
tatem in stabulo nascens et in præsepio recubens manifestat
Christus, verumtamen illic eum angeli ut Deum agnoscent
et reges Magi eum procedentes adorant. Christus præsen-
tatur in templo ut vilis pauperulus, et tunc Anna et Si-
meon palam ejus magnalia enarrant. Plurimum Christus suam
deprimit majestatem et ostentat humilitatem, cum in Jor-
dane aqua baptismali ablui et Joanni, ut baptismatis ministro
subjici voluit, tunc vero apparuit Spiritus Sanctus sub specie
columbe, ut columbine ejus innocentie testimonium perhiberet
et audita est vox Patris æterni agentis: *hic est Filius meus
dilectus* (Math. 5, 17), Christi in deserto satanae tentationibus
se permittentis non parva fuit humilitas; verumtamen missi
sunt de cœlo angeli, qui ei ministrarent: *et angeli ministrabant
illi* (Marc. 1, 13). Quam maxime se demisit Christus, cum
a Judæis se tanquam reum capi permisit: ille tamen suam pa-
tefecti omnipotentiam et satellites unico verbo humi prosternens,
et abscessam a Petro Malchi auriculam mirabiliter restituens,
Christus tandem suæ humilitatis portentuosum præbuit
documentum, cum inter duos latrones cruci affligi passus est;
illic tamen eum omnium creatorem testantur sol, qui ob-
securatur, aer qui tenebrosescit, terra que contremisit, velum
templi quod scinditur, sepulchra que panduntur, saxa que
rumpuntur et homines qui clamant: *verè hic homo Filius Dei
erat* (Marc. 15, 39). Unde sola superest circumcisio, in qua nil
nisi humilitas apparet absque ulla gloriæ et majestatis Christi
mixture; tunc enim non obscurotur sol, terra non excutitur,
reges non adorant, nec aliquid videtur signum, quo Christi
majestas manifestetur; tunc totaliter despicitur: *repulisti et
despexisti Christum tuum* (Ps. 88). O profundissimam Chri-
sti humilitatem! que quidem in hoc potissimum elucescit,
quod in circumcissione formam peccatoris præferre voluerit:
*in circumcissione non solum habet formam hominis, sed
formam peccatoris* (D. Bern. ser. de Circ.). Christus, qui ut

Verbum, ab æterno Deus erat, in Incarnatione se maxime hu-
miliavit, cum se hominem fecit, sed major adhuc ejus in cir-
cumcissione extitit humilitas; quia tunc prætulit *formam pec-
catoris*; instituta enim erat circumcisio, ut esset remedium
contra peccatum originale; ideo cum Christus circumcisus est,
homo peccator visus et æstimatus est: *in die Nativitatis,
cum esset Deus, apparuit inter homines homo factus; in
die Circumcisionis homo peccator apparuit, cauterio pec-
catoris adustus* (S. Thom. a Vill. serm. de Purif.). O mi-
rabilem Christi humilitatem! quam adhuc exaggerat sanctus
Bernardus, dicens, quod latronis stigmate notatus et adustus
fuerit: *insignitur quodam cauterio latronis* (Ubi sup.). Quasi
latro fuerat Adamus, qui fructum a Deo ipsi prohibitum
furatus erat; instituta est circumcisio, tum quia humilitas cauterium,
quo notabantur hujus latronis filii, qui peccatum originale con-
traxerant; probroso autem hoc caractere insigniri voluit Chri-
stus, non secus ac si fuisset latro et homo peccator. O per-
eximiam Christi humilitatem! quam quidem imitari tenemur,
quia *despectus apparuit, ut superbum non esse hominem
doceret humilis Deus* (S. Greg. Mor. 34, 21). Christus in
circumcissione non loquitur, tantum ejus humilitas loquitur;
non verbis, sed factis dicit nobis, ut humilitatem sectemur: *di-
scite a me, quia mitis sum et humilis corde* (Math. 11).
Cum ergo tanta sit ejus humilitas, ut peccator videri et cen-
seri velit, superbiam detestemur et humilitati acquirendæ insi-
stamus; *sed est etiam quod ejus patientiam imitemur*.

3. Maxima fuit Christi in cruce pendens patientia; tunc
enim vere vir dolorum extitit virtute patientiæ saginatus.
Quod autem mirum est, ab ipsis incunabulis hæc eadem virtus
in Christo enituit; et quasi parum esset intra dura præsepia,
frigoris et alia multa incommoda pati, ut graviora pateretur,
circumcidi voluit; et ut adhuc excellentius patientiæ nobis
præberet exemplum, non terreo, sed petriño gladio ferri eligit;
licet enim, ut docet Doctor Angelicus (3, p. q. 70, a. 3), cir-
cumcisio necessario fieri non deberet cum cultellis petrinis,
Christus tamen non *repulit cultrum lapideum*, inquit D. Ber-

nardus; et ut ait D. Augustinus, *petra erat Christus, unde circumcisionis cultellus petrinus fuit*. O quantus fuit dolor Christi pueruli, cum tam diro gladio circumciscus est! quanta pariter ejus fuit patientia! Patientia, ut ait Joannes Gerson, *est voluntaria portatio, vel sufferentia cujusque adversitatis* (serm. 3 pro Def.); unde licet alii pueri in circumcissione paterentur, non tamen illis patientiæ virtus inerant, quia cum rationis usu carerent, non voluntarie et libere, verum veluti pecudes stolidæ, dolores tolerabant; Christi autem patientia fuit maxima, quia licet circumcisionis præcepto non ligaretur, voluntarie et libere huic se subdidit, voluntarie dolores a cultro petriño causatos acceptavit, imo et graviores perferre optavit. *Ille patiens est*, inquit Albertus Magnus, *qui non solum molestias illatas patienter tolerat, sed etiam inferendas desiderat* (Parad. an. 1, 4). Talis autem extitit Christi in circumcissione patientia; dum enim circumcisionis dolores pateretur, ad crucis passiones respiciebat, eas amebat, totoque corde desiderabat. Unde aliquas pretiosi sui sanguinis guttas in circumcissione dedit, quasi arrham illius quem abunde fûsurus erat in cruce et quasi hominibus diceret: nunc aliquas pretiosi mei sanguinis guttas libens effundo, ut sciatis, quod totum sanguinem in cruce pro vestri salute profundere propeperem. O mirabilem Christi patientiam! quam quidem imitari oporteret; Christus enim passus est, ut nos ad patientiæ et tribulationum amorem alliceret: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus* (1 Pet. 2, 21). Jamvero heu! plerique jejunare, vigilare et alia quevis pro Christo pati refugiant. Multi et fera omnes voluptatibus corporis indulgent; paucissimi Christum humiliant et pro nobis gravia patientem imitari volunt. Attamen sciant omnes, quod nisi passionum Christi participes fuerint, gloriæ etiam ejus participes non erunt: *scientes, quod sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis* (2 Cor. 1, 7). Dicite ergo cum divo Hieronymo: *quid mihi et voluptati, quæ brevis perit? nolo illi subjacere* (ep. 22 ad Eustoch.). Ne subjaceatis voluptatibus, quibus diabolus capit animas: otiositas

et voluptas sunt arma hostis antiqui ad miseræ animas captivandas (S. Anton. 3, p. 9, 14). Ne subjaceatis voluptatibus corporis, quæ sunt omnium malorum causa: *malorum metropolis est voluptas* (Damasc. parall. 3, 28). Ne subjaceatis voluptatibus, quæ mortem animæ inferunt: *mortis fabricatrici est voluptas* (Lactant. de div. inst. 1). Ne subjaceatis tandem voluptatibus carnis, quæ ad tartara ducunt: *voluptas gehennæ via est* (S. Basil. Seleuc. or. 27); e contra ablegatis omnibus illicitis voluptatibus, Christi patientiam et alias virtutes imitami, ut æternas paradisi voluptates aliquando obtineatis. Amen.

CONCIO SECUNDA.

Postquam impleti sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus JESUS (Luc. 2).

Quamvis circumcisionis legi nullo pacto subderetur Christus, corporaliter tamen circumcidi voluit, ut nos de spiritali circumcissione perficienda moneret. Circumcissionem legalem et materialem ipse suscepit at abrogavit, spiritualement a nobis exigit, ejusque adimplenda nobis onus imposuit: *nos circumcidi necesse est, non litera, sed spiritu* (S. Ber. ser. 1 de Circunc.). Verum est, quod cultro petriño jam circumcidi non habet christianus; spiritali tamen gladio quidquid in semetipso scelerosum et impurum repererit, generose resecet et abscondat necesse est. Unde cum de emendis gladiis discipulos suos Christus monerit: *qui non habet, vendat tunicam suam et emat gladium* (Luc. 22, 36), etiam a quolibet christiano emendus et sumendus est gladius, ut vetorem in seipso jugulet hominem et ut *circumcissione non manufacta* (ad Colos. 2, 11) et to-

taliter spirituali, semetipsum circumcidat. De circumcissione hac spirituali jam nobis est disserendum. *Acc.*

Tria in homine distinguit D. Paulus, animam scilicet, spiritum et corpus, *ut integer spiritus vester et anima et corpus sine querela* (1 Thess. 5, 23). Ipsa *per animam* intelligit animæ substantiam, quæ essentialiter spiritualis est; *per spiritum* intelligit etiam ipsam animam non secundum suam substantiam, est secundum cogitationes et affectus suos, quam sub hoc respectu vocare solemus cor hominis; postremo *per corpus* intelligit illam hominis partem materialem, quæ simul cum anima ipsi unita totam hominem componit. Nos autem et anima et corde et corpore sanctos esse exoptat divus Paulus, dicens: *Deus pacis sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vester et anima et corpus sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur*. Totalis autem hæc animæ, cordis et corporis sanctificatio sine spirituali circumcissione fieri nequit; in anima enim resident peccata, in corde nascuntur affectus ad peccatum, et in corpore motus inordinati ad peccatum allicientes insurgunt; propterea ut sancti simus, circumcissio spiritualis in anima, in corde et in corpore fieri oportet; ab anima abscindi debent omnia peccata; a corde abjiciendi sunt omnes affectus ad peccatum, et a corpore ablegandi motus inordinati, qui ad peccatum trahunt. Circumcissio animæ fit gladio penitentiae; circumcissio cordis gladio meditationis, et circumcissio corporis gladio mortificationis. Unde, ut totaliter fiat circumcissio spiritualis, abscindi debent omnia peccata, *ecce circumcissionem animæ*; 2. abscindi affectus ad peccatum, *ecce circumcissionem cordis*; 3. abscindi motus inordinati carnis nostræ, *ecce circumcissionem corporis*. Prima circumcissio fit *gladio penitentiae*; secunda fit *gladio meditationis*; tertia fit *gladio mortificationis*. En tres hujus orationis partes.

I PARS.

Abscindenda sunt omnia peccata gladio penitentiae.

Triplex in lege nova habetur circumcissio spiritualis, inquit Hugo cardinalis (in c. 2 Luc.); alia scilicet penitentium, alia religiosorum et alia martyrum. *Penitentibus* so ab omnibus peccatis et circumstantiis peccatorum circumcidunt. *Religiosi* propter Christum, non solum peccata, verum et superflua a se abjiciunt, dum temporalibus cunctis valedicunt, nihil proprium retinentes et dicentes cum D. Paulo: *habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus* (1 Tim. 6, 8). Tandem *martyres* non solum peccata et superflua, etiam necessaria a se amputant, dum corpora sua propter Christum morti exponunt. Quam circumcissionem optabat D. Paulus, dicens: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (Rom. 7, 24). Ad triplicem hanc circumcissionem haudquaquam adstringuntur omnes christiani; dum vero superflua et necessaria cum religiosis et martyribus relinquere non tenentur, saltem cum penitentibus a se omnia peccata eliminare debent. *Circumcissio christiana*, inquit sanctus Hilarius, *est totos nos emori peccato*. Et, ut ait Origenes (tom. 3 sup. Gen.), *manus circumcidendæ sunt a rapinis et ad sola Dei opera pandendæ; pedes circumcidendi sunt, ne veloces sint ad effundendum sanguinem et ne intrent in concilium malignantium, verum ut tantum pro mandatis Dei circummeant; oculi circumcidendi, ne concupiscant aliena, ne videant mulierem ad concupiscendum; gustus circumcidendus, ut sive comedat, sive bibat, ad gloriam Dei, ut ait apostolus, inducet et bibat: odor circumcidendus est, ut Christi bonus odor simus et in operibus misericordiae odorem suavitatis queramus. Omnia tandem peccata, sive ex gustu, sive ex visu, sive aliunde procedant, sunt penitus rescindenda: *circumcissio christiana est nos totos emori peccato*. Omnia peccata fiunt, aut cogitatione, aut verbo, aut opere: *peccavi nimis cogita-**

lione, verbo et opere; circumcisio autem spiritualis omnia, sive cordis, sive oris, sive operis peccata abigit; hæc sunt præputia impura quæ circumcidit: *circumcisio spiritualis*, inquit Macharius Abbas, *amputat impurum præputium peccati* (hom. 45). Ex corde prodeunt cogitationes pravæ et desideria illicita, quæ sollicite auferenda sunt; *auferite malum cogitationum vestrarum ab oculis meis* (Isa. 1). Ex ore procedunt scurrilitates, maledicta, mendacia, blasphemie, perjuria et alia multa verba illicita, quæ, ut ait apostolus, ab oribus nostris sunt removenda: *omnis sermo malus ex ore vestro non procedat* (Eph. 4, 29). Manibus fiunt tactus impudici, furta, rapinæ, cædes et alia multa opera mala, quæ etiam tollenda sunt; omnia tandem peccata tamquam præputia impura sunt circumcidenda, et ut ait Doctor Seraphicus, ea circumcidenda sunt gladio penitentiae: *circumcisio spiritualis fit a præputio nequitie instrumento penitentiae* (ser. de Circum.). Angelus Domini occidere voluit Moysen, cujus incircumcisus erat filius: *occurrit ei Dominus et voluit occidere eum* (Exod. 4, 24). Saphira autem Moysis mulier acutissimam sumens petram, circumcidit filium suum, Filius incircumcisus, ut explicat Doctor Seraphicus, est malus christianus; petra vero gravem et duram penitentiam significat; hæc *acuta* fit per contritionem: *acutior*, si addas confessionem; *acutissima*, si adjungas satisfactionem. Vis circumcidi spiritualiter? tolle omnia peccata tua, eaque petri et duro penitentiae gladio circumcide: *circumcisio spiritualis fit a præputio nequitie, instrumento penitentiae*. Ita necessario oportet, ut peccator sua penitentiae gladio circumcidat peccata; quæ nisi circumciderit, gravissima et acutissima Dei sententia erit ferendus: *si penitentia acuta non te circumcideris, sententia acuta circumcideris*. In die judicii de ore Dei acutissimus egredietur gladius: *de ore ejus gladius utraque parte acutus*; hic gladius acutus, qui ex ore Dei prodibit, est terribilis sententia, quam adversus incircumcisos peccatores feret, dicens: *discedite a me maledicti in ignem æternum*. O terribilem sententiam! o gladium acutissimum! Vis, o peccator, a formidanda hac declinare sen-

tentia? vis acutissimi hujus gladii lethales ictus devitare? Circumcide impura peccatorum tuorum præputia: *si penitentia acuta non te circumcideris, sententia acuta circumcideris*. Omnia peccata venialia sunt quidem circumcidenda, tum quia disponunt ad mortale, tum quia Deo injuriam inferunt, tum quia devotionis fervorem minuant; verum penitentiae gladio sunt præsertim rescindenda omnia mortalia: qui enim ea non circumciderit, in die judicii duram Dei sententiam subibit et in ignem inferni æternum cruciandus projicietur. *Visitabo*, inquit Deus, *super omnem qui incircumcisum habet præputium* (Jerem. 9, 2). Visitabit Deus omnes peccatores, qui per penitentiam impura peccatorum suorum præputia non circumciderint; visitabit eos, ut peccata eorum examinet, ponderet et severe puniat. O avare, qui vi et fraude aliena rapuisti! O luxuriose, qui veneris et illicitis voluptatibus tuam toties carnem foelasti! O hypocrita, qui sub angelici vultus specie diabolicam tegis animam! O vos omnes, qui vestra per penitentiam peccata delere nec minimum curatis! visitatoris munero erga vos aliquando fungetur Deus: *visitabo super omnem, qui incircumcisum habet præputium*; visitabit vos Deus, et ut ait D. Bonaventura, ad æterna vos ignis tartarei supplicia damnabit: *in visitatione incircumcisorum istorum injunget penitentiam, non panis et aque, sed ignis æterni*. O peccator, cum pro commissis peccatis ut Deo satisfacias, te sapiens jejunare jubet confessarius, turbaris; cum tibi aliqua in pane et aqua facienda imponit jejunia, ingemiscis, et illum plus quam par est, severum esse arbitraris; jamvero scito quod nisi tua per penitentiam deleveris crimina, se adversum te duriores exhibebit Deus; nam in die judicii non semel, aut bis in pane et aqua jejunandum, sed ad æterna tartari supplicia te condemnabit: *injunget penitentiam, non panis et aque, sed ignis æterni*. Propterea, o peccatores, omnia peccata mortalia per penitentiam abscondite. Peccastis? penitentiam agite; peccastis? duro penitentiae gladio omnia vestra scelera enecate; peccastis? omnes iniquitates vestras acuto contritionis, confessionis et satisfactionis cultro circumcidite, ut formidan-

dam ignis aeterni poenitentiam vitare valeatis. Ecce circumcisonem animæ: *nunc de circumcissione cordis verba faciamus.*

II PARS.

Abscindendi sunt affectus ad peccatum gladio meditationis.

Ab opere circumcissionis judaicæ nos liberi ad spirituales cordis circumcissionem perficiendam adstringimur: ut enim ait S. Cyprianus: *nec jam truncationem præputii Evangelium imperavit, sed circumcissionem cordis* (ser. de Circum.). Non solum ab anima tollenda sunt omnia peccata, a corde etiam omnes affectus ad peccatum sunt removendi: hæc sunt præputia impura, quæ circumcidere debemus: *circumcidimini Domino et auferite præputia cordium vestrorum* (Ier. 4, 4), inquit Spiritus Sanctus; et hæc circumcisio, si credamus Eusebio Emiseno, ita est ad salutem necessaria, ut salvari nequeat qui pravos quosque ad gravia peccata affectus e corde suo non abstulerit: *quicumque in corde circumcisus non fuerit, salvari non poterit* (Ser. in die circ.). Christus circumcisus nomen Salvatoris accepit: *vocatum est nomen ejus Jesus*. Simili modo, in quis salvari valeat, et ut nomen salutis accipiat, circumcidi debet spiritualiter, ita quod e corde suo omnes affectus ad peccatum tollat: *nos circumcidi necesse est et sic nomen salutis accipere* (S. Bern. ser. 1 de Circ.). Sicut enim ante circumcissionem nomine carebant pueri Hebræorum, ita et nomine salutis carent qui spirituali circumcissione omnia e cordibus suis vitia, omnesque pravos ad peccatum affectus hæc sustulerint: *quicumque in corde circumcisus non fuerit, salvari non poterit*. Sedulos nonnunquam et ingeniosos reperiri est viridiorum et hortorum cultores, qui in myrto, hyssopo, vel aliis herbis nomina *Jesu* vel *Mariæ* figurant; ut autem hi characteres et hæc nomina non deleantur, herbisque crescentibus non obruantur, eas frequenter evellere et amputare solent. Sic etiam Deus animam corpori nostro

tamquam moderatricem et horti cultricem infudit, ut quemadmodum Adam olim paradysum, sic etiam ipsa sylvescentem cordis nostri terram colat et expuret, spinasque ac tribulos vitiorum in eo exurgentium evellat. In cordibus autem nostris nomen salutis insculpsit et exaravit Spiritus Sanctus, cum baptizati sumus: ne igitur hoc deleatur nomen, et ut salvari queamus, nascentes vitiorum vepres et exurgentes pravos quoscumque ad peccatum affectus tollere et circumcidere debemus. *Quicumque in corde circumcisus non fuerit, salvari non poterit*. Momentanea est vita nostra in hoc mundo, et e contra aeterna vita Beatorum in celo: *justi autem in perpetuum vivunt*. Aeternam hanc justorum vitam omnes ambiunt, eam assequi cupiunt omnes, omnesque salvari saltem inefficaciter optant; jamvero nullus incircumcisus salvabitur, nullusque vitam aeternam consequetur, nisi prius e corde suo pravos ad gravia peccata affectus avulerit: ut enim loquitur Spiritus Sanctus, corda nostra circumcidenda sunt, ut possimus vivere in aeternum: *circumcidet Dominus cor tuum, ut possis vivere* (Deut. 10, 6); nostra non vult Deus nos circumcidere, corda ad hoc ut possimus in hoc mundo vivere; verum ut explicat S. Bonaventura, ad hoc ut in terra viventium, seu in celo, in aeternum vivere valeamus: *ut possis vivere, utique spiritualiter et aeternaliter: vivere etiam in terra viventium consequaris per circumcissionis beneficium* (Ubi sup.). Et ratio est, quia ejusdem nature, ejusdemque sunt malitiæ actus externus et affectus ad ejusmodi actum: si peccat qui mortaliter occidendo hominem; peccat etiam similiter qui habet affectum et voluntatem occidendi hominem, licet revera illum non occidat; si peccat mortaliter, qui adulterium committit, peccat etiam mortaliter qui affectum et voluntatem habet adulterium perpetrandi. Unde, sicut non salvabitur qui externa omnia peccata mortalia non circumcidet, sic etiam minime salvabitur qui omnem affectum ad peccatum mortale non circumcidet. Desine ergo, o peccator, concupiscere alterius uxorem; circumcide et absconde e corde tuo affectum ad usuras, ad rapinas, ad adulteria, ad sacrilegia et ad omne opus malum: *derelinquat*

impus viam suam, et vir iniquus cogitationes suas (Isa. 55, 7); peccator non solum ab omni peccato et a via iniquitatis declinare, omnes etiam cogitationes et affectus ad peccatum abscindere debet. Necesse est, ut relinquat vir nobilis affectum ad immodicas expensas, mercator affectum ad injusta luera; iudex iniquus affectum ad prorogandas lites, usurarius affectum ad aliorum domos per luera usuraria evertendas. Circumcidere quisque cor suum, et ab eo omnes affectus pravos auferre debet. Hæc autem circumcisio perficitur *gladio meditationis*: meditare Christum, meditare paradysum, meditare infernum, et e corde tuo omnem pravam et inordinatum affectum facie eliminabis. Circumcisio spiritualis peragitur cultro petriano, idest Christo, de quo divus Paulus ait, quod *petra erat Christus* (1 Cor. 10); meditatio ergo Christi circumcisi, Christi crucifixi, Christi pauperis et Christi humilis est petrinus cultus, quo illiciti omnes voluptatum, divitiarum et honorum affectus circumciduntur. Quis enim Christum nudum contemplatus, divitias ambiat? quis Christum opprobriis saturatum considerans, transituros mundi honores sitiatur? quis Christum flagellatum, spinis coronatum et crucifixum mente revolvens, prohibitis voluptatibus frui querat? Nullus quidem; itaque sume gladium meditationis, sanctas Christi actiones meditare, ut scelerosos quosque affectus e corde tuo rescicare valeas. Quod si gladius hic non sufficit, meditare paradisi delicias et inferni meditare supplicia. Mirabilem circumcissionem docuit Christus, dicens: *si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, absconde eum et projice abs te. Si oculus tuus scandalizat te, erue eum et projice abs te* (Matt. 18). O admirabilem et maxime salutarem circumcissionem, qua docet nos ut socios, cognatos, amicos et alia quæcumque, etiam ipsi oculis chariora, si mores corrumpant, penitus abscondamus et fugiamus; hæc autem cultro meditationis paradisi et inferni sunt abscondenda; hic est cultus quem Christus exhibet: *bonum tibi est, inquit, ad vitam ingredi debilem vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum: bonum tibi est cum uno oculo in vitam intrare, quam*

duos oculos habentem, mitti in gehennam ignis (Ubi sup.). O peccator eundem sume caltrum, ut pravos affectus e corde tuo avellas; cogita paradisi gloriam et inferni ponam; mente revolve quanta sint paradisi gaudia, quibus privaberis in æternum, nisi iniquus cordis tui affectus abscindas; inprimis tartareas flammæ in mentem revoca, in quas, nisi te sic circumcidas, præcipitaberis dolore cruciandus sempiterno. Hæc cogita, hæc serio meditare, et dic in temetipso: melius est pravo cordis mei affectus abscindere, quam paradisi gloria privari et mitti in gehennam ignis. Ecce circumcissionem cordis; aliquid brevi dicamus *de circumcissione corporis per mortificationem faciendam*.

III PARS.

Circumcidendi sunt motus inordinati carnis nostræ gladio mortificationis.

Quando circumcidit seipsum Abraham, circumcidit etiam Ismael filium suum et omnes vernaculos suos, omnesque servos suos emptitios. Sic quilibet homo, qui vult spiritualiter circumcidi, non sua solum debet circumcidere peccata, ac pravos voluntatis affectus, qui quasi filii a voluntate libera nascuntur, inordinatos insuper circumcidere debet corporis sui motus, qui sunt quasi vernaculi et servi, quia caro et sensualitas rationi ancillari debent. Et hæc corporis circumcissionem necessariam docet divus Bernardus: *nos, inquit, circumcidi necesse est, non litera, sed spiritu; non uno membro, sed toto corpore simul* (ser. I de Circumc.). Protoparentis nostri peccatum non unica corporis nostri parti, verum toto corpori suum communicavit venenum: *universam, inquit sanctus Bernardus, occupat carnem; a planta pedis usque ad verticem, non est in nobis sanitas, nec est aliqua pars, quæ non tabida sit hoc veneno*: ideoque cum in totum corpus nostrum illapsa sit adamitici sceleris malignitas, totum etiam corpus circum-

eidendum est; circumcidendi sunt oculi, lingua, manus et omnia corporis membra; ne potissimum circumcidendi motus inordinati, quibus caro militat adversus animam et concupiscit adversus spiritum; hi comprimendi, et quantum fas erit, *mortificationis gladio* sunt abscondendi. Verum quidem quod quamdiu in hoc mundo vivimus, hi motus sensuales tolli totaliter nequeant: *motus illicitus carnis, quamdiu ipsa caro est, tolli non potest*, inquit sanctus Gregorius (in 1 Reg., c. 1): quilibet tamen contra inordinatos illos motus pugnare, illosque gladio mortificationis conterere, domare et pro viribus resarcire debet: *conculca bestiales tuos motus*, ait sanctus Bernardus, *quia domari debent, ne dominari praevaleant nisi conculcati fuerint, conculcabant te: nisi premantur, opprimunt te* (ser. 4 Ascens.). Per baptismum tollitur quidem peccatum originale in se, non tollitur concupiscentia carnis, quae ab hoc peccato dicitur originem; non tolluntur interni carnis nostrae motus, qui a virtute avertunt et ad vitia trahunt. Cum autem advertit veterator satanas, hominem tales motus per se vere mortificationis exercitium non comprimere, ipse illos magis movet et excitat in nobis: *fornices movet, laqueos parat* (S. Ambr., *Offic.* 10, 4), ad hoc, ut ad peccandum nos alliciat: ideo, ut de demone triumphemus, continua corporis mortificatione hi motus conculcandi et comprimendi sunt: *conculca bestiales tuos motus*. Intus in homine alii habentur motus rationis et alii motus sensualitatis; cum enim homo polleat appetitu rationali et appetitu sensitivo, uterque hic appetitus suos habet motus; ut autem homo recte ordinetur, appetitus rationalis Deo et appetitus sensitivus rationi subdatur oportet: *cum ratio dominatur, ordinatus homo dicendus est* (S. Aug. 1, *de lib. arbit.*, 8). Ad hoc vero ut ratio his corporis motibus dominetur, per gravem et prudentem carnis mortificationem circumcidendi et domandi sunt: *domari debent, ne dominari praevaleant*. Quisque ergo gladium mortificationis sumat, ut huiusmodi motus comprimat: *mortificate ergo membra vestra, quae sunt super terram* (Coloss. 3, 5). Carnis mortificationem multae nobis suadent rationes: mortificanda est,

inquit Thomas a Kempis, *quia quanto caro plus premitur, tanto spiritus plus eleatur* (de discip. claus. 2). Mortificanda est, quia, ut ait sanctus Nilus, *sicut hostis sublatus terrorem amplius non offert, corpus mortificatum animam non perturbat* (Orai. de gula). Mortificanda est, quia carnis maceratio minuuntur concupiscentiae, terrentur demones et pergratum Deo sacrificium offertur; verum potissima ratio, qua ad carnis mortificationem moveri debemus, est: quia *si ad caelestia pervenire volumus, necesse est, ut passionem carnis mortificemus* (S. Greg. in 1 Reg., c. 5). Quam rationem sumit D. Gregorius ex D. Paulo, dicente: *si secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis* (Rom. 8, 13). Infensissimus saluti nostrae hostis est caro: quam nisi salubri et assidua mortificatione impugnaverimus, de nobis triumphabit, nosque ad tartara in aeternum cruciandos pertrahet: mortificationi ergo corporis nostri sedulo incumbamus: *mortificate membra vestra*. Haec est circumcisio spiritualis, cui perficienda non semel dumtaxat, aut bis, sed toto vitae tempore incumbendum est: inordinati enim corporis nostri motus amputati repullulant, effugati redeunt, reaccenduntur extincti, et sopiti denuo excitantur: ideo gladius mortificationis nunquam est dimittendus, aut semper circumferendus: *semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes* (2 Cor. 4, 10). Non dicat quis: juvenis ego sum, ac proinde nondum venit hora mea, ut corporis mortificationem circumferam. Non est cur sic loquantur juvenes, cum doceat Spiritus sanctus; *bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua* (Thren. 3, 27). Sive ergo sis juvenis, sive non, inordinatos corporis tui motus variis mortificationibus compescere et circumcidere satage: *si ad motus passionum ex innata dispositione, aut assuefactione proclivior es, instantius pugna, ferentius ora, indefesse labora*, inquit Dionysius Carthusianus (exhor. ad Novit. a. 2). Et sanctus Gregorius asserit, ex corporis mortificationibus nullam aptiorem esse ad circumcidendos carnis nostrae motus, quam jejuniū et abstinentiam: *motus carnis*

quasi in fugam vertitur, dum ipsa caro bene jejunando castigatur (Ubi sup.). Jamvero heu! quam pauci carnis suae motus comprimere et circumcidere satagunt! gulae, luxuriae et aliis corporis voluptatibus indulgent multi; pauci vero carnem suam circumcidere et crucifigere volunt. O homo, si Christi esse discipulus et regnum aeternum adipisci cupias, *post concupiscentias tuas non eas* (Eccli. 18, 30). Dura quidem est corporis mortificatio; durius erit paradisi in aeternum privari, et cum voluptuosus in inferno cruciari. Durum tibi est carnis illecebras frangere, creaturam quam diligis, abrenunciare, frenare gulam et carnis mortificationi vacare; o quam durius erit, igne tartareo torreri! Formidandum hunc ignem, omnesque inferni cruciatus crebro mente revolve et facile omnibus illicitis valedicere delicias, ut carnis mortificationem sedulo secteris. *O utinam*, inquebat Sanctus Gryostomus, *in prandis, et cenis, et balneis, imo et ubique de gehenna disputatum esset!* (Hom. 31 in ep. ad Rom.). O utinam cujuslibet hominis menti firmiter infixata et exarata esset gehennae cogitatio! Certo enim certius est, quod qui gehennae supplicia saepe et serio meditaretur, omne mortificationis genus facile ampleteretur. Gehennam ergo cogita, ut mortificationi adhaereas, et ut aeternam beatitudinem obtineas. Amen.

IN FESTO EPIPHANIAE.

CONCIO PRIMA.

Vidimus stellam ejus in Oriente et venimus adorare eum
(Math. 2).

Magna cum laetitia sacrum hunc diem sancta celebrat Ecclesia, quia in eo admirabilis Dei humanitatis manifestatio facta est. Paucissimis ab hinc diebus pro nobis homo fieri et nasci voluit; hodie vero vota votis accumulans, et gaudia gaudiis multiplicans, sese regibus orientalibus manifestavit: quod quidem maximum et singulare Dei erga nos extat beneficium, quia sicut parum prodesset homini, qui in fundo suo thesaurum haberet absconditum, si quoniam loco lateret, ipse nesciret: *sapientia absconsa, et thesaurus incisus, quae utilis in utrisque?* (Eccli. 10). Ita et parum nobis profuisset, Christum qui thesaurus est inestimabilis, in hoc mundo nasci, si nobis ignotus mansisset. Apparuit ergo hodie gratia et benignitas Salvatoris nostri: hac die se Gentilibus manifestare cepit; et ideo cum hac sit dies Epiphaniae, seu apparitionis, quid in ea apparuerit, congruum est ut inquiramus: *quoniam apparitionem hanc esse dicimus, quid in ea appareat, dignum est, ut quaeramus* (S. Bern. ser. 3 de Epiph.). Verum est, quod mirabilia omnia, quae in hoc die emicant, investigare foret impossibile; aliqua tantum ex multis seligemus, ut sanctos reges debito honore prosequamur et ut Regis regum Christi Domini gloriam propalemus. Ave.

Reges Magos mente intueor in Oriente; in urbe Jerosolyma et in spelunca Bethlehemitica eos considero; in Oriente, unde proficiscuntur; in urbe Jerosolyma, qua transeunt; et in spelunca Bethlehemitica, in qua Christumveniunt. Hi reges

quasi in fugam vertitur, dum ipsa caro bene jejunando castigatur (Ubi sup.). Jamvero heu! quam pauci carnis suae motus comprimere et circumcidere satagunt! gulae, luxuriae et aliis corporis voluptatibus indulgent multi; pauci vero carnem suam circumcidere et crucifigere volunt. O homo, si Christi esse discipulus et regnum aeternum adipisci cupias, *post concupiscentias tuas non eas* (Eccli. 18, 30). Dura quidem est corporis mortificatio; durius erit paradisi in aeternum privari, et cum voluptuosus in inferno cruciari. Durum tibi est carnis illecebras frangere, creaturam quam diligis, abrenunciare, frenare gulam et carnis mortificationi vacare; o quam durius erit, igne tartareo torreri! Formidandum hunc ignem, omnesque inferni cruciatus crebro mente revolve et facile omnibus illicitis valedicere delicias, ut carnis mortificationem sedulo secteris. *O utinam*, inquebat Sanctus Gryostomus, *in prandis, et cenis, et balneis, imo et ubique de gehenna disputatum esset!* (Hom. 31 in ep. ad Rom.). O utinam cujuslibet hominis menti firmiter infixae et exaratae esset gehennae cogitatio! Certo enim certius est, quod qui gehennae supplicia saepe et serio meditaretur, omne mortificationis genus facile ampleteretur. Gehennam ergo cogita, ut mortificationi adhaereas, et ut aeternam beatitudinem obtineas. Amen.

IN FESTO EPIPHANIAE.

CONCIO PRIMA.

Vidimus stellam ejus in Oriente et venimus adorare eum
(Math. 2).

Magna cum laetitia sacrum hunc diem sancta celebrat Ecclesia, quia in eo admirabilis Dei humanitatis manifestatio facta est. Paucissimis ab hinc diebus pro nobis homo fieri et nasci voluit; hodie vero vota votis accumulans, et gaudia gaudiis multiplicans, sese regibus orientalibus manifestavit: quod quidem maximum et singulare Dei erga nos extat beneficium, quia sicut parum prodesset homini, qui in fundo suo thesaurum haberet absconditum, si quoniam loco lateret, ipse nesciret: *sapientia absconsa, et thesaurus incisus, quae utilis in utrisque?* (Eccli. 10). Ita et parum nobis profuisset, Christum qui thesaurus est inestimabilis, in hoc mundo nasci, si nobis ignotus mansisset. Apparuit ergo hodie gratia et benignitas Salvatoris nostri: hac die se Gentilibus manifestare cepit; et ideo cum hac sit dies Epiphaniae, seu apparitionis, quid in ea apparuerit, congruum est ut inquiramus: *quoniam apparitionem hanc esse dicimus, quid in ea appareat, dignum est, ut quaeramus* (S. Bern. ser. 3 de Epiph.). Verum est, quod mirabilia omnia, quae in hoc die emicant, investigare foret impossibile; aliqua tantum ex multis seligemus, ut sanctos reges debito honore prosequamur et ut Regis regum Christi Domini gloriam propalemus. Ave.

Reges Magos mente intueor in Oriente; in urbe Jerosolyma et in spelunca Bethlehemitica eos considero; in Oriente, unde proficiscuntur; in urbe Jerosolyma, qua transeunt; et in spelunca Bethlehemitica, in qua Christumveniunt. Hi reges

in Oriente stellam videntes Christum agnoverunt; in urbe Jerosolyma coram Herode Christum prædicaverunt; in spelunca Bethlehemitica Christum puerum et pauperem ut Regem et Deum adoraverunt. Unde sanctos illos reges nunc proponam ut viros sapientissimos, qui Christum agnoscent, ut concionatores zelantissimos, qui Christum prædicant, et ut principes religiosissimos, qui Christum honorant. Sancti hi reges 1. Christum agnoscent in Oriente, unde proficiuntur; 2. Christum prædicant in urbe Jerosolyma, qua transeunt; 3. Christum honorant in spelunca Bethlehemitica, in quam ingrediuntur. Christum agnoscent, Christum prædicant, Christum honorant; en tria hujus concionis puncta.

I PARS.

Reges Magi Christum agnoscent in Oriente, unde proficiuntur.

Reges orientales, qui hodie Christum adoraverunt, dicuntur *Magi* a scientiæ magnitudine non a magica arte, prout cum aliis multis opinatur S. Bernardinus; quos enim, inquit, Græci philosophos, scribas Jūdæi et Latini magistros, *magos* Persæ appellant. Hi autem reges Magi in regione sua, quæ respectu civitatis Jerusalem orientalis erat, stellam novam viderunt, quæ ab aliis differbat *in situ*, quia non erat fixa in firmamento, sed terræ proxima; *in fulgore*, quia lucebat de die, quod non aliæ; *in motu*, quia reliquæ circulariter in coelo, ista recte versus Jerosolymam movebatur; ista tandem ceteris erat dissimilis *in fine*; nam aliæ create sunt ad mundi ornatum, ad distinctionem temporum et ad influendum in hæc inferiora; ista vero ad hoc solum facta est, ut Christum natum regibus manifestaret. Sicut enim Christus ipsa nativitatis suæ nocte angelos misit, qui pastoribus ipsum natum esse nunciaret; ita eadem nocte novam hanc formavit stellam, ut regibus ipsum natum esse declararet: *hæc stella creata est de novo, ut*

novum hominem regibus nunciaret (Hug. Car. in c. 2 Matth.). Quod, quam verum sit, ipsa regum verba demonstrant: *vidimus*, inquit, *stellam ejus in oriente*. Cur enim hæc stellam, quam viderunt Magi, specialiter Christi stellam vocant; *Stellam ejus*? Nonne omnes ad ipsum attinent stelle? Nonne eas omnes ipse creavit? Haud dubie ipse est solis, lunæ et omnium stellarum creator; procul dubio ipsius sunt non tantum omnes stelle, verum et omnes creatura, cur ergo hæc specialiter Christi stellam esse dicunt Magi? Hoc dicunt, inquit Hugo cardinalis, *quasi per appropriationem, quia etsi ceteræ stelle ab ipso create sint a mundi principio, hæc specialiter creata et deputata est ad nativitatis ejus ostensionem*. Eandem rationem adducit S. Maximus, dicens, quod quamvis omnia sidera quæ scintillant in coelo, Christi sint, hæc tamen specialiter vocatur stella *ejus*, quia a Christo efformata ut seipsum regibus manifestaret. *Bene ejus dicitur stella; quia quævis omnes ab eodem create stelle ipsius sint, hæc tamen proprie Christi erat, quæ specialiter ejus nunciabat adventum* (ho. 4 de Epiph.). Hoc autem munere præclarissime perfuncta est hæc stella; Christum natum ipsa perfectissime demonstravit, quia cum eam viderunt Magi, protinus Christum, qui per stellam significabatur, agnoverunt; erant simul videntes et intelligentes, ut ait Eusebius Emissenus; stellam videbant et Messiam, qui per stellam significabatur, agnoscebant: *quid est enim, videntes stellam, nisi videntes et intelligentes quod significabatur per stellam?* (ser. de Epiph.). Stellam viderunt Magi et Christum agnoverunt. Unde dicitur, quod stellam videntes, *gausi sunt gaudio magno*; gausi sunt enim, non tam ex eo quod stellam, quasi quid astronomicum viderint, quam ex eo quod, ut subdit Eusebius Emissenus, *visa stella, quidquid per eam significabatur, mox intelligerent* (Ubi sup.). Nec dubium est, inquit S. Augustinus, quin Christum noverint Magi, cum eum tam sollicitè quæsierint et tam ardentè videre optaverint: *nunquam hanc tanta devotione requirerent, tanto pietatis affectu desiderarent, nisi eum agnoscerent* (ser. 3 Epiph.). Voluntas non fertur in incogni-

tum; non amat, non desiderat, nec inquiri quod non cognoscit; ideo cum Magi Christum Judeorum Regem recens natum quassierint et videre optaverint, illum sine dubio agnoverunt. Reges Magi stellam videbant, stellam habebant, inquit S. Bernardinus (serm. de Epiph.); hi stellam videbant exterius fulgentem et stellam habebant intus in cordibus suis lucentem, eosque illuminantem. Ipsi, cum perfectissimi essent astrologi stellam videntes, eam quid magnum et mirabile portendere judicaverunt; quid autem præcise exterior illa stella significaret et prænunderet, stella interna, seu revelatio divina iis aperuit et manifestavit. Stella externa quam intuebantur Magi, erat Dei ministra, et *tamquam lingua colorum*, qua quidem erudiebantur, haud tamen ita perfecte, ut alia non egerent stella seu illustratione et revelatione divina, qua quid per externam significaretur, clarius et perfectius agnoscerent; Deus autem, simul cum externa internam hanc ad eos misit stellam, qua Christum Judææ et totius mundi Regem natum esse perfectissime norunt. *Alia stella*, inquit S. Augustinus, *nimirum revelatione indicatum est dicinitus, quod luce externi sideris tacite signabatur*. Deus, cuius providentia suaviter omnia disponit, Magos erudit per signa illis familiaria; cumque astrorum contemplationi incumbere, eos per stellam ad sui agnitionem adduxit: *Magos astrologos*, inquit Theophylactus, *per stellam voluit edocere, tamquam per rem extriniam ipsis familiarem* (in 2. Matt.). Doctor Angelicus (3 p. q. 26, art. 5) ait, « quod sicut manifestatio syllogistica fit per ea quæ sunt magis ei nota, cui est aliquid manifestandum, ita manifestatio, quæ fit per signa, debet fieri per ea quæ sunt familiaria eis, quibus manifestantur ». Cum itaque regibus Magis familiarissimum esset stellam contemplari, eos Christus per stellam erudit et ad sui agnitionem adduxit: *quoniam*, ut subdit Theophylactus, *astrologi Magi erant, propterea Dominus familiari signo eos adduxit*. Nec unicam ad eos misit stellam; misit unam externam, internam aliam et per utranque hanc stellam ita Christum natum esse agnoverunt, ut gavisi sint gaudio magno, enimque sollicite et ferventer quassierint. Mira-

mini Dei providentiam, qui illius stellæ fulgore Magos illuminat. Miramini, quod tam prompte et tam perspicue Magi Christum cognoscant, ut gaudentes eum inquirant; ac itidem obstupescite videntes, quod Christum non unicam, ac innumera multis peccatoribus mittit stellam, seu gratias eos intus illustrantes et tamen nondum perfecte illum norunt. Creaturæ insensibiles eum agnoverunt: « mare eum cognovit, quia sub plantis ejus se calcabile præbuit; terra cognovit, quia eo moriente contremuit; sol cognovit, quia lucis suæ radios abscondit; saxa et parietes cognoverunt, quia tempore mortis ejus scissa sunt; infernus agnovit, quia hos, quos tenebat mortuos, reddidit; et tamen eum, quem insensibilia elementa noverunt, multi peccatores agnoscere nolunt (S. Greg. hom. 10 in Ev.) »; de Judæis non loquor, verum de ipsis catholicis, inter quos multi suis ita excæcator sceleribus, ut Christum non agnoscant. Non eum agnoscunt ut Deum, cum non eum ut Deum et Dominum suum venerent. Non agnoscunt illum ut infinite justum, cum ejus judicia et supplicia non timeant. Non illum agnoscunt, ut summe bonum, cum de ejus bonitate et misericordia desperent. Plerique peccatorum sunt similes divo Paulo, qui antequam ab Anania sanaretur, *apertis oculis nihil videbat* (Act. 9, 8); ipsi enim apertos habent oculos ad videndum temporalia; ea jucunde vident, ea admirantur; apertis oculis spiritualia non vident et Christum non agnoscunt. O peccator agnosce Deum tuum et factorem tuum ad instar regum orientalium, qui Christum agnoverunt in Judæa, ac etiam Christum prædicaverunt in urbe Jerosolyma.

Reges Magi Christum prædicant in urbe Jerosolyma,
qua transeunt.

Postquam Magi novam stellam, novo situ, novo cursu, nova materia, novo motu, novoque lumine circumfulgentem vide-

runt, itineri se commiserunt et versus Jerosolyman pergentes, eadem eos antecedeat stella, quæ per noctem, veluti olim ignea columna Israelitas, eos illuminabat. Unde sicut cum columna sistebat, populus Dei itidem quiescebat; cumque illa incedeat, populus Dei etiam pergebat, ita regibus Magis contigit; nam quiescente stella ipsi sistebant et eunte ibant, donec ingressi Jerosolyman hi reges, qui antea gentiles erant et idololatæ, facti sunt prædicatores zelantissimi, qui in regia hac et totius Judææ metropolitim civitate, in qua residebat Herodes rex, palam Christi nunciaverunt adventum. Nondum sciebant quo præcise in loco natus esset Christus et tamen ipsum natum prædicarunt. *Mira res*, inquit Hugo cardinalis, *hi peregrini nativitatem prædicant, etsi locum ignorant* (in cap. 2 Matth.). Postquam Magi urbem Jerosolyman ingressi sunt, stella quæ ducebat eos, delituit; antequam Jerosolyman ingrederentur, lucebat stella; postquam ex hac egressi sunt civitate, luxit iterum stella; cur ergo non luxit novum et mirabile illud sidus, dum reges Jerosolyms permansere? Respondet sanctus Bernardinus, hoc contigisse, ut reges Magi Christi prædicarent adventum in præcipua hac Judææ civitate et deinde per universum regnum divulgaretur, ne quis hujus natalis inciscium et ignarum se effligere posset: *disparuit stella Jerosolyms propter Christum, ut natiuitas ejus nunciaretur in regia ciuitate, ac per consequens Judæi Christum non recipientes, inexcusabiles haberentur* (serm. de Epiph.). Stella, quam viderant Magi, erat *lingua colorum*, inquit sanctus Augustinus; hæc erat lingua magna, quæ regibus Magis adventum Christi prædicaverat; hæc autem lingua siluit, hæc stella Jerosolyms disparuit, ut ibi regibus Magis loquendi et Christi adventum prædicandi locum præberet. Ad pastores misit Angelum Deus, ad Magos stellam et ad Scribas legisque Doctores misit Magos, qui promissum Messiam regem jam natum esse nunciarent; siluit autem stella et Jerosolyms disparuit, ut Magissimum adimplendi munus locum relinqueret. Quemadmodum principe, aut gravissimo quodam viro loqui volente, silentium indicitur, omnesque venerationis causa silent; ita ingredien-

tibus regibus Jerusalem, silet *lingua colorum*, abscondit se stella et hi reges tunc loquuntur, Christique nativitatem prædicant: *mira res! hi peregrini nativitatem prædicant, etsi locum ignorant*. Reges Magi in urbe Jerosolyma palam prædicaverunt, dicentes: *ubi est, qui natus est rex Judæorum?* (Matth. 2). Ecce eorum propositionem, quam eximio miraculo comproharunt asserentes, hunc regem recens natum ad ipsos portentosam misisse stellam: *vidimus stellam ejus in Oriente et venimus adorare eum*. Ecce totam eorum prædicationem, quæ quidem brevis est, paucis tamen hisce verbis Christum venisse nunciant, Judæorumque negligentiam et duritiam arguunt, eo quod eum in ipsorum finibus natum non inviserint et ut regem non agnovissent. Advertite quæso, quomodo loquantur reges, eorum ponderate verba: *ubi est, inquit, qui natus est rex Judæorum?* His verbis non interrogant, an sit natus; eum esse natum pro certo ponunt et annunciant; imo, ut ait S. Petrus Chrysologus, Magi his verbis non interrogant, an Christus natus sit, potius veluti prædicatores zelantissimi Judæos increpant, quod Christo nato debita pietatis et æquitatis officia minime impenderit: *ubi est, qui natus est rex, non interrogant, inquit, sed insultant; non ignorant, sed negligentes arguunt, increpant desides, malos produunt, contumaces verberant, seruum Domino non occurrisse causantur* (ser. 156). Judæos interrogant Magi et occurrantur ab eis, ubi sit qui natus est rex Judæorum, non ut ab eis discant quod jam per Deum voverant, verum ut illos arguant. Ubi est, qui natus est rex Judæorum? *hoc est dicere, inquit Chrysologus, cur rex Judæorum in præsepio jacet et non decumbit in templo? cur non fulget in purpura, sed squallet in pannis? cur latet in specu et manifestus in sanctuario non habetur? acceperunt iumenta in præsepe, quem in domo sua recipere vos sprevisi*. O mirabilem Magorum concionem! Non pauci concionatores subtilitatibus studiosius vacant, foscules verborum accurate inquirunt et suavem circumscriptionum periodorum harmoniam curiosius sectantur, ut placeant, non ut prosint; ut oblectent, non ut compungant; ut auditores non ad Dei

obsequium, sed ad sui admirationem pertrahant. Tales utique concionatores non elegit Christus; his enim, quos ad prædicandum misit, mandavit, ut despecto profano et comico idiomate, evangelica dicendi ratione uterentur; iis præcepit, ut nullis poeticis inventis, nugatricibus fabulis hisque similibus ad demulcendas aures et auditoribus blandiendum uterentur, et Evangelium suum simpliciter prædicarent: *predicate Evangelium omni creatura* (Marc. 16). Sic autem Evangelium prædicare debent concionatores, ut libere arguant et increpent peccatores, qui a salutis æternæ semitis deflectunt: *argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina*. Et hoc modo prædicaverunt reges Magi: non adulterarunt verbum Dei, nec phaleratos adhibuerunt sermones, ut Herodi, Scribis et Phariseis placerent, a verbis aures eorum demulcentibus abstinuerunt; sancto succensis zelo Christum Judæorum regem venisse prædicarunt, necnon Judæos acriter objurgarunt, propterea quod eum ut regem et ut Deum suum nondum adoraverint: *negligentes arguunt, increpant desides, malos produunt, contumaces verberant, sertum Domino non occurrisse causantur*. O veros et vere zelantissimos prædicatores! quis non miretur reges illos idololatrias subito factos esse absolutissimos concionatores? est certe quod eos quisque admiretur et præcipue si altera prædicationis eorum circumstantia ponderetur, nempe quod ipsi ea fecerint, qua facienda prædicarunt. Verus prædicator opere implere debet quæ ab aliis agenda esse docet: *bene et utiliter prædicatur, si id quod ore præmitur, factis impleatur* (S. Cyr. de zel. et liv. 4); nonnulli tamen concionatores dicunt et non faciunt; quod dicunt verbis, negant factis; et sæpe dum alios honos efficere conantur, ipsi deteriores fiunt. Hos similes esse dicam horologio, quod alios regendo, continuis rotarum volutationibus deterioratur; vel etiam lyra, cujus fides atteritur, dum dulcem sonorum concentum auditoribus emittit. Hujusmodi concionatores non extitere reges orientales, ipsi enim dixerunt et fecerunt; facta eorum verbis fuere consona; et cum Judæis Christum regem natum esse prædicarunt, se quidem ad eum adorandum venisse declara-

runt: *vidimus stellam ejus et venimus adorare eum* (Matth. 2). Non dixerunt Judæis: rex vester natus est, adoraturi eum quaerite, nos autem illum adorare nolumus; non sic locuti sunt, postquam Christum venisse annunciarunt, statim se ad illum adorandum venisse asseruerunt, viam ad illum inquirendum inierunt; imo, inquit Chrysostomus, ita illius amore exarserunt, ut pro eo sanguinem fundere parati essent: *adhuc non viderant Christum et jam parati erant mori pro eo* (Imperf. ho. 2). O pereximios concionatores! simulque o pessimos eorum auditores! Verum est, Herodem, omnesque Jerosolymarum incolas turbatos esse, eum regum concionem audire: *audiens autem Herodes rex, turbatus est et omnis Jerosolyma cum illo* (Matt. 2). Hi turbati sunt, non conversi; turbati sunt, neque ideo Christum quaesierunt et adoraverunt. Ecce quod plerisque accidit auditoribus; clamat prædicator et hi conturbantur, arguit ille et hi commoventur; de formidantia Dei judiciis, vel de sempiternis inferni suppliciis ille loquitur et hi contremiscunt: *conturbati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos* (Ps. 47, 7); hi commoventur et trepidant, non tamen convertuntur. O fratres, quid vobis audiisse concionatores et tremuisse proderit, si valedicentes peccatis ad Deum non convertamini? Nihil equidem, quia *non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores* (Rom. 2). Non salvaberis, o peccator, quia audivisti concionatorem contra vitium illud, quo ligaris, declamantem; justificaberis et salvaberis, si vitia et peccata, quibus gravaris, per salutarem penitentiam extirpaveris. Igitur o fratres, ne imitemini Judæos, qui reges audierunt et conversi non sunt; sic concionatores audite, ut quæ dicunt faciatis: *quæ dicunt vobis facite*. Postquam vero reges Magos contemplati sumus in urbe Jerosolyma Christum prædicantes, *demiremur eos in spelunca Bethlehemitica Christum honorantes*.

III PARS.

Reges Magi Christum honorant in spelunca Bethlehemitica, in quam ingrediuntur.

Regina Saba ab ultimis terræ finibus venerat, non ut Salomonem adoraret, potius ut ejus sapientiam audiret: *illa loquentem hominem non adorare venerat, sed audire*, inquit S. Augustinus; reges vero Magi sp̄a derelinquunt regna, ad alienas transmigrant provincias et ad Christum veniunt, non ut eum loquentem audiant, verum ut illum venerentur: *vidimus*, inquit, *stellam ejus et venimus adorare eum*. Venerunt, ut illum adorarent et revera illum adoraverunt; completa enim sua prædicatione, ex urbe Hierosolyma egressi et præsentem stellam, transierunt usque Bethlehem: ubi Christum in spelunca invenerunt et *procedentes adoraverunt eum* (Matth. 2). Non solum adoraverunt eum externa quadam corporis reverentia, sed, ut ait Hugo cardinalis, *adoraverunt eum tam corpore, quam mente*. In quo, ut adnotat Rupertus Abbas, pastoribus urbaniores existere reges Magi: *pastores*, inquit, *non adeo docti, sive eruditi fuerunt, ut procedentes adorarent, aut munera offerrent, sed tantummodo cognoverunt de verbo, quod dicitum erat de puero hoc et reversi sunt glorificantes Deum. Reges vero Magi, ut Christo honorem impenderent, procedentes adoraverunt eum et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham* (in Matth. 2, 31). Quicumque olim reges Parthos salutari adibant, munera deferabant, ut eos simul corporis habitum et munerum oblatione venerentur: *reges Parthos non potest quisque salutare sine munere*, inquit Seneca (ep. 17). Eandem consuetudinem lege firmatam et apud Persas observatam esse, refert Cælius, dicens: *lege apud Persas sancitum est, screatum quoque pertinacissime, ut regem unusquisque muneribus, que honoraria dicuntur, salutatum eat* (lib. 12,

cap. 6); et hanc omnium regnorum antiquitus consuetudinem fuisse dicit Haymo: *vetus consuetudo fuit, ut nullus intraret ad regem sine muneribus* (in cap. 2 Matth.). Hunc morem servaverunt reges Magi, qui Christum regum Regem honoraverunt non solum procedentes, verum et pretiosa munera offerentes, quæ quidem munera honoraria fuerunt, cum ei aurum, thus et myrrham obtulerint; per aurum enim ut regem, per myrrham ut hominem et per thus ut Deum illum venerati sunt; *aurum, thus, myrrham regique, hominique, Deoque dona ferunt* (Juvenens). Deus ab hominibus honorari appetit; *si ergo*, inquit, *pater ego sum, ubi est honor meus?* (Mal. 1) Quomodo autem Deus honorari debeat docet Sapiens: *honora Dominum de tua substantia* (Prov. 3). Quæ Salomonis verba sic exponit Hugo cardinalis: *honora Dominum de tua substantia*, id est, *de te ipso*; vel *honora Dominum de tua substantia*, id est, *de tuis rebus, non de alienis*. Hic est duplex modus honorandi Deum de nostra substantia et utroque hoc modo Christum venerantur reges Magi; illum honorant de sua substantia, seu de seipsis, quia *procedentes adoraverunt eum*. Illum etiam honorant de sua substantia, seu de rebus suis, quia ei offerunt aurum, thus et myrrham: *aurum regi, thus Deo, myrrham mortali*, inquit Hugo cardinalis; et ut loquitur sanctus Augustinus, *aurum solvitur quasi regi magno, thus immolatur ut Deo, myrrha præbetur quasi pro salute omnium qui morituri sunt* (ser. de Epiph.). Non solum ait, reges hæc ei obtulisse dona, sed solvisse et immolasse: *solvitur, immolatur*; quia Christum puerum ita reveriti sunt, ut coram illo prociderint, eique, quasi rectigales et stipendiarii, aurum solverint; necnon quasi sacrificuli ei, ut Deo, thura immolaverint. O rem omnibus sæculis admirabilem! Reges Magi regem Judeorum sollicite quæsierant et nunc puerulum, in quo nihil regium oculis corporeis cernunt, ut regem venerantur; non enim in regia habitat Christus, sed in spelunca; non in prædive decumbit cubili, sed in præsepio; magna ille militum non stipatur caterva; principibus, magnatibus et aliis aulicis non circumcingitur; nullum sceptrum, nullum diadema, nullaque

alia regie majestatis insignia apparent; eum tamen ut regem et ut Deum venerantur Magi, quia fidei oculis hoc intuentur, quod corporeis videre nequibant: *videte quam oculata sit fides*, inquit Bernardinus; *quam lynceos oculos habeat, diligentius considerate*. Oculatissima quidem horum regum fuit fides, qua Christum puerum, ut regem et ut Deum ita perfecte cognoverunt, ut eo viso protinus ad ejus pedes se prostraverint, eque pretiosa munera obtulerint: *procedentes adoraverunt eum, et obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham*. O utinam æque oculata ac religiosa esset christianorum hujusce ævi fides! E contra prohi dolor! hujus temporis christiani coram Christo in sanctissimo Eucharistiæ sacramento remanente adorantes non procedunt, imo sæpe stant recti, sæpe vana et inutilia coram illo impudenter garrunt; ac effrontes nonnunquam sacrilego jocantur et scurrantur. Heu! nonne idem Christus, qui a Magis adoratus est in præsepio, nunc in sanctissimo residet Sacramento? Nonne idem illic et hic ei debetur honos? Nonne in utroque loco summa ei exhibenda est reverentia? Cur ergo, o fratres, non eum in Ecclesia adorantes colitis? Cur simul cum regibus Magis illum procedentes non adoratis? Hi reges christianæ religionis erant candidati, qui vix ab idololatria desciverant et tamen Christum infantem in cunis adhuc vagientem, ut regem et ut Deum suum adorarunt; cur ergo vos, qui a primis vitæ vestræ diebus Christo nomen dedistis, pari honore et simili cura reverentiam non exhibetis? Si sic Christum honorarunt inimici ejus, qui se convertunt; cur vos, qui ejus amicos esse profiteamini, similem ei honorem non impenditis? Insuper Magorum exemplo honorandus est Christus etiam muneribus. Hic est Deus noster, coram quo vacui apparere non debemus: *non apparebis in conspectu meo vacuus* (Exod. 23); plerique tamen hominum vacui sunt et tenaces respectu Christi; ita quod ei in templo vel in persona pauperum vix aliquid offerant. Christo, a quo omnia habemus, omnia nostra consecrare oporteret; dum vero nil Christo, omnia concupiscentiæ offerunt multi. *Satius est*, inquit abbas Guericus, *Christo offerre, quam sanguisugæ, id est, con-*

eupiscentiæ, cujus dant filio voluptas et vanitas non dant requiem die ac nocte, dicentes: affer, affer (s. 3 Epiph.). Non ergo vanitati et voluptati, quæ sunt filie concupiscentiæ, verum Christo qui est filius Mariæ et a quo bona cuncta procedunt, vestra offeratis. Et præcipue ei offerte aurum, thus et myrrham, *aurum dilectionis, thus devotionis et myrrham contritionis*, ut ait divus Bonaventura (serm. de Epiph.). Hæc ei quisque offerre potest et debet. Vel, ut ait sanctus Gregorius, *aurum offerimus, si sapientiæ lumine splendemus; thus, si orationis studio redolemus; myrrham, si carnis citia mortificamus* (hom. 10). Hæc munera Christo offeramus et ipse gratiæ suæ donis ditabit nos in hoc mundo et æternam beatitudinem dabit in paradiso. Amen.

CONCIO SECUNDA.

Ubi est, qui natus est rex Judæorum? (Matthæi 2).

Christum inter et ceteros reges illud præter alia inest discrimen, quod hi, quamvis ad hoc nati ut sint reges, non tamen ex visceribus matrum proleunt reges, non regio redimiti diademate nascuntur; ut reliqui homines in locum veniunt, regiamque dignitatem armis, electione, aut hereditate assequuntur. Christus autem prius rex erat, quam natus est verè natus est rex: *ubi est, qui natus est rex?* Nec quomodolibet rex natus est Christus, sed *Rex regum et Dominus dominantium*, qui omnes alios reges longo antecessit: *primogenitum ponam illum excelsum præ regibus terræ* (Ps. 88, 28). Regiam suam dignitatem hac die specialiter manifestat Christus, qui ut rex agnoscitur, ut rex quaritur et ut rex honoratur: *ubi est, qui natus est rex Judæorum?* vi-

dimis stellam ejus in Oriente et venimus adorare eum.
Contemplemur hunc regem in cunis gloriose triumphantem,
ejusque triumphos demiremur. *Ave.*

Reges Magi in Christum credunt, ad Christum vadunt et Christum adorant; apparet iis stella in Oriente et ea visa in Christum credunt; antecedit illos stella et ipsi eam sequuntur, ut ad Christum vadant; stella tandem illos ducit in Bethlehem, ubi Christum inveniunt et procidentes adorant: *et procidentes adoraverunt eum.* Ne reges Magi in Christum crederent, illorum prohibebat religio, cum essent idololatrarum et falsorum deorum cultores (1): ne stellam sequerentur et a regnorum suorum finibus egrederentur, ut ad Christum vaderent, mundi obstabat sapientia; et ne coram Christo puero in stabulo degente prociderent, majestas regia suadebat. Hodie gloriosissime triumphat Christus de idololatria, de mundi sapientia et de majestate regia: 1. triumphat Christus de idololatria, quia reges Magi in ipsum credunt; 2. triumphat Christus de mundi sapientia, quia reges Magi ad ipsum vadunt; 3. triumphat Christus de regia majestate, quia reges Magi coram illo procidunt.

(1) Non certo constat idololatræ fuisse magos; et quamvis in ipsis magna habeatur ostensio virtutis Christi, qui eos a regione longinqua non tam propter distantiam loci, quam propter discrepantiam morum ad sui agnitionem et fidem vocavit, non tamen videtur aliquam assere gratiam actuali ipsi longe antea collatam fuisse et aliquantulum prædispositis ad tantum munus, nempe procedendi omnes gentes in adoratione Christi; quæ gratia prædisponens non alia profecto fuisse videtur, quam lumen ad agnosendum imperitiam et vanitatem cultus idolatriæ, juxta illud S. Augustini, «initium operum bonorum est confessio operum malorum». Quod etiam videtur esse in pluribus aliis ad fidem mirabiliter conversis, in quibus non indubia processere signa gratiæ eos preparantis: ex. gr. in Cornelii Centurione, in Eunice regine Cæsaris.

I PARS.

Triumphat Christus de idololatria, quia reges Magi in ipsum credunt.

A tempore quo protoparentes nostri in Oriente peccaverunt, omnia alia fere peccata in Orientali regione habuero radicem. Ibi in primis initium sumpsit invidia, ex qua protinus fratrum ortum est homicidium, ut in Genesios libro (4) legimus. Ibi superbia et iniqua dominandi libido in Nemrod initium duxit, de quo eodem libro (10) dicitur: *ipse cepit potens esse in terra*; seu, ut explicat Glossa, *cepit esse fortis et tyrannus*. Ibi etiam primum viguit luxuria in Lot, qui cum duabus suis filiabus concubuit (1). Ibi bigamia in Lamech, illaque nonnulla alia vitia principium habuere et præcipua idololatria, quæ ab orientali plaga suam traxit originem. Ninus enim, ut refert author historiæ scholasticæ, patris sui Beli vita functi, qui rex fuerat Babylonia, effigiem fieri curavit, cui tantam reverentiam exhibuit, ut omnibus reis ad illam confugiens liberenter parceret. Unde regni hujus incolæ Beli statuae divinos honores impendere cœperunt; indeque factum est, ut plurimi similiter parentibus et amicis suis defunctis imagines dedicarint et sic ab hac prava radice, seu a Beli statua totum fere per orbem idololatria propagata est. Christus ergo, qui in hunc mundum venit, ut omnia pontus vitia et præsertim idololatriam depelleret, ab illa mundi parte, in qua suam sumpserat originem, triumphos suos initiavit; ibi triumphavit de idola-

(1) Advertendum tamen neque Lot culpabiliter deliquisse, quod somno correptus patravit; neque ejus filias ex mera libidine ad tantum facinus adductas, verum ex desiderio proles, quo per ea tempora omnes tenebantur; adeo ut nil magis videretur quæque horrere, quam abque liberis decedere: ex quo minuitur carnis delictum, non tollitur, cum de re agatur a qua summeperere natura abhorret.

tria in personam regum, quos ab idolorum cultu advocavit et ad veram fidem convertit: *quia in Oriente orta est multiplicitas vitiorum*, inquit Damascenus, *ideo veniens in carne Verbum, voluit mudare illam partem novi sideris influentia; ut ubi coeperat macula, ibi inciperet sanctificatio, et ubi radicem jecerat idololatria, ibi fides inciperet pullulare* (l. 4, c. 4). Hunc Christi de idololatrie triumphum praedixit Isaias his verbis: *antequam sciat puer vocare patrem suum et matrem suam, auferetur fortitudo Damasci et spolia Samariae* (S. 4). Quis enim est ille puer, qui adhuc balbutiens et antequam loquatur, gloriose triumphat, nisi Christus Dominus, qui antequam per humanam carnem verba proferret humana, vera abstulit spolia Samariae, seu idololatrie, cum Magos ad fidem convertit: *Magi spolia sunt facti Samariae, seu idololatrie, credentes videlicet in Christum* (Tert. advers. Marc. 3, 13). Reges Magos Samaritanos vocat Isaias, non quod vere Samaritani essent natione, sed quia Samaritani erant crimine: sicut enim Samaritani idololatrie erant dediti, ita et reges Magi; unde hi reges ab idololatria cui adhaerent erant, vocantur Samaritani: *nec hoc novum Scripturis dicitur*, inquit Tertullianus, *figurate uti translatione nominum ex comparatione criminum. Sic et Aegyptius nonnumquam totus orbis intelligitur superstitionis et maledictionis elogio; sic et Babylon apud Joannem Romanae urbis figura est. Hoc itaque modo Magos Samaritanorum appellatione titulavit et despiciatos, quod habuerant, ut dicitur, idololatriam* (advers. Jud. 9). Ecce Samaritanos quos spoliavit Christus; ecce reges de quibus triumphavit, cum eos ab idololatria abduxit, et ad veram fidem perduxit: *Magi spolia sunt facti Samariae, seu idololatrie, credentes videlicet in Christum*. Galenus libro, cui titulus *an animal sit id quod in utero*, heroum proprium affirmat, a primis unguiculis virtutem grandioris aetatis premonstrare. Nam, inquit, *nondum natus erat Pericles Olympius et jam Graecos omnes ab insomnium deterrebat. Alexander nondum natus jam Annonii filius dicebatur et regni princeps*. De Hercule etiam

fertur, quod adhuc in pannis serpentem suffocaverit. Christus in cunabulis gloriosiora futurorum suorum triumphorum exhibuit testimonia: ex tunc se demones ab idolis et ab hoc mundo ejecturum esse testatus est; vix enim natus erat Christus, cum demonibus bellum indixit et tonobarum potestates debellavit; tantoque gloriosior haec extitit victoria, quanto ditior praeda, quam de manibus eorum tulit, et quanto nobiliores sunt magi quos ipsis eripuit et ditioni suae subdidit. Isvero quibus, quaeso, armis hos tulit triumphos? non ense quidem, nec tormento bellico; verum mirabili unius stellae testimonio: *sub testimonio indicis stellae Magi spolia sunt facti Samariae, seu idololatrie, credentes videlicet in Christum* (Tert. ubi sup.), Christus recens natus stellam Magis delegavit, qua, cum osset lingua caelorum, sic eos suo modo allocuta est: natus est puer in Bethleem, qui rex vester et Deus vester est; hunc colere debetis, non idola vestra, quae oculos habent et non vident, aures habent et non audiunt: *stella dicere et clamare videbatur: Est puer, quem natum testor e caelo; hic est rex ille magnus, qui venit caelesti imperio regnum sociare terrerum* (S. Max. hom. 4): his et aliis stellae testimoniis, Deo iutus agente, ipsi idolis abrenunciaverunt et in Christum crediderunt, et sic unius stellae testimonio de demone, de idololatria et de Magis Christus triumphavit; quapropter S. Ambrosius ait, Christum, mediante una stella, triumphales manipulos reportasse: *triumphales manipulos resevitavit* (Ep. 35). Non unicum, at plures tulit manipulos, quia non Magos solum, etiam omnes homines ab idololatria revocavit. Verum quidem, reges Magos primos esse manipulos et prima spolia, quae ab idololatria Christus abstulit: *isti sunt primitiae Gentium, qui in Christum crediderunt*, inquit Rupertus Abbas (in Matt.). Hi sunt primi ex Gentilibus, qui idololatriae abrenunciaverunt, non soli: quia mediantibus illis, aut saltem eorum exemplo, deinde ab omnibus mundi partibus expulsus est: *isti sunt primitiae Gentium, qui in Christum crediderunt, et hi tres homines tribus partibus orbis Asiae, Europa, atque Africae, fidei vel confessionis, atque adora-*

tionis exemplar existere meruerunt. Antequam in hunc mundum veniret Christus, omnes fere homines tetris idololatriæ tenebris obrolvebantur; prius per stellam Magos illuminavit, postea per Magos de tenebris nos vocavit in admirabile lumen suum (1 Pet. 2, 5). Antequam mundo nasceretur Christus, Gentiles ratione idololatriæ erant non populus Dei, sed populus demonis, mediantibus autem stella et Magis ab idololatria et a demonis potestate eos eripuit, ut eos populum suum faceret: qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei; qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti (1 Pet. 2, 10). Christus tandem per stellam Magos ab idololatria revocavit et mediantibus Magis, ab omnibus mundi partibus idololatriam exturbavit: et hi tres homines tribus partibus orbis, Asia, Europe, atque Africæ, fidei vel confessionis, atque adoratonis exemplar esse meruerunt. O quam gloriosa hæc Christi exiit victoria, ex qua totius idololatriæ destructio manavit! Quam propterea miseri et maligni plerique hominum, qui destructa per Christum idololatria, nova sibi conficiunt idola, quid est aliud pene omnis cæcus christianorum, quam sentina vitiorum? quorum enim quemque non inebrietas aut ebriosum, aut halluonem, aut adulterum, aut fornicatorem, aut raptorem, aut ganeonem (Salvian. de gub. Dei, 3). Ecce tot fore idololatrias, quot cristianos, quorum idola non sunt statua aureæ vel argenteæ, at vitia quibus adherent et peccata quæ perpetrant: quotcumque vitia habemus, quotcumque peccata, tot recentes habemus deos. Iratus sum, ira mihi deus est; vidi mulierem et concupivi, libido mihi deus est: unusquisque enim quod cupit et veneratur, hoc illi deus est (S. Hier. in Ps. 80). O pessima idola, cuncta quidem longe a vobis projicienda! non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum (Ps. 80). Avaritia, luxuria, ebrietas et alia vitia quibus indulgetis, sunt dii recentes, quos in cordibus vestris efformastis; auferte hos deos de medio vestri, non remaneant in vobis recentes illi dii, ne illis incensa adoleatis: imo satagite, ut Christus de hac vestra triumphet idololatria,

sicut de Magorum idololatria triumphavit; in quibus triumphavit etiam de mundi sapientia.

II PARS.

Triumphat Christus de mundi sapientia, quia reges Magi ad ipsum vadunt.

Antequam Christum visuri e suis regnis discederent Magi, gravis in corde illorum gratiam inter et mundi sapientiam orta est discrepatio, suadente mundi sapientia ne ad Christum irent; gratia vero eos ad Christum trahente, eosque intus invitante, ut Christum regem suum et Deum suum adorari quaerent. Dicebat intus mundi sapientia, ad quid tam longum iter extra regnum vestrorum fines hiberno tempore cum valetudinis et forte vite periculo susciperitis? Cur vos, reges, puerulum, qui forte rex non est, in locis remotissimis ut regem salutari quaereretis? Sæviet Herodes, ridebunt Pharisei, vobisque illudent populi, cum vos puerulum inquirentes videbant; quaerant et venerentur hunc puerum qui voluerint; vos autem honori, quieti et saluti vestræ consulentes, in palatii vestris remanete; hic de bona vestra gaudete fortuna, ibique non de aliis honorandis, verum de debitis honoribus percipiendis cogitate. Hæc in corde Magorum argumentabatur mundi sapientia; Christi gratia, seu Christus per gratiam suam de mundana hac sapientia gloriose triumphavit: omnia namque ejus argumenta facillime solvit, regibusque Christum regem inquirendum esse ita suavit, ut superatis quibusque difficultatibus, absque ulla mora ad illum perrexerint: non enim, ut ait D. Bernardinus, retardavit eos longitudo viarum, non difficultas temporum, non delicata teneritudo complexionum, non periculum personarum, quia ita inflammavit eos fidei fervor et extrinsecus luminis splendor, ac interna irradiatio et illustratio, ut nec uno temporis momento potuerint retardari (Serm. de [Epiph.]).

O mirabilem Dei de mundi sapientia triumphum! Vocavit Deus Abraham, illicque a patria egressi imperavit, ut ad locum quem ipsi monstraturus erat, veniret: *egredere de terra tua et de cognatione tua et de domo patris tui, et veni in terram quam monstravero tibi* (Gen. 12). Durum quidem hoc erat præceptum, tum quia ab eo exigebat Deus, ut domum, parentes, amicos et quæcumque sibi chara relinqueret; tum quia locum ad quem iturus erat, non ei manifestavit. Quis dubitet mundi sapientiam huic præcepto relictas? Quis credat hanc sapientiam, quæ *inimica est Dei*, Abrahamo hujus præcepti observantiam non dissuasisse? Magna profecto in corda hujus patriarchæ gratiam inter et mundi sapientiam instituta est lis: gratia Abraham ad Deo parendum vocabat; mundi vero sapientia illum ab ejus præcepto adimplendo deterrebat; Dei tamen gratia, seu Deus per suam gratiam in hoc patriarcha de mundi sapientia triumphavit, quia hic Deo vocanti obtemperavit et quo illum vocavit Deus, libenter se contulit: *obediit in locum eziæ, quem accepturus erat in hereditatem et exiit nesciens quo iret* (ad Hebr. 11, 8). Ecce gloriosum Dei de mundi sapientia triumphum, de qua tamen gloriosius in regibus Magis triumphavit, quia Deo illos ad inquirendum Christum vocanti obediit nulla eis humana ratio suadebat: *quoniam Magos ratio commovit? quoniam etiam spes impulit præmiorum, ut ad regem adorandum venirent, tam casto præsertim a se terrarum spatio separatum?* (S. Chrys. in Matt.). Annotat Cajetanus, sex Abrahamo Deum promississe præmia, ut ad eum exeundum de terra sua alliceret; quæ quidem tot erant rationes, quibus ad Dei mandato obtemperandum moveri poterat. Sancto huic patriarchæ dixit Deus: *veni in terram quam monstravero tibi. Faciamque te in gentem magnam et benedicam tibi et magnificabo nomen tuum, erisque benedictus. Benedicam benedicientibus tibi et maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur universæ cogitationes terre*. Ecce præmia, quæ Abrahamo pollicitus est Deus, quæ quidem graves erant rationes, necnon motiva urgentia, quibus sanctus hic patriarcha ad Deo obe-

diendum traheretur. *Quoniam vero Magos ratio commovit? quoniam etiam spes impulit præmiorum, ut ad regem adorandum venirent, tam casto præsertim a se terrarum spatio separatum?* Nulla certe hoc eis humana suadebat ratio; quin contra innumeras mundi sapientia proferebat rationes, ut illos ab exeundo extra regna et ab inquirendo Christo averteret; Christus tamen per gratiam intus moventem et Magos trahentem, de mundi sapientia triumphavit: *Magos trahit per gratiam, quæ invitat, per lucem, quæ informat* (Laur. Just. p. 1 de ligno vit.); ideoque gloriosius Deus in regibus Magis, quam in Abrahamo, de mundi sapientia triumphavit. Cum Magi, qui astronomi erant, ipsis a Christo delegatam stellam viderunt, eam novam esse et prodigiosam, necnon magnam quid portendere agnovissent; externæ autem huic stellæ internam aliam superaddidit Christus, quæ quid externa significaret, manifestavit et quæ in Magorum cordibus fortiter operata est, ut illos ad Christum inquirendum alliceret: *agente stella in cordibus eorum* (S. Leo). In cujuslibet horum principum corde agebat Christi gratia et mundi sapientia; in eorum corde, sicut olim in ventre matris Jacob et Esau, decertabant: oppositarum rationum inter eas initum est certamen instante semper mundi sapientia, ut reges a tam longo, tamque difficili itinere suscipiendo averteret; ac de ea gloriosissime triumphavit Deus per gratiam suam, quia Magi superatis omnibus mundanæ sapientiæ rationibus, Christum prompte, solite et generose quesierunt. *Prompte* quidem, quia nã primùm stellam viderunt, continuo vocanti Deo obtemperantes, in viam se dederunt: *vidimus, ajunt, stellam ejus et venimus* (Matth. 2); ibi enim inter videre et venire nihil est medium. *Solite* etiam Christum quesierunt, quia festinanter incesserunt, ab omnibus sibi obvii inquirentes, ubi esset Christus: *ubi est, qui natus est rex Judæorum?* Christum tandem animose quesierunt, quia Jerosolyma transierunt, ibique coram Herode Christum regem Judæorum vocare non sinerunt: *dum considerabant regem futurum, non timebant regem præsentem* (Imperf. hom. 2). O gloriosum Christi recens nati de mundi sapientia triumphum!

et oh utinam ita de omnium hominum cordibus triumpharet! De regibus Magis triumphavit Christus, quia derelictis propriis, ad eum ierunt. O quam pauci hos reges imitantur? quam pauci de terra sua exeunt, ut ad Christum vadant? ut enim ait Doctor Seraphicus, *ecce reges saeculares regni negotia intermittunt et Deum quaerunt, quem tamen multo etiam literati et religiosi negligunt* (serm. 2 Epiph). Stellas vocantes ad nos mittit, Christus: *vocat nos Deus per se*, inquit S. Gregorius, *vocat per angelos, vocat per patres, vocat per prophetas, vocat per apostolos, vocat per pastores, vocat per miracula, vocat per flagella, vocat aliquando per prospera, vocat aliquando per adversa* (hom. 37 in Evang.). Ecce stellas quibus Christus nos vocat; at vero pauci de terra sua egrediuntur, ut ad eum vadant. O peccator, exi de terra voluptatum tuarum, in qua non invenitur Christus: *nec invenitur in terra suavitatis viventium* (Job. 28, 13): exi terra luxurie et ingulvie, cui agglutinatus est venter tuus: *conglutinatus est in terra venter aoster* (Ps. 43, 25), exi de terra omnium iniquitatum tuarum, ut ad Christum vadas: cum gratiae stella apparuerit, ne cuncteris; protinus vocatus ad vocantem festina. Ne, quæso, Judæis et Herodi similis efficiaris, qui stellam Magosque sequi noluerunt et ideo in perfidia sua perierunt; Magos, non vero illos iniquos imitari oportet, et cum istis quaerendus est Christus, quousque invenitur in civitate, quam inhabitat. Christus est rex et Dominus omnium virtutum: *Dominus virtutum ipse est rex glorie* inquit Psalmista (Ps. 23), *sicut autem*, ait S. Vincentius Ferrerius, *rex est Dominus civitatum sui regni, ita Christus est Dominus omnium virtutum, quæ dicuntur civitates suæ; si ergo volamus ipsam perquirere cum sanctis regibus, quaeramus eum in suo dominio, quia rex communiter moratur in suo regno*. Humilitatem, paupertatem, obedientiam, aliasque virtutes sectemur: hæ sunt ejus civitates, ibi eum inveniemus in civitate Bethlehem, ubi de eorum majestate triumphavit.

III. PARS.

Triumphat Christus de regia majestate, quia reges Magi coram illo procedunt.

Non censendum, Magos nomine solum fuisse reges; erant enim veri reges, qui, ut ait Hugo cardinalis, regio cum apparatu et comitatu in Bethlehem se contulerunt, cumque stella qua ducebantur, supra stabulum stetit, in illud ingressi sunt, ibique invenerunt puerum recens natum, exiguum corpore et ita contemptibilem paupertate, ut regia eorum majestas vetare videretur, ne supremos illi honores impenderent. Christus vero per fidem, quam animabus eorum infudit, per gratiam, qua corda illorum illustravit et per divinam quoddam lumen, quod in facie ejus radiabat, ita de eorum majestate triumphavit, ut prostrati illum adoraverint: *et procedentes adoraverunt eum* (Matth. 2). Reges Magi Bethlehemiticam ingressi speluncam, externa ibi nulla viderunt regie majestatis indicia, non regnum ibi erat palatium, non regalis thronus, non armati custodes, non stipantium caterva, non aurea et argentea vasa, non serica et auro contexta sedilia, non regni proceres, nec exercituum duces. Unde in hæc verba prorumpit S. Chrysostomus: numquid reges viderunt palatium marmore splendidum? numquid matrem ejus diademate coronatam, aut in lecto aureo recubentem? numquid puerum auro et purpura involutum? quid igitur? diversorium tenebrosum et sordidum, et animalibus potius, quam hominibus aptum, in quo nemo libenter secedebat, nisi finceris necessitate coactus. Matrem ejus vix tunicam unam habentem, non ad ornamentum corporis, tantum ad tegumentum nuditatis, quam habere poterat uxor fabri peregre constituta. Puerum pannis villissimis involutum et sordidore in præsepio positum, quia locus ille sic erat angustus, ut nec ponendi infantem spatium invenirent (Imp. in [c. 2 Mat.]). O magnam Christi pueri paupertatem! o portentosam ejus humilitatem! nihil

ominus Christus puer, Christus tam pauper et humilis per gratiam, qua Magos illuminavit et per divinum quoddam lumen, quod in ejus vultu fulgebat, ita de eorum regum majestate triumphavit, ut eorum illo procederint, eumque ut Deum adoraverint: *adorant in carne Christum, in infantia sapientiam, in infirmitate virtutem et in hominis veritate Dominum majestatis* (S. Leo. ser. de Epiph.). Cum tres Magos, inquit idem S. Leo, ad adorandum Jesum novi sideris claritas deduxisset, non jecis imperantem demonibus, non mortuos suscitantem, non oecis visum; aut claudis gressum, aut mutis eloquium reformantem, vel in aliqua divinarum virtutum actione viderunt, sed puerum silentem, quietum et sub matris sollicitudine constitutum. Eos tamen, ut ait S. Bernardus, *non offendit cilia habitatio stabuli, non pauperies praesepti, non indigentia matris, non lactentis infantia scandalizat* (ser. 3 Epiph.). Cur non offendantur, nec scandalizantur hi principes, videntes puerum quantitate parvulum, alienae opis indigum, fundi impotentem et in nullo ab humanae infantiae generalitate dissimilem? (S. Leo ubi sup.). Iis certe magna videbatur esse scandali ratio, non tamen scandalizantur, quia, ut ait Theophylactus, *multis argumentis didicerant quod esset Deus* (in cap. 2 Math.). Stellam portentosam viderant Magi, ecce unum argumentum; stella haec eorum dux fuerat, ecce aliud argumentum; stella supra Bethlehemicum antrum steterat, ecce aliud argumentum; ex Christi facie divinitatis quaedam indicia prodibant, ecce aliud argumentum; Christus corda Magorum gratiae suae lumine illustrabat et ad sui amorem accendebat, ecce aliud argumentum. His autem argumentis ita de his regibus Christus triumphavit, ut ad pedes ejus se prostraverint, eumque ut Deum adoraverint: *hominem vident et Deum adorant* (S. Chrys. ubi sup.). Sidereum quid in Christi vultu radiabat, quo spectantium sibi conciliabat animos et corda devinciebat: *dicitur Jesus quiddam habuisse in vultu et in oculis sidereum, quo divinitus perulceret pius* (D. Pasch. in ps. 44). Abeste hinc, o vos nimii stellarum cultores, quibus tantam inesse censetis virtutem, ut humanas etiam vo-

luntates rapiunt. Non ea est stellarum potestas, sed Christi virtus, qui unus perficit quod de stellis astrologi judiciarii vulgo fabulantur: Magos enim ad se traxit stella gratiae, quam in cordibus eorum formavit; illos ad se duxit stella materialis, quam oculis eorum objecit et de eorum majestate triumphavit vultu sidereo, quem praetulit. Nam cum ipse esset *splendor Patris et figura substantiae ejus* (Hob. 1, 5), etiam in illius facie divinitatis quaedam indicia prodibant, quae cum intuerentur Magi, divino afflati Spiritu, ejus imperio colla subderunt, illumque tamquam Deum adoraverunt: *hominem vident et Deum adorant*. O gloriosum Christi triumphum, qui ita de regibus Magis triumphat, ut ipsam procedentes adhorat! O utinum ita de haereticis triumphasset, imo et de catholicis; haeretici enim Christum in Eucharistia adorare renuunt et multi catholici eum adorare fingunt; quantum vero in ipsis est, interimunt eum quem adorare se simulant. Hujusmodi sunt quotquot indigne corpus Christi sumunt; hi rei sunt corporis et sanguinis Domini, et dum illud adorare fingunt, iterum ei mortem inferre moliantur. Quis non clamet eos similes esse Herodi, qui Christum adorare velle simulabat et nil aliud, quam illum trucidare expetebat? Magis enim dixit Herodes: *ite et renunciate mihi, ut et ego veniens adorem eum* (Math. 2). O calliditatem flectam! o incredulitatem impiam! o nequitiam vere fraudulentam! dam, ut ait S. Chrysostomus, *devotionem promittebat, qui gladium accebat, et malitiam cordis sui humilitatis colore dopingebat*. Herodi assimilantur quotquot indigno sanctissimum Christi corpus recipiunt qui dum Christum adorare videntur, eum pro parte sua accidunt; *qui manducant et bibunt indigne*, inquit S. Paulus, *reus erit corpus et sanguinis Domini quomodo reus? ac si illum occidisset*, inquit S. Remigius. Heu! quot in hoc mundo sunt herodiani criminis rei! quot Christum, non in eunis, ad sub speciebus eucharisticis persequuntur? quot sunt qui indigna divina haec mysteria participant? accedis luxuria igne succensus? indigne participas; accedis spiritu vindictae exstans? indigne manducas; accedis alterius bona injuste detinens? indigne sumis; accedis tandem

cor mortali aliquo crimine inquinatum habens? indigne recipis et quasi alter Herodes, dum ad Christum recipiendum et adorandum accedis, quantum in te est, illum interimis. O peccator, ait S. Chrysostomus, *cave, ne Herodi efficiaris similis; et dicas, ut ego veniens adorem eum; cumque veneris, interinere coneris. Huius enim similes sunt, qui indigne abutuntur communionis mysterii* (in cap. 2 Matth.). No ergo Herodi stis similes, emulamini pios reges Magos, qui in Christum credunt, ad Christum vadunt et Christum adorant; cum ipsis in Christum firmiter credite, ad Christum ferventer properate, Christum reverenter adorare et cum ipsis in cœlo æternum regnabitis. Amen.



DE SANCTO ANTONIO ABBATE

CONCIO UNICA.

*Bonum certamen certavi, cursum consummavi,
fidem servavi* (2 Timoth. 4).

Sicut firmamentum, seu cœlum sidereum, suis emicat astris, ita Ecclesiâ, quæ est cœlum mysticum, sanctis suis, tamquam tot sideribus fulget; ideo sicut in cœlo stellato nonnulla aliis rutilantiora et fulgentiora habentur sidera; ita et in mystico Ecclesiâ cœlo quidam inventiuntur viri sanctitate speciali præcëlentes, qui excellentiori lumine splendent et qui, veluti sidera portentosa, virtutum, miraculorum et meritorum suorum radiis universam Ecclesiam illuminant et mirabiliter illustrant. Inter fulgentiora hæc orbis ecclesiastici lumina, omnium plane iudicio, recensendus sanctus Antonius Abbas ex Egypto oriundus, qui adhuc juvenis, magnas quibus fruebatur divitias

pauperibus distribuit et mundo valedicens, in vastam secessit eremum, ubi extitit flagellum demonum, fidei propugnaculum, norma virtutum, monachorum patriarcha, sanctitatis prodigium, splendor vitæ eremiticæ, et ut paucis multa complectar, ibi pugnavit fortiter contra spiritualia nequitias, cucurrit feliciter in via perfectionis et fidem usque ad mortem servavit et propagavit: *bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi*. Quod, quam verum sit, ex dicendis patet. Ave.

Sanctus Paulus apostolus, ut coronam justitiæ et gloriæ obtineret, certavit, cucurrit et credidit. Certavit divus Paulus contra tartareas potestates, quæ illum insectabantur et adversus angelum satanæ qui illum colaphizabat: *bonum certamen certavi*. Cucurrit etiam divus Paulus per semitas justitiæ et per aretam omnium virtutum viam: *cursum consummavi*. Ipse demum innumeris hostium et persecutionum iactatus fluctibus, fidem illæsam et perfectam servavit: *fidem servavi*. Miror Doctorem gentium pugnantiem, currentem et credentem; jam vero est etiam, quod quisque miretur S. Antonium, qui gloriosissime pugnavit, cucurrit et credidit: *pugnavit* sanctus ille Abbas contra demones sibi infensissimos, de quibus triumphavit; *cucurrit* per vias innocentie, positivitæ et charitatis, a quibus nunquam declinavit; *credidit* tandem fide viva et generosa, cui usque ad mortem firmiter adhesit. Sanctus Antonius Christi athleta, discipulus et testis extitit; ut Christi athleta strenue contra demones decertavit; ut Christi discipulus, jucunde in altiori perfectionis via cucurrit et ut Christi testis, fidem ejus usque ad finem firmissime sectatus et testatus est, Antonius pugnavit et ejus certamen fuit gloriosum: *bonum certamen certavi*. Antonius cucurrit et ejus cursum fuit perfectus: *cursum consummavi*. Antonius credidit, et ejus fides fuit admirabilis: *fidem servavi*. Videamus 1. *ejus certamen*, quod fuit gloriosum; 2. *ejus cursum*, qui fuit perfectus; 3. *ejus fidem*, quæ fuit admirabilis.

cor mortali aliquo crimine inquinatum habens? indigne recipis et quasi alter Herodes, dum ad Christum recipiendum et adorandum accedis, quantum in te est, illum interimis. O peccator, ait S. Chrysostomus, *cave, ne Herodi efficiaris similis; et dicas, ut ego veniens adorem eum; cumque veneris, interinere coneris. Huius enim similes sunt, qui indigne abutuntur communionis mysterii* (in cap. 2 Matth.). No ergo Herodi stis similes, emulamini pios reges Magos, qui in Christum credunt, ad Christum vadunt et Christum adorant; cum ipsis in Christum firmiter credite, ad Christum ferventer properate, Christum reverenter adorete et cum ipsis in cœlo æternum regnabitis. Amen.



DE SANCTO ANTONIO ABBATE

CONCIO UNICA.

*Bonum certamen certavi, cursum consummavi,
fidem servavi* (2 Timoth. 4).

Sicut firmamentum, seu cœlum sidereum, suis emicat astris, ita Ecclesiâ, quæ est cœlum mysticum, sanctis suis, tamquam tot sideribus fulget; ideo sicut in cœlo stellato nonnulla aliis rutilantiora et fulgentiora habentur sidera; ita et in mystico Ecclesiâ cœlo quidam inventiuntur viri sanctitate speciali præcëlentes, qui excellentiori lumine splendent et qui, veluti sidera portentosa, virtutum, miraculorum et meritorum suorum radiis universam Ecclesiam illuminant et mirabiliter illustrant. Inter fulgentiora hæc orbis ecclesiastici lumina, omnium plane iudicio, recensendus sanctus Antonius Abbas ex Egypto oriundus, qui adhuc juvenis, magnas quibus fruebatur divitias

pauperibus distribuit et mundo valedicens, in vastam secessit eremum, ubi extitit flagellum dæmonum, fidei propugnaculum, norma virtutum, monachorum patriarcha, sanctitatis prodigium, splendor vitæ eremiticæ, et ut paucis multa complectar, ibi pugnavit fortiter contra spiritualia nequitia, cucurrit feliciter in via perfectionis et fidem usque ad mortem servavit et propagavit: *bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi*. Quod, quam verum sit, ex dicendis patebit. Ave.

Sanctus Paulus apostolus, ut coronam justitiæ et gloriæ obtineret, certavit, cucurrit et credidit. Certavit divus Paulus contra tartareas potestates, quæ illum insectabantur et adversus angelum satanæ qui illum colaphizabat: *bonum certamen certavi*. Cucurrit etiam divus Paulus per semitas justitiæ et per aretam omnium virtutum viam: *cursum consummavi*. Ipse demum innumeris hostium et persecutionum jactatus fluctibus, fidem illæsam et perfectam servavit: *fidem servavi*. Miror Doctorem gentium pugnantiem, currentem et credentem; jam vero est etiam, quod quisque miretur S. Antonium, qui gloriosissime pugnavit, cucurrit et credidit: *pugnavit* sanctus ille Abbas contra dæmones sibi infensissimos, de quibus triumphavit; *cucurrit* per vias innocentie, positivitæ et charitatis, a quibus nunquam declinavit; *credidit* tandem fide viva et generosa, cui usque ad mortem firmiter adhesit. Sanctus Antonius Christi athleta, discipulus et testis extitit; ut Christi athleta strenue contra dæmones decertavit; ut Christi discipulus, jucunde in altiori perfectionis via cucurrit et ut Christi testis, fidem ejus usque ad finem firmissime sectatus et testatus est, Antonius pugnavit et ejus certamen fuit gloriosum: *bonum certamen certavi*. Antonius cucurrit et ejus cursum fuit perfectus: *cursum consummavi*. Antonius credidit, et ejus fides fuit admirabilis: *fidem servavi*. Videamus 1. *ejus certamen*, quod fuit gloriosum; 2. *ejus cursum*, qui fuit perfectus; 3. *ejus fidem*, quæ fuit admirabilis.

I PARS.

Sancti Antonii certamen fuit gloriosum.

Sanctus Antonius adhuc juvenis, audiens legi in Ecclesia hæc verba ex Evangelio sumpta: *si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes et da pauperibus* (Matt. 19, 21), tanquam hæc sibi dicta essent, vendita re familiari, pecuniam omnem pauperibus distribuit, et relictis parantibus, desertum ingressus est, *in quo*, ut ait sanctus Vincentius Ferrerius, *aliud non egit, nisi pugnare cum diabolo* (scr. de S. Ant.). Certamen autem ejus fuit gloriosum, quia contra daemones certans, 1. eorum artes detexit et declinavit; 2. eorum ferocitatem contempsit et delusit; 3. eorum potentiam confragit et debellavit.

1. Dæmon, ut ait D. Hieronymus, *nulle habet nocendi artes*; est hostis infestus et versutus, qui semper insidiosus agit; est serpens malignus, qui tortuose incedit; est *negotium perambulans in tenebris*, quod dolos parare et insidias moliri non desinit; et, ut ait D. Bernardus, *dæmones sunt rectores tenebrarum harum astutissimi versutia et malitia diaboliæ fraudis* (scr. 3 in ps. *Qui habitat*). Suas omnes artes adduxisse et insampsisse videtur veterator satanas, ut juvenem athletam Antonium a solitudine expelleret et ad peccatum pertraheret; nunc enim ei in memoriam revocabat paternos laros et pingue patrimonium, quod abdicaverat; nunc ei innoxias proponebat voluptates, quibus legitime et absque ullo propria salutis detrimento frui poterat; nunc horrorem vite solitariae, necnon moralem in solitudine diu perseverandi impossibilitatem inculcabat; aliquando aurum et argentum in itinere, quo transiturus erat, disseminabat; interdum sub formosâ mulieris specie ei se manifestans, illum ad luxuriam allicere conabatur, et interdum sub pietatis specie ei ad propria redire inspirabat, ut scilicet sororis juveniculæ in sæculo degentis educationi incum-

beret. O quales daemones fraudes! quibus tamen non decipitur Antonius. O dæmon versutissima, tuis artibus deciperetur, tuisque caperetur laqueis juvenis hic athleta, si te tuasque fraudes non agnosceret; ipse vero, divino illustrante lumine, dolos tuos aperit, artes detegit et fraudes eludit: videt quid portendas, cum mundi voluptates, bona temporalia, sororem derelictam, aliaque peccati incitamenta proponis; ideo cor ejus nec amore molitur, nec compassione movetur, nec ambitione pulsatur, nec voluptate trahitur, nec omnibus tuis artibus a sancto proposito eromum inhabitandi et Deo serviendi avertitur. Ultima et subtilissima dæmonis fraus est, inquit S. Fulgentius, se victum fateri, ad hoc ut per superbiam dejiciat, quos aliis vitiis debellare nequivit: *evidentibus vitiis provocat, in quibus, si palam superetur, illico superbiam perniciosissime jaculatur; se victum demonstrat, ut vincat* (ep. 3 ad Proban). Hujus fraudis oblitus non est dæmon respectu sancti Antonii; hoc usus est stratagemate, ut eum debellaret; postquam enim alias daemones fraudes detexit et vitavit Antonius, apparuit ei fraudulentus ille hostis dicens: *ego sum fornicationis micus, ego multimode aduersus omnes adolescentes turpitudinis arma suscepti; innumeros ad libidinem allezi: nec quisquam, te excepto, laqueos meos declinare valuit, te unicum mei victorem fateor: vicisti, Antoni, vicisti*. O malignam tenebrosi illius spiritus artem! o fraudulentam Satana tentationem! quam non secus ac alias detexit et declinavit Antonius. De B. V. Maria dixit Clemens Alexandrinus (*adhort. ad gent.*), quod *serpentis serpens femina extierit*, quia tartarum serpentem decepit et vicit; similiter de sancto Antonio dicendum videtur quod fuerit *serpentis serpens vir*; dum enim dæmon serpentis, qui erat *callidior cunctis animantibus terra*, indolem et artes induit ut Antonium deciperet, illius serpentis serpens fuit Antonius, qui serpentina et celesti sua prudentia serpentis infernalis artes, dolos, fraudes et omnes machinationes sapienter detexit et gloriose declinavit. Ad hæc gloriosum etiam extitit Antonii certamen, *quia dæmonis ferocitatem contempsit et delusit*.

2. Ferocissimus et sevisissimus Satanas tanta rabie adversus homines fertur, ut eos omnes occideret, omniaque ad usum eorum creata pessumdaret, nisi a Deo Optimo Maximo cohiberetur, ejusque foris mitigaretur ac potestas ligaretur: *futurum est*, inquit Basilus Selencus, *ut omnia funditus pereant, nec quidquam reliquum sit non demonum violentia conculsam, nisi inexpugnabili Dei manu muniatur* (or. 24). Hanc demonis sevitiam et ferocitatem manifestat sacer Textus, cum illum leoni et urso comparat: *leo rugiens et ursus esuriens princeps impius* (Prov. 28, 15). Nil crudelius et ferocius leone rugiente et urso esuriante, ac nil etiam ferocius demonibus, qui ut suam exerere feritatem, nonnunquam sub leonum, ursorum et aliorum animalium silvestrium figuris S. Antonio apparuerunt; fingebantque se velle eum vorare, ut ei timorem incuterent, illumque e solitudine expellerent. Quorum tamen demonum sic transfiguratorum et in belluinas figuras apparentium feritatem sanctus juvenis irrisit et solo crucis signo has larvas dissipavit. Pueri et stobdi larvas timent, quibus sapientes nullo modo commoveri solent, quin potius his ad risum provocentur: sic S. Antonius, qui a sancto Athanasio *vir sapientissimus* vocatur, infernales has larvas et inania illa spectra non metuebat, quin potius ea irridebat et ita contemnebat, ut illis *exprobraret imbecillitatem* (Breviar. Rom.). Alphonsus rex, ut refert Aeneas Sylvius, rogatus quisnam foret homo liber? respondit, hunc esse virum sapientem, qui nihil timebat.

... sapiens sibi que imperiosus,

Quem neque pauperia, neque mors, neque vincula terrent.

Antonius fuit quidem vir ille sapientissimus, quem nec demonum facies combustae, nec spectra quae oculis ejus obiciebant, nec terrificae leonum, ursorum, luporum, aliorumque brutorum figurae quas sumebant, nec aliud quidquam terrere potuit; quin contra, in Domino confidens et demones et omnia eorum terricula contempsit. Fuit ergo gloriosus Antonii certamen, quia demonum ferocitatem contempsit ac delusit; fuit etiam gloriosum, quia demonum potentiam confregit et debellavit.

3. Portentosa est demonis potestas et fortitudo, quam describens Job, ait: *reputabit enim quasi paleas ferrum et quasi lignum putridum, vis: non fugabit eum vir sagittarius; et tandem concludit, dicens: non est super terram potestas, quae comparetur ei* (41, 19). Potestas tamen ejus est sub potestate, seu divinae subordinata omnipotentiae, et licet nobis nocere incessanter expetat, tantum nocet, quantum Deus permittit et nil amplius. Unde D. Gregorius ait: *demonem a semetipso voluntatem habere, sed potestatem a Deo*; iniqua enim sua voluntate nocere continue appetit; Deus autem nocendi potentiam temperat et juxta beneplacitum suum ei impertit: demoni ergo cum Deus permiserit suam in B. Antonium exercere potestatem, eam inique exercuit, tum fedea in ejus imaginatione excitando phantasmata, tum horrendas oculis ejus obiciendo figuras, tum flagellis eum cruentando, tormentisque ita gravibus eum afficiendo, ut, teste Divo Athanasio, *universa hominum tormenta superarent*. In his certaminibus demonum potentiam percussit et de illis gloriose triumphavit Antonius, adeo ut nec minis, nec terroribus, nec flagellis, nec gravibus quibusque tormentis ab eo velle minimum consensum ad peccatum extorquere valuerit. Sicut enim de nobis triumphant demones, cum malignis eorum tentationibus nostrum praebemus consensum; ita et nos de iis triumphamus, cum perversis eorum suggestionibus resistimus et consensum negamus. *Quoties eis resistimus, toties eos superamus* (S. Bern.); ideo cum divus Antonius demonibus constanter resisteret, de iis triumphasse certum est. Imo, si sic loqui fas est, eos juvenis hic athleta interemisse videtur. *Demones*, inquit sanctus Gregorius, *debemus interimere* (ho. 8 in Ps. 100): qui fieri potest, ut interimantur spiritus illi caelestes, qui immortales sunt? scimus, factum esse praedium magnum in caelo, in quo *Michael et angeli ejus preliabantur cum dracone* (Apoc. 12), attamen in illo praelio, in quo innumeri ex utraque parte decertabant milites, nullus perii; quia angeli, sive boni, sive mali, immortales sunt, ac proinde interiri nequeunt: Deus ipse, qui est omnipotens, angelos quidem annihilare posset, interimere non posset; ut

quid ergo D. Gregorius ait, quod *debemus interimere daemones?* Deceat nos sanctus ille pontifex, quomodo hi spiritus tenebrarum interimantur? *Tunc*, inquit, *interitus illorum est, si nos non peccamus*: cum enim in omnibus, quae daemones adversus nos ineunt, certaminibus hoc solum appetant, ut nos peccemus, atque per peccatum spirituales animae nostrae mortem inferant; de iis triumphamus, eosque quasi interimimus, cum pravæ eorum voluntati resistentes, a peccato abstinemus: sic S. Antonius victor et debellator fuit demonum, eos vicit, dejecti et quasi interemit, quia nec in minimo malignis eorum suasionibus consensit. Unde de ipso merito dicitur quod de Job prædicat Tertullianus: *quale in illo viro feretrum, Deus diabolo extruxit! quale vexillum de inimico suo extulit! (de patienti. 14)*. In Antonio enim mortem, feretrum et tumulum diaboli Deus extruxit, quia sanctus hic athleta demonum potentiam ita enervavit, infregit et quasi pessumdidit, ut ipsis factus sit formidolosus, ejusque triumphum præclari evasere, ut ex omnibus orbis terrarum partibus homines properaverint, ad videndum hunc Christi athleteam, hunc demonum debellatorem: *totius orbis homines ad eum confluebant et universarum gentium varietas bellicosissimum contra demones virum conspiciere gestiebant* (S. Athan.). O quam gloriosa Antonii certamina! e converso quam nobis ignominiosa quae daemones adversus nos ineunt prælia! Certavit Antonius, certamus et nos; triumphavit ille de demonibus, malignis eorum suggestionibus nullum consensum præbens, et de nobis triumphant daemones, cum tentationibus eorum dejicimur et ad peccatum trahimur. Hen! quot de nobis demon victorias retulit! quot trophaea erexit? Audiamus hodie sanctum Antonium hortantem fratres suos ad viriliter contra daemones pugnandum; contemplerur hunc athleteam acriter contra tartareas potestates decertantem et ejus exemplo ad prælium audacter ineundum accendamus. Tunc daemones vincimus, cum eis resistimus; itaque cum ad malum nos provocant, eis fortiter resistendum est: *resistite diabolo et fugiet a vobis* (Jacob. 4). Ut gloriosius de eo triumphemus, hortatur nos

divus Augustinus, ut caput ejus calcemus, seu ut suggestionibus ejus ab ipso principio resistamus: *si diabolus calcaneum tuum observat, tu caput illius observa; caput illius est initium malæ suggestionis; quando incipit mala suggerere, tunc repelle, antequam surgat delectatio, et sequatur consensus*. Ut autem facilius de demone triumphemus, auxilium imploremus S. Antonii, qui glorioso contra daemones decertavit et qui feliciter in via perfectionis cucurrit: *cursum consummavi*.

II PARS.

S. Antonii cursus fuit perfectus.

Impii in præsens per spatiosam superbiam, voluptatum et omnium vitiorum viam currunt et recta ad tartarum pergunt: *spatiosa est via qua ducit ad perditionem; et multi sunt qui intrant per eam* (Matt. 7, 13). S. autem Antonius a spatiosa et tenebrosa peccatorum via recedens, arctas et sanctas justorum semitas inessit, ejusque cursus sanctus evasit et perfectus, quia cucurrit 1. per viam penitentiam; 2. per viam humilitatis; 3. per viam charitatis.

1. Dux sunt viæ, una justorum, altera peccatorum, una æquitatis et altera iniquitatis. Via peccatorum lata est et spatiosa; via vero justorum, qua itur ad cœlum, arcta et angusta: *quam angusta porta et arcta via est qua ducit ad vitam!* (Matt. 7, 14). De regibus Magis narrat sacer textus, quod postquam Christum adoraverunt, *per aliam viam reversi sunt in regionem suam*; cur non per eandem, verum per aliam viam ad propria revertuntur? Respondet sanctus Cyprianus, hoc ad nostram factum esse instructionem, ut scilicet advertamus, quod *per vias latas itur ad infernum, per arctas vero et difficiles reditur ad superos* (serm. de stel. et mag.): cum enim per libertatem et voluptatem corruisset Adam, ac simul cum ipso nos omnes in peccatum atque in omnem concupiscentiam labamur,

hinc omnium horum remedium aptius haud habetur, quam arcta poenitentiae et mortificationis via incedere, ut contraria contrariis curentur. Unde S. Barlaam, ut refert divus Damascenus, Josaphat regi dixit: viam ad vitam esse *martyrium, vel sanguinis, vel poenitentiae* et mortificationis. Hoc autem ultimum, poenitentiae scilicet martyrium sibi indixit S. Antonius, hanc suscepit viam: ab adolescentia enim in desertum secessit, ubi usque ad centesimum quintum vitae suae annum, seu usque ad mortem omnis poenitentiae et mortificationis viam tenuit. Non ibi molibus vestiebatur, non delicatis vescabatur cibis; ibi sacco indutus, humi jacebat, modico solum pane victitabat, sola aqua sitim extinguebat, saepe biduum cibo abstinebat et nunquam ante solis occasum cibum sumebat. Vigiliis multis, laboribus plurimis, orationi continuæ, aliisque durioris mortificationis operibus indies vacabat, et ut loquitur S. Athanasius, *hic fide, vigiliis et jejuniis corpus omne callabat*. In via qua ad coelum pergimus, insidias nobis parant salutis nostrae inimici; insidiatur mundus, insidiatur caro, insidiatur daemones; ut autem Antonius rocta ad coelum irret et ab animæ suæ hostibus non retardaretur, vigiliis, jejuniis et omnibus poenitentiae operibus, tanquam muris fortissimis, vel tanquam clypeis se vallavit: *vigiliis, jejuniis corpus omne callabat*. Ecce arctam poenitentiae viam, qua incessit Antonius, qua quidem omnes incedere deberent: vitanda lata via voluptatum illicitarum et arripienda est via mortificationis et poenitentiae: *opini studio lata saeculi via vitanda est, quæ ducit ad mortem; at vero omni cordis desiderio via angusta, quæ ducit ad vitam, aequanda est et appetenda* (S. Aug. de trip. habit. 4). Felicitas est per asperum iter ad regnum, quam per amœnum planumque ad supplicium duci: ideo quietumque æterna gaudia appetit, per asperam poenitentiae viam incedit cum S. Antonio, qui cucurrit viam poenitentiae, ac etiam viam humilitatis.

2. Hic in terris tot sunt viatores, quot homines, quia omnes in via sumus, quæ ad patriam pergimus; humilitas autem, quæ est fundamentum perfectionis, est etiam via salutis; hæc est via securæ, quæ incedere debemus, si ad regnum co-

lorum pervenire cupiamus; non enim superbi, sed humiles ad coelum elevantur: *qui se humiliat, exaltabitur*. Excelsum et sublime est regnum coelorum, et ad illud iter per viam humilitatis: *excelsa est patria, humilis est via* (S. Aug. in Ioan.). Hæc est sapientia celestis et mundo paradoxa; verissima tamen, quia certissimum viam ad gloriam esse fugam gloriae, et amorem humilitationum; nam, ut docet Spiritus Sanctus, *gloriam procedit humilitas*. O quam pauci hanc norunt sapientiam! quam pauci per viam humilitatis incedere volunt, ut ascendant ad regnum coelorum! hos inter paucos unum demiro Antonium, qui per securam humilitatis semitam perfectissime incessit. Quanto sanctior, tanto melior erat; et quanto ab aliis pluri fiebat, tanto se magis contemptibilem et despiciabilem reputabat: *non est magnum*, inquit D. Bernardus, *esse humilem in abiectione: magna prorsus et rara est virtus humilitas honorata (de grad. humil.)*; talis autem extitit Antonii humilitas, qui tunc in altam humilitatis abyssum profundius descendebat, cum ab imperatoribus epistolæ accipiebat, cum a philosophis etiam gentilibus invisebatur et cum ab omnibus colebatur, nec non *Magnus* predicabatur. Noverat sanctus Antonius quantum juvaret humilitas; ipse namque narrat: *vidi cunctos inimici laqueos super terram expansos, suspiransque agebam; quis superabit illos? dictumque est mihi: humilitas eos superabit*; multos quidem laqueos Antonio tetenderat satanas, a quibus se extricavit, vel potius ab iis capi non sinit, quia tuta et securæ humilitatis via incessit. *Episcopis atque presbyteris, quasi humilitatis discipulis, ad obediendum caput submittebat* (S. Ath.). Cum ab ipso petisset Martianus militum prefectus, ut filiam suam a demone liberaret, *negavit a se, quia peccator esset, oportere auxilium sperare*. Timebat humilis Antonius, ne Pergamus vir divitissimus sublato post mortem ejus corpore, in illius honorem Ecclesiam fabricaret; propterea charissimos filios enixe rogavit, ut corpus ejus in loco abscondito et hominibus saeculi penitus ignoto, sepelirent: *et illud, inquebat, custodite mandatum, ut nemo præter vestram dilectionem, locum tumuli mei*

noverit (Spond.). Alia multa humilitatis ejus ab historicis referuntur testimonia, quibus humilitatis via incedere doceamur, ut ad coelum subleuemur. Non arrogantiae, sed humilitatis profunda tenenda est via: *pergite viam sublimitatis pede humilitatis* (S. Aug.). Deus superbis resistit; eosque odio habet. *Abominatio Domini est omnis arrogans* (Prov. 6); ideo cavete, ne in vobis sit pes superbiae, ne incedatis per viam arrogantiae; viam humilitatis incessanter ambulate sicut B. Antonius, qui etiam *incessit et cucurrit per viam charitatis*.

3. Omnium viarum, quibus ad coelum itur, perfectissima et praestantissima est charitas; haec est excellentior illa via, quam Corinthiis patefaciebat D. Paulus dicens: *adhuc excellentiorem viam vobis demonstro* (1 Cor., 12), id est, ut explicat Hugo cardinalis, *charitatem, quae inter omnes virtutes est melior via eundi ad quietem aeternae beatitudinis*. Hac autem via perfectissimo incessit S. Antonius, qui quidem omnibus floruit virtutibus, ac praecipue ardentissima erga Deum charitate. Unde D. Athanasius de illo ait, quod fratrum cellas lustrare soleret, in quibus instar ingeniosa cujusdam apis mel earum virtutum, quae in singulis magis rutulabant, studioso colligebat; ab uno humilitatem, ab alio patientiam et ab alio obedientiam ediscebat; unius continentiam, alterius vigilantiam et alterius lenitatem adnotabat; praecipue vero charitatem, quam sollicitè in corde suo servabat, *omniumque vicariam erga se retinens charitatem, ad sedem propriam regrediebatur* (S. Athan.). Tanta Antonii erga Deum fuit charitas, ut, non quia eum timebat, sed quia eum amabat, omnia perageret. *Perfecta charitas foras mittit timorem*, inquit S. Joannes (1 ep. 4); quae verba explicans D. Augustinus ait: *timor servus est charitatis. Ne possideat diabolus cor tuum; praecedat servus in corde tuo et servet venturae dominae locum; fac vel timore poenae, si nondum potes amore justitiae: veniet domina et servus abscedet, quia charitas consummata foras mittit timorem* (ser. 1, de verb. apost.). Ad perfectam autem et consummatam hanc charitatem pervenerat Antonius, qui non ex timore judiciorum Dei, verum ex ejus ardentissimo amore omnia opera-

batur. Unde S. Ephrem sic eum loquentem inducit: *ego non amplius timeo Deum, sed diligo; nam dilectio foras mittit, expellitque timorem* (S. Epiph. in Apoph.). O magnam Antonii charitatem! ipse minime delectatus in semitis impiorum, ferventissime per viam charitatis cucurrit. O utinam omnes eadem incederent via! *Videte itaque fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes. sed ut sapientes* (Eph. 3, 15); quasi insipientes ambulant, qui iniquitatis viam tenent et qui peccatis se illaqueant; caute et sapienter ambulant, qui er charitatis et amoris Dei viam incedunt; haec est via, in qua ambulandum est: *ambulate in dilectione*, inquit D. Paulus; sen, ut explicat Hugo cardinalis, *proficite in dilectione, quia dilectio est via optima, in qua viator non debet stare, sed semper pergere*. Currite ergo per viam charitatis cum D. Antonio, ejus cursus fuit perfectus; et *cujus etiam fides fuit admirabilis*.

III PARS.

S. Antonii fides fuit admirabilis.

Nulla majores divitiae, nulli thesauri, nulli honores, nulla luxus mundi major est substantia, quam fides catholica, quae peccatores homines salcat, caecos illuminat, infirmos curat, fideles justificat, justos augmentat et in aeterna hereditate cum sanctis angelis collocat (S. Aug. de verbis Dom.). Haec fidem, quae ubique est mirabilis, in S. Antonio demiror, qui habuit 1. fidem operantem; 2. fidem generosam; 3. fidem honoratam.

1. Fidem sine operibus mortuam esse constat: *fides sine operibus mortua est* (Jac. 2, 20); sicut enim mortuum est corpus, cum ab eo separatur anima, ita et moritur fides, cum a sanctis operibus sejungitur: *mortua fides est*, inquit S. Bernardus, *quae non operatur ex charitate* (ep. 42). Sicut corpus mortuum verum est corpus, etiamsi ab anima separetur;

ita et fides, licet a charitatis operibus sejuncta, permanet vera fides, perfectamque fidei rationem sortitur; at fides inanima dicitur, mortua et cadaverosa; quid est fides, quae non operatur, nisi cadaver exanime (s. 24 in Cant.). O quot fide illa mortua et exanima religionis christianae mysteria credunt et confitentur! quot credunt et non operantur! S. Antonii fides non fuit inanis, otiosa et inanima; credidit et mirabilia operatus est in vita sua. Antonii fides in toto terrarum orbe predicabatur et ipse ab omnibus aevi sui fidelibus, velut columna, propugnaculum, speculum et regula fide inspiciobatur; quapropter Ariani, ut ad suam sectam fideles adducerent, Magnum Antonium eadem cum ipsis sentire fraudulenter fluxerunt; qua de re a S. Athanasio alisque episcopis certior factus, relicta solitudine Alexandriam adivit; ubi de catholica fide quam sectabatur, palam verbis, operibus et miraculis specimen edidit; quo, ut affirmat S. Athanasius, innumeri gentiles ad fidem sunt conversi, catholici in fide sua sunt confirmati et haeretici confusi. Deum aliquando sic affatus est S. Antonius: *Domine, cupio salvari; quo facto salutem consequar?* (S. Epiph. in Apoph.). Ei autem ostendit Deus hominem nunc orantem et nunc laborantem: audivitque Angelum dicentem: *sic fac et vices*; quasi diceret: o Antoni, ut salveris, non solum credenda sunt speculative fidei mysteria, verum ita credenda sunt ut orationi vaces; ita credenda sunt, ut sanctis operibus incumbas; fides tua non debet esse desidiosa, sed operosa. O praeclaram doctrinam! itemque o docilem et fidelem discipulum Antonium, qui orationi plerumque vacabat et cum ab oratione cessabat, charitatis operibus erga fratres et filios spirituales assidue incumbabat, et interdum Alexandriam adibat, ut pro Christi fide propaganda laboraret: ibi enim Christi confessores et fideles in carceribus detentos invisibat: eos ad fortiter pro fide catholica decertandum hortabatur, illos ad tyrannorum et praesidium tribunalia comitabatur, consolabatur moestos, titubantes in fide confirmabat, omnesque fideles variis charitatis officis prosequabatur. Ecco fidem vere operantem. *Fides autem Sancti Antonii fuit etiam generosa.*

2. Tanta Arianorum furebat persecutio tempore S. Antonii, ut fidelem alii tormentis cedentes fide caderent, et alii, ut vitarent supplicia, antra incolerent. Multi trepidantes, nec de se satis fidentes, ad solitaria et recondita loca fugebant; multique a vera religione desciscientes, ut vitae suae consulerent, haeticorum dogmata profitebantur. Ita vero generosa erat sancti Antonii fides, ut martyrii lauream ambiens, supplicia non timeret, et armatam haeticorum rabiem nullatenus fugeret; quin contra, ut ipse moriens confessus est, eos continue insectabatur, nec quidquam iis pacifice loquebatur: *scitis ipsi, quod nullus cum eis pacificus sermo aliquando fuerit propter eorum pravam voluntatem et pertinax contra Christum bellum* (S. Athan.). Carnificum tormenta non timebat Antonius, imo optabat; pro Christi fide mori non recusabat, potius amebat; *multumque contristabatur*, inquit S. Athanasius, *quia volenti pati pro nomine Christi, martyrium non dabatur*. O vere generosam S. Antonii fidem! quae adhuc generosior apparet, quia non solum tyrannos non timebat supplicia nec fugebat; verum et iudices ad ipsum pro Christi fide cruciandum provocabat; cum enim extorta Alexandria gravi persecutione christiani et ipsi monachi fugerent et latitarent, Antonius martyrii cupidissimus, alios palam exhortabatur ad palmam et ipse candida indutus veste ex eminenti loco procedentem iudicem suo provocabat aspectu. Unde, *si homines generosos semper et ubique fortiter agere decet* (Procop. 8 de Geb.), quis Antonium generosum esse neget, cum pro Christi fide decertare et mori semper et ubique paratus fuisset? generosissima quidem ejus fides extitit, atque *habuit etiam fidem honoratam*.

3. Ariani qui contra fidem catholicam blasphemabant, eam in Antonio venerabant; quippe qui alios catholicos apprehendebant, carceribus mancipabant, variis modis cruciabant et crudeli morte plectebant; Antonium vero, qui omnis generis supplicia et ipsam mortem pro Christi fide pati optabat, amabant, aestimabant et plurimum venerabant. *Tanta est sanctitas christianae religionis*, inquit V. Beda, *ut eam plerumque, qui foris sunt cenerationi habeant; quod revera compro-*

batum est in B. Antonio, cuius fides ita sancta, perfecta et omnibus numeris fuit absoluta, ut Arianos aliosque hæreticos ad tanti viri venerationem cogerit. Eum veneratus est Constantinus Augustus: eum venerati sunt ejus liberi Constans et Constantinus; qui frequentibus eum literis honorabant; eum tanquam fidei jubar et propugnaculum venerati sunt sui temporis episcopi et omnes Christi fideles; eum tandem cum catholicis venerati sunt ipsi hæretici. Quod mirum vero, eum potissimum Deus honoravit; hic fidelis Dei servus usque ad mortem in fide perseveravit et ideo a Deo honoratus et coronatus est: *esto fidelis usque ad mortem et dabo tibi coronam vitæ* (Apoc. 2, 10). *Fidem servavi*, inquit D. Paulus, *in reliquo reposita est mihi corona justitiæ* (2, Tim. 3). Paulo, qui fidem servaverat, Deus gloriæ et justitiæ coronam dedit: ecce quomodo a Deo honoratus est. Sanctus autem Antonius, quia fidem servavit, et a Deo et ab hominibus fuit honoratus. Unde dicere poterat: *fidem servavi*; ideo honoraverunt me imperatores: *fidem servavi*; ideo honoraverunt me prelati et omnes fideles: *fidem servavi*; et ideo honoraverunt me ipsi hæretici et fidei catholice adversarii: *fidem servavi*; et ideo honoravit et coronavit me Deus in celo: *in reliquo reposita est mihi corona justitiæ*. O fratres, fidem operantem et generosam servate et vos usque ad mortem, ut coronam gloriæ percipere mereamini. Certavit Antonius adversus dæmones, pugnate et vos generose adversus tartareas illas legiones. Cœcurrit Antonius per omnis virtutis viam: sic et vos per arctam perfectionis viam currite, ut comprehendatis: credidit tandem Antonius; credite et vos fide operante, generosa et constante, ut coronam gloriæ obtineatis: *esto fidelis usque ad mortem*, inquit Deus, *et dabo tibi coronam vitæ*. Non sufficit ad obtinendam gloriam aliquamdiu credidisse fide operante et generosa, usque ad mortem credendum est, usque ad mortem opera fidei congruentia perficienda sunt et usque ad mortem pro Christi fide strenue pugnandum: *esto fidelis usque ad mortem et dabo tibi coronam vitæ*. Triplex animæ fidelis datur corona, inquit S. Bernardinus (in cap. 2 Apoc.), decoris scilicet, honoris

et amoris. Ei datur corona decoris: *corona aurea super caput ejus*. Ei conceditur corona honoris: *gloria et honora coronasti eum*. Et tribuitur corona amoris: *posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso*. Heu! si ad adipiscendam transitoriam coronam tot iuventur certamina, quanto magis pugnandum, currendum et credendum est, ut honorifica et æternæ in celo obtineantur coronæ? *Tolerantia*, inquit Richardus a sancto Victore, *transitoria est, corona æterna; pugna modica, merces immensa; poena levis, gloria inestimabilis*. Pugnate ergo, currite et credite cum sancto Antonio, ut cum illo æternam, immensam et inestimabilem coronam in celo assequamini. Amen.

DE CONVERSIONE SANCTI PAULI

CONCIO UNICA.

Domine, quid me vis facere? (Act. 9).

Non sine admiratione pluries in sacris adnotavi codicibus, multo magis de impiorum conversione, quam de justorum perseverantia letari angelos: *dico vobis, quod ita gaudium erit in celo super uno peccatore penitentiam agente, quam super nonaginta nocem justis, qui non indigent penitentia* (Luc. 15, 7). Sicut enim, inquit Doctor Angelicus (in c. 5 Luc.), *dux in prelio plus eum militem diligit, qui post fugam recessus, hostem fortiter premit, quam eum qui nunquam terga præbuit et nunquam aliquid fortiter fecit*; sic angelus magis lætatur de peccatore, qui postquam in pugna spiritali decidit, ad arma recurrit, fortiter dimicat, suæ salutis hostes debellat et præterita damna sequentibus lucris reparat,

quam de pluribus iustis, qui in perfectionis via languescunt, nec aliquando ardua certamina pro Dei gloria inire pertentant. Quale ergo angelis Dei extitit gaudium in conversione divi Pauli, qui quidem a semitis iustitiæ deflexerat, verum ad se reversus, pro Christo gloriosissime decertavit, miraculis et virtutibus totum terrarum orbem illustravit, necnon innumeros peccatores ad Deum convertit! Qualis cœlestibus spiritibus in fuit lætitia in conversione tanti viri, qui Ecclesiam suo sanguine purpavit, et qui sua scientia, suo zelo, suisque prædicationibus Doctor gentium, vas electionis, sol mundi, Ecclesie iubar, Apostolorum decus et *magister orbis* appellari meruit? Carte in hujus peccatorum conversione gavisus sunt angeli, majusque illorum super eo extitit gaudium, *quam super nonaginta novem iustis* (S. Chrys. hom. 17 in Gen.). Gaudeamus, et nos cum cœlestibus illis intelligentiis, ejusque conversionem enarremus. *Ace.*

Cum Saulus, spirans minarum et cœdis, Damascus adiret, ut Christi discipulos apprehenderet, victosque in Jerusalem perduceret, appropinquans Damasco, subito circumfulsit eum lux de cœlo et cadens in terram, auditur vocem dicentem sibi: Saule, Saule, quid me persequeris? Ipse autem Christo, quem andiebat et quem persequabatur, dixit: Domine, quid me vis facere? Cui Christus respondit: ingredi civitatem et ibi dicetur tibi, quod te oporteat facere. Paulus autem, qui apertis oculis nihil videbat, ducentibus sociis, ingressus est Damascus; ubi tribus diebus non videns, non manducans, nec bibens remansit, donec ad eum misit Deus Ananiam, qui manus ei imposuit, et accepto Spiritu Sancto, visum recepit, baptizatus est et statim adit Judæorum Synagogas, in quibus prædicavit Jesum Christum esse Filium Dei. Ecce brevem et compendiosam conversionis divi Pauli narrationem, de qua ut fuse et utiliter disseramus, consideremus 1. ejus principia; 2. ejus perfectionem; 3. ejus circumstantias.

I PARS.

Conconversionis D. Pauli principia.

Cum conversus est divus Paulus, luce cœlesti fuit circumfulsus, Christum audivit et ipse Christo vocanti obtemperavit. Paulus luce cœlesti fuit circumfulsus: *circumfulsit eum lux de cœlo*. Paulus audivit Christum dicentem: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Paulus Christo vocanti obtemperavit: *Domine, quid me vis facere?* unde si conversionis ejus principia inquiremus, ea esse dicam lucem, Christum, et ipsum Paulum: 1. lucem illuminantem; 2. Christum eum vocantem; 3. ipsum obtemperantem.

1. In actibus apostolorum habetur, Paulum in conversione sua vidisse et non vidisse. Videbat Paulus; *vidit virum, Ananiam nomine, introeuntem*. Non videbat Paulus; *apertisque oculis nihil videbat*. Quomodo poterat divus Paulus simul videre et non videre? quod dubium facile solvitur ex divo Bonaventura dicente, quod duplex fuit visio in Paulo, una exterior, quæ consistit in oculo corporali; altera interior, quæ sistit in oculo intellectuali; Paulus autem quantum ad visionem corporalem factus est cæcus; quantum vero ad spirituales maxime fuit illuminatus. Cœlestis quædam lux Paulum circumfulsit; *circumfulsit eum lux de cœlo*; illa lux quæ eum circumfulsit, ita fuit admirabilis, ut illum simul et semel excœcaverit et illuminaverit; excœcavit eum in corpore et illuminavit in mente; aut saltem, dum per lucem externam fuit excœcatus in corpore, per lucem internam fuit illuminatus in mente; ut enim ait Doctor Seraphicus, *dum Paulus visum amisit exterius, ipsum accepit interius* (ser. 1 de convers. S. Pauli). Et ut ait divus Augustinus, *Paulus cœcitate percutitur, ut intus illuminetur*. Illa autem lux interius Paulum illuminans, conversionis suæ principium extitit: etenim qui ante conversionem ambulabat ut cæcus et ex igno-

rantia peccabat: *ignorans feci*; superveniente caelesti luce, errorum suorum tenebras, Evangelii veritatem et fidei christianae certitudinem novit, ac protinus ex nolente factus est volens et ita ad Christum conversus est, ut subito ex lupo ovis et ex persecutore apostolus factus sit: *Deus e caelo Paulum illuminans, fecit lupum ovem et persecutorem apostolum* (S. Ephr. de marg. preg.). Primum ergo conversionis D. Pauli fuit lux eam illuminans, ac etiam Christus eam alloquens.

2. Postquam lux de caelo veniens Paulum circumfulsit, ipse cadens in terram, audivit vocem, dicentem sibi: *Saule, Saule, quid me persequeris?* cuius illa vox? Christi utique, qui Saulum monet et corripit: illa autem Christi vox ita potens fuit et efficax, ut ejus iram placaverit, zelum inordinatum temperaverit, sanque penitus imputaverit; *Christus una voce, ut ait sanctus Laurentius Justinianus, Pauli emollivit mentem, sedavit furorem, placavit crudelitatem, mutavit propositum, naturam reformavit*. Ferociebat et saeviebat Paulus adversus Christi discipulos; vox autem Christi eum moventis et redarguentis ita potens et fortis extitit, ut eum in ipso furoris aestu totaliter immutaverit: *Saulum ferocientem et saevientem in ipso furoris aestu, sistit, fregit et immutavit* (S. Chrys. in c. 9 Act.). Vox Domini altissimas cedros confingere valet: *vocem Domini confringentis cedros* (Ps. 28, 5), inquit propheta regius; seu, ut explicat beatus Augustinus, *vocem Domini humiliat superbos*, qui ratione suae superbiae supra alios homines extolli volunt, sicut cedri supra alias arbores sublimantur. Saulus ante conversionem, quasi cedrus ob superbiam videbatur; jamvero vox Christi cedrum illum confregit et hunc superbum humiliavit: per hanc enim Christi vocem factus est de Saulo Paulus: *hoc est de superbo minimus* (S. Aug. ser. 42 de SS.). Saulus inter Judaeos Pharisaeorum sectam colebat et Pharisaeica inflatus superbia, pro Lege Moisaica tanto cum ardore decertabat, ut christianorum hostis infensissimus et impugnator acerrimus existeret; quis autem hanc cedrum confingere, hunc Pharisaeum humiliare,

hunc christianae religionis hostem vincere et convertere valebit? Christus utique, cujus vox hunc superbum humiliavit et in momento cor Pauli hostile, sibi subditum, amicum et obsequens effecit (S. Aug. hom. 14 ex 50). Cum Judaei Christum prehensuri in hortum Gethsemani se contulerunt, ipse duobus his verbis, *ego sum*, maxima licet cum suavitate et humilitate prolatis, eos omnes dejecit in terram: *et ceciderunt retrorsum*. Similiter cum Paulus spirans minarum et caedis adiret Damascum, ut Christum et christianos persecueretur, Christum eum suaviter allocutus est, enique monuit charitative, dicens: *Saule, Saule, quid me persequeris?* et paucissima haec verba hunc christianorum persecutorem prostraverunt, hunc superbum dejecerant, ejusque cor immutaverunt. *In momento cor Pauli hostile, sibi subditum, amicum et obsequens effecit*. Dum vero Christus Paulum allocutus, fuit principium conversionis ejus, ipse etiam Paulus obediens et gratiae Christi obtemperans, fuit conversionis suae principium.

3. Conversio est opus Dei simul et hominis; Dei vocantis et juvantis per suam gratiam; hominis vero cooperantis gratiae et obediens Deo. Unde in sacra legitur Scriptura Deum convertere peccatorem et peccatorem se ad Deum convertere: Deus peccatorem convertit: *converte nos Deus salutaris noster* (Ps. 87); et peccator ad Deum se convertit: *convertimini ad me* (Joel, 2). Quomodo Deus peccatorem convertit, si ipse se convertat? et quomodo ipse se convertit, si Deus eum convertat? ipse simul et a Deo convertitur et seipsum ad Deum convertit, conversio ejus est a Deo et ab ipso; a Deo impertiente ei gratiam et ab ipso peccatore cooperante divinae gratiae. Propter quod licet maxima Dei Paulum convertentis fuerit gratia, non autumandum conversionem ejus totam et totaliter fuisse a gratia, fuit simul a gratia et ab ipso Paulo gratiae divinae obediens et cooperante. Verum quidem, inquit Paulus, quod *gratia Dei sum id quod sum* (1 Cor. 15); procul dubio per gratiam factus sum ex peccatore justus et per eam ad Deum conversus; a vero *gratia ejus in me vacua non fuit*. O Paulus, quare in te vacua non fuit gratia, per quem ad Deum es con-

versus? *Quia ei cooperatus sum per liberum arbitrium*, ut vice Pauli respondet Hugo cardinalis. Si Paulus non cooperatus esset gratiæ vocanti, gratia in ipso vacua et inutilis fuisset, quia minime attigisset finem ad quem data erat, scilicet conversionem Pauli; gratia autem in ipso vacua non fuit, eo quod illi cooperatus per gratiam et per seipsum ad Deum conversus est. *Non ego, inquit, sed gratia Dei mecum*; seu, non ego solus, sed ego cum gratia et gratia mecum: *nec ego solus*, ut exponit Hugo cardinalis, *tamquam sufficeret liberum arbitrium ad hoc sine gratia; sed gratia Dei mecum, seu cum libero arbitrio*. Falleris ergo, o peccator, si Pauli conversionem totaliter a Dei gratia processisse aritreris; falleris si credas Paulum suæ nullo modo cooperatum fuisse conversioni; ac falleris maxime si tuam a Deo conversionem totaliter fieri præsumas. Hic est impiorum multorum error, qui conversionem et salutem suam a sola Dei gratia expectant. O peccator, verum est, quod sine gratia nihil simus et nihil possimus; gratia tamen sine nobis nostram nunquam conversionem et salutem operabitur: *qui fecit te sine te, non saluabit te sine te* (S. Aug.). Deus gratias suas peccatoribus dare non desinit; eos intus per suas gratias illuminat, monet, movet et trahit; at nunquam salvabuntur, qui gratis ejus non cooperantur. Itaque o peccator, si Deus per gratiam suam te illuminet, ne sis rebellis lumini; si Deus per gratiam suam te trahat, trahentem sequere; si Deus per gratiam conversionem tuam operari incipiat, tu vocanti et adjuvanti gratiæ cooperare. Esto tandem principium tuæ conversionis simul cum divo Paulo. Visis conversionis ejus principis, quam perfecta ejus fuerit conversio serio perpendamus.

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECA

II PARS.

Conversionis D. Pauli perfectio.

Ut quis perfecte convertatur, perfecte et totaliter mutari debet, ita quod a pristino pessimæ vitæ suæ statu desciscens,

alius fiat et totus innovetur: *perfecta conversio est ad bonum*, inquit sanctus Bernardus (*de grat. et lib. arb.*); ut enim quis perfecte convertatur, a malo ad bonum transeat et totaliter immutetur necesse est. Et in hoc elucet, quam perfecta extiterit S. Pauli conversio, qui, ut ait divus Augustinus, in sua conversione mutatus est 1. ex lupo in agnum; 2. ex persecutore in predicatorem; 3. ex Judeo in Apostolum.

1. Cum Jacob suis benedicens filiis ad benedicendum Benjamin venisset, dixit: *Benjamin lupus rapax*. Tunc inquit divus Augustinus, Jacob spiritu prophético, præsentem tangens, futura prospiciebat, et quod Benjamin præsentem dicebat, de Saulo, qui de tribu Benjamin nasciturus erat, intelligendum relinquebat: Saulus enim, ut ait Augustinus, fuit vere lupus rapax, non quidem toto vitæ suæ tempore, solummodo ante conversionem suam; *quid ergo Paulus, inquit, lupus rapax semper absit; sed qui mane prædam, ad vespem dividit escam* (ser. 14 de sanctis). Illam figuram et propheticam benedictionem explicat etiam Tertullianus de D. Paulo, quem lupum rapacem vocat, dicens: *Jacob, de tribu Benjamin orturum Paulum prævidebat, lupum rapacem* (Marc. 5, 6). Et revera lupinam gerbat naturam Saulus, qui ex innata sibi indole ad sævitiam ita pronus erat et proclivis, ut etiam ab adolescentia adversus christianos sæviret; lapidantium etenim Stephanum pallia servabat, ut omnium manibus lapidaret, quem manus ejus adhuc debiles et imbecilles vix lapidare potuissent (1); cum autem profecit ætate, crevit etiam sævitia adversus Christi discipulos, quos summe aversabatur et contra quos iniquo accensus zelo, velut lupus rapax, maxime sæviret: *rapiebat, vastabat, sæviebat* (S. Aug. hom. 6). Ecce Paulum lupum rapacem; at vero, o rem mirabi-

(1) Pro historie veritate adnotare liceat vix annum, fortasse ne integrum quidem, transactum a B. Stephani necesse ad Sauli conversionem: ex quo predicta assertio omnino committit: exinde id moniti dignum, nempe facta, que in concionibus narrantur, sedulo ad veritatis apicem esse æquanda, ac omnino cavendum ne quid infortium et falsum e veritatis cathedra profertur. N. E.

lem! tam perfecta ejus fuit conversio, ut ex lupo sævissimo in agnum mansuetissimum sit mutatus. Christus enim, ut ait divus Augustinus, mirabili metamorphosi Paulum, qui rapax erat lupo, in agnum mitem et mansuetum convertit; *Saulum in Paulum, lupum in agnum commutavit* (Ubi sup. ho. 14). Spirabat adhuc trinitas et cædes Saulus; in Dominicum sæviebat gregem et velut lupo rapax illum vastare cogitabat, cum subito venit lux de cælo, quæ circumfulsit eum et protinus ferociens ejus emollitus est animus, sæviens ejus cor mitigavit, sedata crudelitas et Paulus ex lupo in agnum totaliter est immutatus: *Saulum in Paulum, lupum in agnum commutavit*. Alios apostolos miserat Christus, ut essent veluti agni inter lupos: *Eecce ego mitto eos sicut agnos inter lupos* (Luc. 10, 3); Saulus autem erat unus ex his lupis rapacibus, qui Christi discipulos veluti agnos rapiebat; sed Christus, qui novit agnos facerè de lupis, sævissimi illius lupi lenivit indolem, rabiem sedavit, mitigavit crudelitatem, naturam reformavit, eumque in agnum innoxium et mansuetum immutavit: *Saulum in Paulum, lupum in agnum commutavit*. O quam perfecta fuit Sauli conversio, quæ ex lupo mutatus est in agnum et ex persecutore in prædicatorem.

2. Saulus, qui ex lupina sua indole ad furandum, rapiendum et vastandum Christi gregem inhiebat, hanc sibi innatam fovebat propensionem, omnibus quibus poterat artibus Christi Domini discipulos persequens. *Persecutus sum*, inquit, *Ecclesiam Dei* (1 Cor. 1, 9); quomodo o Paule, sanctam hanc persecutus es Ecclesiam? Non uno solum, est pluribus modis, et supra omnem modum; *supra modum*, ait, *persequabar Ecclesiam Dei et expugnabam illam* (ad Gal. 1, 13). Quæ verba exponens Doctor Angelicus, ait, quod D. Paulus persequeretur fideles *supra modum*, quia non illos persequeretur solum in Jerusalem, insectabat etiam per totam regionem, neque solum illos persequeretur per se, verum et principes ad illos persequendos excitabat. Unde dicebat D. Hieronymus, quod *videretur Saulus ad vexandum Ecclesiam fuisse a diabolo postulatus* (ep. ad Philem). Addit

sanctus Laurentius Justinianus, Saulum in christianos sævisse, tantoque eos furore persecutum esse, ut nec totus mundus ejus animositatem mitigare potuisset: *si totus insurrexisset mundus, Sauli minime voluisset animositatem flectere* (ser. de convers. S. Pauli). Quod autem totus non potuisset mundus, hoc potuit Christus, qui Pauli furorem lenivit, eumque e persecutore in prædicatorem commutavit: *lupum in agnum, persecutorem in prædicatorem commutavit. Postius sum ego prædicator*, inquit D. Paulus. (1 Tim. 2, 7). A quo positus et factus est ille prædicator? a Christo haud dubie qui de persecutore fidelium eum in prædicatorem zelantissimum convertit. Miserat Christus alios apostolos in universum terrarum orbem, ut omnibus hominibus Evangelium prædicarent: *predicatis Evangelium omni creaturæ* (Marc. 16, 15); iis autem concionatoribus Saulum adjunxit, quem ex persecutore prædicatorem effecit celeberrimum, qui, ut ait S. Chrysostomus, brevi tempore totam fere terrarum orbem ad Christi fidem suis prædicationibus attraxit: *Paulus, cum modico tempore prædicaverit, totum attraxit terrarum orbem*. Paulus quasi abortivum se esse arbitrabatur; vilis et abjectus ab hominibus videri et estimari amiebat: tanto tamen cum zelo, tamque efficaciter Romanis, Persis, Medis, Parthis, Indis, Saracenis, innumerisque aliis populis prædicavit, ut triginta circiter annorum spatio, totum fere terrarum orbem ad christianam religionem suis prædicationibus adduxerit: *totum attraxit terrarum orbem*. O perfectam Pauli conversionem, qui ex persecutore mutatus est in prædicatorem, et ex Judæo in apostolum.

3. Judæi qui adversus Christum clamabant: *crucifige, crucifige*, tanta erga ejus apostolos rabie exardescebant, ut eos omnes simul cum Christo cruci affigere voluissent. Quo furore succendebatur in primis Paulus, qui proficiebat in Judaismo supra omnes coetaneos suos, qui Judæorum resistentium Spiritui Sancto ostii accensebatur, et immoderato Legis Judaicæ flagrans zelo, in apostolos, qui eam destruebant, totis visceribus sæviebat. Audite eum de se ipso loquentem: *ego, inquit, sum*

vir judeus, natus in Tarso Cilicia, nutritus autem in ista civitate, secus pedes Gamaliel eruditus juxta virtutem paterne legis, emulor legis, sicut et vos omnes estis hodie: qui hanc viam persecutus sum usque ad mortem, alligans et tradens in custodias viros ac mulieres (Act. 22, 5). Ecce qualis Judæus exiit D. Paulus: qui tamen ex Judæo apostolis inferentissimo in apostolum mutatus est: Saulum in Paulum, inquit Augustinus et Judæum in apostolum commutavit (Ubi sup.). Apostoli nomine indignum se esse censebat Paulus, dicens: non sum dignus vocari apostolus (1 Cor. 19, 9), et si aliquando se apostolum vocet, non inter apostolos magnum, at eorum minimum se profitetur: sum minimus apostolorum: fuit tamen vere apostolus et magnus apostolus, qui, inquit D. Chrysostomus, fuit magister orbis et qui demones expulit, peccata absoluit, tyrannos compescuit, philosophorum linguam observavit, orbem ad Deum adduxit et omnia quæcumque voluit, disposuit (hom. 3 in Epist. ad Rom.). O magnum apostolum! qui etiam inter apostolos maximus fuit, non solum scientia et scriptis suis, verum et missione sua, necnon apostolici muneris exercitio: quilibet enim ex aliis apostolis ad specialem aliquam orbis regionem fuit delegatus; Paulus vero non accepit unam regionem limitatam, sed per unicum mundum ibat (S. Vinc. Ferr. ser. de S. P.); et ubique apostolica munia ita solite et efficaciter exercuit, ut omne procerus humanum genus sub jugum mitteret veritatis (S. Chrys. hom. 4 de laud. P.). O mirabilem apostolum! oh perfectissimam Pauli conversionem in qua non solum in agnum et predicatorem, simul etiam in maximum apostolum mutatus est. Mirantur omnes hanc Pauli conversionem et peccatores plurimum in Domino confidunt: « quis desperet ultra pro magnitudine cuiuslibet criminis, quandoquidem Saulum audiat adhuc spirantem minarum et cædis in discipulis Domini, subito factum vas electionis? quis dicat, iniquitatis pondere pressus, assurgere jam ad studia meliora non valeo, quando in ipso itinere, quo sanguinem sitiens christianum, dirum toto pectore virus efflabat persecutor crude-

lissimus, in fidelissimum repente mutatus est predicatorem? (S. Bern. s. de conc. S. P.)». De Dei misericordia non desperent peccatores; verum totis viribus laborent, ut perfecte cum divo Paulo convertantur. Non salvantur peccatores, qui non convertantur: nisi conversi fueritis, non intrabitis in regnum cælorum (Matt. 8, 3); itaque, o peccator, convertere ad Dominum Deum tuum; convertere totaliter et perfecte: muta vitam, dum vivis in hac vita; ita convertaris, ut totaliter et perfecte vitam immutes, sicut D. Paulus, cujus conversio fuit perfecta. Videamus nunc conversionis ejus circumstantias.

III PARS.

Conversionis D. Pauli circumstantiæ.

Cum D. Pauli conversio a Deo et ab Ecclesia omnibus in exemplum peccatoribus proponatur, non parvæ erit utilitatis, si mirabiles conversionis ejus circumstantias propalemus, ut in conversionis ejus modo et circumstantiis quilibet peccator conversionis suæ formam et prototypum videat. Dicendum Paulum conversum esse sincere, prompte et constanter: 1. conversus est sincere; ecce primam conversionis ejus circumstantiam; 2. conversus est prompte; ecce secundam; 3. conversus est constanter; ecce tertiam.

1. Tunc vera et sincera non ficta dicitur peccatoris conversio, cum cor suum inclinat ad faciendum quicquid Deo placuerit. Sicut enim a Deo avertitur peccator id operando quod Deo non placet, ita et vera, sen sincera ejus est conversio, cum ad omne, quod Deo placet, perficiendum movetur; conversio peccatoris vera tunc est, cum ad Creatoris sui beneplacitum reducitur (S. Greg. in 1 Reg. 2, 1). Quam ergo sincera dicenda sancti Pauli conversio, qui cum Christi vocem audivit, protinus dixit: Domine, quid me vis facere? (Act. 9), seu, ut explicat Hugo cardinalis: Domine indica

voluntatem tuam et obediam; Domine manifesta mihi, quæ sit voluntas tua, quia ita conversus sum, ut paratum sit cor meum ad faciendum quidquid volueris: *Domine paratus sum in omnibus tibi obedire* (Lyranus hic). Ante conversionem tacite secum dicebat Paulus: *Domine, quod non vis, faciam*; modo sic vere et sincere convertitur, ut in omnibus ad Dei voluntati obtemperandum sit paratus: *Domine quid me vis facere?* Ante conversionem, non quæ Christi, verum quæ propriæ voluntatis erant faciebat; post eam prompto animo Christo dicit: *non mea, sed tua fiat voluntas*; seu, quod idem est, *Domine, quid me vis facere?* O vera et sincera Pauli conversio! quam pauci autem peccatores eum imitantur: quam pauci ad Deum vere et sincere convertuntur! multi externa quedam conversionis signa edunt, in corde tamen et voluntate nulla habetur conversio. Multi sua confitentur peccata, Ecclesias circumveniunt, prædicationibus pluries intersunt, interdum jejunant et aliis nonnullis penitentiae operibus vacant; intrinsecus vero iidem semper remanent, propositum non mutant, nec unquam propriam et malignam suam destruunt voluntatem, ut voluntatis divinæ se conforment. O qualem conversionem! quæ quidem prorsus fictam se prodit, quia conversio sincera fit primo in corde et voluntate. O peccator, si ad Deum tuum vere et sincere converti velis, conversio tua incipiat a voluntate, ita quod relicta propria, divinæ te conformes, dicens eum D. Paulo: *Domine, quid me vis facere?* Jamvero conversio D. Pauli sincera, fuit etiam prompta.

2. Postquam ad Christum vere et sincere conversus est Paulus, ingressus est civitatem Damascum in qua quidam erat discipulus, nomine Ananias, cui dixit in visu Dominus: *surge et vade in vicum, qui vocatur rectus et quære in domo Jude Saulum nomine Tharsensem*. Timebat illo ire Ananias, ideo respondit: *Domine, audiivi a multis de viro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis in Jerusalem et hic habet potestatem a principibus sacerdotum alligandi omnes, qui invocant nomen tuum*. Cui Christus: *vade, quoniam vas electionis est mihi iste*; quasi diceret: ne timeas Anania, quia iste totaliter con-

versus est: iste non amplius vas perditionis, est vas electionis: iste antea vas plenum iræ et furoris adversus fideles, nunc est *vas altum per contemptum temporalis substantiæ, vas clarum et lucidum per donum sapientiæ; vas purum per donum continentiæ; vas solidum per donum patientiæ* (S. Bonav. serm. 2 de conc. S. P.). O mirabilem conversionem! quanto antem tempore facta sit inquiramus: distulit ne diu a Christo vocatus ad ipsum converti? nequaquam: subito enim ad ipsum conversus dixit: *Domine, quid me vis facere?* Non dixit Christo vocanti: Domine, tunc convertar cum insenuero, vel cum de rebus meis disposuero; repente ad eum conversus est: *aversus quippe a fide quam castabat, repente est ad illum gratia potentiore conversus* (Tertull. de præd. Ss.). Ita prompta ejus extitit conversio, ut in momento ad Christum conversus sit: *in momento cor Pauli hostile, sibi subditum, amicum et obsequens effectit* (S. August. ubi sup.). O prompta S. Pauli conversio! o quam felices peccatores illi, qui eum imitantur! *felicem illum, qui Paulo similis extiterit!* (Tert. ad uxor). Paulus non procrastinavit, nec suam in futurum conversionem distulit; non dixit: convertar cras, vel post aliquot dies; subito Deo se totaliter devovit dicens: *Domine, quid me vis facere?* O peccatores Paulum imitamini; ne tardetis ad Deum converti: *non tardes converti ad Dominum et ne differas de die in diem* (Eccl. 5). Non tardes, inquit S. Petrus Damiani, *sed intra cito in portum conversionis, ne te tardantem repentini opprimant casus, ne te inopinatæ mortis absorbeat fluctus et æstuantis gehennæ deglutiat barathrum* (ep. 3). Hæc sunt rationes, quibus S. Petrus Damiani peccatores ad non ulterius suam differendam conversionem movet; nunc nova nobis proponitur ratio, nempe S. Pauli exemplum; si enim ille conversus est prompte, ad instar illius omnes prorsus peccatores prompte converti oporteret. Felices illi qui eum imitati conversionem suam non distulerint: *felicem illum, qui Paulo similis extiterit*. Demum conversio Pauli fuit etiam constans et firma.

3. Multos reperire est peccatores, qui ut luna mutantur, transeuntes saepe a peccati cœno ad gratiæ statum et a gratiæ vita ad mortem peccati; nunc convertuntur et mox in pristina reincidunt peccata: hodie continentur et cras sua resumunt scelera: hi in circuitu ambulant, a peccato scilicet in confessionem et a confessione in peccatum: *impit in circuitu ambulant* (Psal. 13). Hujusmodi conversiones saepe nullæ et sæpius inutiles evadunt. *Nulla est conversio peccatoris, si concorsus perseverantia careat boni operis*, inquit S. Gregorius (in 1. Reg. 5. 4); et ut ait D. Augustinus, *inanis est poenitentia, quam sequens inquinat culpa: frequenter peccans et lugens, via boniam meretur*. Hujusmodi autem non extitit sancti Pauli conversio; ipse a peccato non surrexit, ut in illud iterum laboretur; hic ad Christi fidem non est conversus, ut deinde ab illa descisceret; toto vitæ suæ tempore in fide, in honorum operum exercitio et in prædicatione Evangelii constantissime perseveravit. Imo ita constans ejus extitit conversio, ut semper meliora æmulatus charismata, semperque de virtute in virtutem iterit: immediate enim post conversionem in Synagoga prædicavit Jesum esse Filium Dei, et deinde nomen ejus coram Gentibus et regibus et filiis Israël magnanimiter petarvit; tandem ita profecit, ut factus sit *Doctor Gentium et litigatæ orbis; nihilque omiserit pro salute discipulorum*, inquit Chrysostomus (hom. 3. sup. Gen.); imo fateri licet cum eodem Chrysostomo, ita constantem fuisse Pauli conversionem, ut non solum in pristinos errores non sit relapsus; verum et toto post conversionem tempore fuerit *terrestris angelus, ecclesiæ homo, Sancti Spiritus receptaculum zelo incomparabilis, charitate magnus, Ecclesiarum Dei sollicitus curator, orator pietatis, imbecillum deductor et credentium pronubus* (hom. 22 ad pop.). O mirabilem Pauli conversionem, quæ quidem omnium conversionum est forma: *hic plane, fratres, perfecta conversionis est forma* (S. Ber. ser. 1 de conv. S. P.). Paulum igitur imitantes, non solum sincere et prompte, etiam constanter et perseveranter convertimini. *Lava a malitia cor tuum, Jerusalem, ut salva fias*

(Jer. 4, 14); atvero lava illud sincere, lava prompte et lava constanter. Conversio hominis peccatoris præterita et futura respicit peccata: *præterita*, quæ debet vero et prompte delere; *futura*, quæ debet constanter vitare: *poenitentia est, præterita mala plangere et plangenda iterum non committere* (S. Gregor. ho. 44 in Ecceag.); sincere ergo, prompte et constanter ad Deum convertimini cum D. Paulo, ut aliquando cum eo in cœlo regnetis. Amen.

DE SANCTO FRANCISCO SALESI.

CONCIO UNICA.

Faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Elie unum (Matth. 17, 4).

Tabernaculum mobile, quo utebantur Judæi, erat sanctuarium quoddam, instar templi mobilis ex lignis setim fabricatum, quod varia in loca circumgestabatur et in quo Deus oracula edebat, hominibusque multa beneficia impartiebatur. Sanctus Franciscus Salesius tabernaculum sanctitatis, templumque Deo gratissimum pariter extitit: quod tabernaculum, non solum mobile, verum et indesinenter spiritu Dei motum et agitatum fuit; divino etenim hoc spiritu motus vir ille sanctissimus, Parisios, Romam, Genevæ et alia multa loca percurrit, ubique sanctitatis suæ exempla reliquit, sapientiæ divinæ oracula ubique protulit, cunctisque hominibus catholicis et hæreticis, religiosis et secularibus, magnatibus et plebeis benefacere non destitit. Tabernaculum materiale, quod circumferebant Judæi, dicebatur tabernaculum *testimonii et fœderis*: similiter S. Franciscus Salesius fuit tabernaculum *testimonii*, quia in acade-

3. Multos reperire est peccatores, qui ut luna mutantur, transeuntes saepe a peccati cœno ad gratiæ statum et a gratiæ vita ad mortem peccati; nunc convertuntur et mox in pristina reincidunt peccata: hodie continentur et cras sua resumunt scelera: hi in circuitu ambulant, a peccato scilicet in confessionem et a confessione in peccatum: *impit in circuitu ambulant* (Psal. 13). Hujusmodi conversiones saepe nullæ et sæpius inutiles evadunt. *Nulla est conversio peccatoris, si concorsus perseverantia careat boni operis*, inquit S. Gregorius (in 1. Reg. 5. 4); et ut ait D. Augustinus, *inanis est poenitentia, quam sequens inquinat culpa: frequenter peccans et lugens, via boniam meretur*. Hujusmodi autem non extitit sancti Pauli conversio; ipse a peccato non surrexit, ut in illud iterum laboretur; hic ad Christi fidem non est conversus, ut deinde ab illa descisceret; toto vitæ suæ tempore in fide, in honorum operum exercitio et in prædicatione Evangelii constantissime perseveravit. Imo ita constans ejus extitit conversio, ut semper meliora æmulatus charismata, semperque de virtute in virtutem iterit: immediate enim post conversionem in Synagoga prædicavit Jesum esse Filium Dei, et deinde nomen ejus coram Gentibus et regibus et filiis Israël magnanimiter petarvit; tandem ita profecit, ut factus sit *Doctor Gentium et litigatæ orbis; nihilque omiserit pro salute discipulorum*, inquit Chrysostomus (hom. 3. sup. Gen.); imo fateri licet cum eodem Chrysostomo, ita constantem fuisse Pauli conversionem, ut non solum in pristinos errores non sit relapsus; verum et toto post conversionem tempore fuerit *terrestris angelus, ecclesiæ homo, Sancti Spiritus receptaculum zelo incomparabilis, charitate magnus, Ecclesiarum Dei sollicitus curator, orator pietatis, imbecillum deductor et credentium pronubus* (hom. 22 ad pop.). O mirabilem Pauli conversionem, quæ quidem omnium conversionum est forma: *hic plane, fratres, perfecta conversionis est forma* (S. Ber. ser. 1 de conv. S. P.). Paulum igitur imitantes, non solum sincere et prompte, etiam constanter et perseveranter convertimini. *Lava a malitia cor tuum, Jerusalem, ut salva fias*

(Jer. 4, 14); atvero lava illud sincere, lava prompte et lava constanter. Conversio hominis peccatoris præterita et futura respicit peccata: *præterita*, quæ debet vero et prompte delere; *futura*, quæ debet constanter vitare: *poenitentia est, præterita mala plangere et plangenda iterum non committere* (S. Gregor. ho. 44 in Ecceag.); sincere ergo, prompte et constanter ad Deum convertimini cum D. Paulo, ut aliquando cum eo in cœlo regnetis. Amen.

DE SANCTO FRANCISCO SALESI.

CONCIO UNICA.

Faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Elie unum (Matth. 17, 4).

Tabernaculum mobile, quo utebantur Judæi, erat sanctuarium quoddam, instar templi mobilis ex lignis setim fabricatum, quod varia in loca circumgestabatur et in quo Deus oracula edebat, hominibusque multa beneficia impartiebatur. Sanctus Franciscus Salesius tabernaculum sanctitatis, templumque Deo gratissimum pariter extitit: quod tabernaculum, non solum mobile, verum et indesinenter spiritu Dei motum et agitatum fuit; divino etenim hoc spiritu motus vir ille sanctissimus, Parisiis, Romam, Genevæ et alia multa loca percurrit, ubique sanctitatis suæ exempla reliquit, sapientiæ divinæ oracula ubique protulit, cunctisque hominibus catholicis et hæreticis, religiosis et secularibus, magnatibus et plebeis benefacere non destitit. Tabernaculum materiale, quod circumferebant Judæi, dicebatur tabernaculum *testimonii et fœderis*: similiter S. Franciscus Salesius fuit tabernaculum *testimonii*, quia in acade-

mis, in Ecclesiis et in privatis colloquiis gloriosa de divinitate et de vera religione testimonia dixit; fuit etiam tabernaculum *federis*, quia multos hereticos Ecclesie et innumeros alios peccatores Deo reconciliavit. Uno verbo Franciscus Salesius mirabile extitit tabernaculum, in quo Christi, Moysis et Elie spiritus requievit, ut videbimus. *Ace.*

Christus, Moyses et Elias multiplices quidem, eoque sancto fuere Spiritu animati; si vero qualis in eorum quolibet spiritus prefulserit, investigare liceat, dicam, quod saltem in externa specie, precelluerit in Christo spiritus sapientie, in *Moyse* spiritus mansuetudinis, et in *Elia* spiritus zeli. In Christo eluxit potissimum spiritus sapientie, quia licet in summo gradu omnes virtutes et perfectiones possederit, in eo tamen pre omnibus aliis emicuisse videtur sapientia, que tanta extitit, ut mundi sapientiam reprobarerit et quasi annihilaverit: *perdam sapientiam sapientium et prudentiam prudentium reprobo* (1 Cor. 1, 19). In Moyse effulsit precipue spiritus mansuetudinis, quia omnium hominum erat mitissimus: *erat enim Moyse vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra* (Num. 12, 3). In Elia tandem prefulsit spiritus zeli, quia fuit vir zelantissimus, qui zelo glorie Dei quam maxime succedebatur: *zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum* (3 Reg. 19, 10). Ecce triplicem spiritum, Christi, Moysis et Elie; tabernacula iis convenientia quis inveniet? unicum pro tribus assigno, sanctum Franciscum Salesium scilicet, qui fuit tabernaculum, in quo quidem non Christus, Moyses et Elias, ast eorum spiritus inhabitavit; sanctissimus enim hic Antistes sapientissimus, mitissimus et zelantissimus extitit; *fuit sapientissimus*, ecce spiritum Christi; *fuit mitissimus*, ecce spiritum Moysis; *fuit zelantissimus*, ecce spiritum Elie. Sanctus Franciscus Salesius habuit 1. spiritum sapientie; 2. spiritum mansuetudinis; 3. spiritum zeli.

I PARS.

S. Franciscus Salesius habuit spiritum sapientie.

Non paucos invenire est, quorum tota sapientia in male agendo consistit; sciunt proximum conculare, pecunias congregare, innocentes opprimere, virgines stuprare, aliaque mala perpetrare; Deum honorare, proximum diligere, pauperibus pecunias erogare, aliisque bonis operibus incumbere nesciunt: *sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nesciunt* (Jer. 4, 22). Hujusmodi nomine sapientes dici possunt, revera sunt stultissimi, quia *in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis* (Sap. 1, 4). De stulta hac sapientia disserens S. Bernardinus, eam triplicem esse adnotat, terrenam unam, animaleam aliam et aliam diabolicam (ser. *de stigm.*): *terrena*, inquit, est in cupidis et in avaris: *animalis* in voluptuosis et luxuriosis: *diabolica* in superbis et elatis. *Avari* terrenam habent sapientiam, qua ad bona temporalia per fas et nefas acquirenda diriguntur: *voluptuosi* possident sapientiam animaleam et carnalem, qua, non secus ac bruta, carnis illecebris obsequuntur; *superbi* inflantur sapientia diabolica, qua ad honores ambiendos et ad acquirendas seculi dignitates summo affectu moventur. O qualem sapientiam, seu potius qualem stultitiam! O quales sapientes, qui dicantur sapientes, cum nihil de sapientia habeant; sed stultitia summa pleni existant! (S. Bonav. serm. de S. Greg.). Hi sunt sapientes stulti et stulti sapientes: hi habentur sapientes apud aliquos homines, qui eos estimant; apud Deum non sapientes, imo stultissimi sunt: *sapientia enim hujus mundi, stultitia est apud Deum* (1 Cor. 3). Multiplicem hanc sapientiam quam Christus damnavit, verbis etiam et operibus reproboavit S. Franciscus Salesius; in eo locum non invenit sapientia terrena, cum sibi oblata pluries recusaverit, propria largissime pauperibus distribuere et spretis terrenis

omnibus spiritualia et aeterna bona solummodo ambiert. In ipso non extitit sapientia animalis, cum mulieres, illum ad carnalia provocantes, non semel fugaverit et virginitatem, quam Deo voverat, religiosa servaverit: ipse etiam sapientia diabolica superborum non fuit inflatus, cum se episcopatu et omni honore indignum censorit, seque ab omnibus contemni appetierit. Ipse tandem omnem sive a mundo, sive a carne, sive a demone inspiratam procul ablegavit sapientiam. Procul abfuit ab ipso sapientia impiorum, dum iustorum et amicorum Dei sapientiam quam tum in concionibus ad populum habitis; tum in literis quas scripsit, tum in privatis colloquiis, potissimum propalavit. Coelestem suam sapientiam predicando maxime manifestavit Christus: spiritu enim prophético de illo dixit Salomon: *nunquid non sapientia clamitat et prudentia dat vocem suam? in summis, excelsisque verticibus super viam, in mediis semitis stans, juxta portas civitatis, in ipsis foribus loquitur, dicens: o cirti, ad vos clamito et vox mea ad filios hominum. Audite, quoniam de rebus magnis locutura sum* (Prov. 8, 1). Christus utique sapientia fuit incarnata, quæ in montibus, in vallibus, in mediis semitis et juxta portas civitatis Jerosolymitanæ clamavit, ac de magnis profecto rebus predicavit, nempe de regno cælorum, de fide, charitate et de aliis rebus maximis, tantaque cum sapientia locutus est Christus, ut omnes eum audientes mirarentur: *mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ejus* (Luc. 4, 22): tanta etiam cum sapientia predicavit, ut destructo satanæ regno totum ad se mundum converterit: *ecce mundus totus post eum abiit* (Joan. 12, 19). O mirabilem Christi sapientiam! cujus quidem participes fuit S. Franciscus Salesius, qui clamitavit: et vocem suam dedit in summis Sabaudie montibus, in mediis semitis, juxta portas civitatis Genevensis, in ipsis hujus et aliarum multarum civitatum foribus, ubi tot pereximia suæ sapientiæ emisit radios, ut omnes eum predicantem mirarentur et non quidem totum mundum, sed ad minus septuaginta Hæreticorum millia ad Christi fidem converterit. Mirabilem hanc sapientiam, quam inter concionandum eructabat S. Franciscus Salesius,

adhuc in libris ejus loquentem audimus, quibus, licet defunctus, ad corda hominum adhuc loquitur: ibi ejus videtur et legitur sapientia, quæ totum volavit per orbem, sive in literis quas misit, sive in aliis operibus ad pietatem spectantibus, quæ composuit; in quibus omnibus specialis quædam elucet et gustatur sapientia, quæ in aliorum authorum libris haud æquæ reperitur. Unde sicut inter Sacræ Scripturæ libros quidam dicuntur *sapientiales*, quia in iis specialis quidam fulget sapientiæ Spiritus, ita inter varios Doctorum libros *sapientiales* specialiter appellandi videntur, quos scripsit S. Franciscus Salesius, quia in iis tanta rutilat sapientia, ut non sit qui eos non demiretur et qui in iis pervolutandis non delectetur. Ibi miratur quisque sapientiam, quæ hæreticos debellat, induratos emollit et desides urget, ibi novum et industrum modum peccatores a via iniquitatis avocandi et ad viam justitiæ ducendi, confessarios docet: ibi regularibus et secularibus, magnatibus et plebeis, conjugatis et virginibus salutis et omnis perfectionis viam tanta cum sapientia et dexteritate aperit, ut omnes ad illam capessendam alliciat: ibi tandem invenitur sapientia tam excelsa, sublimis, et pretiosa, ut terrenis omnibus thesauris sit præferenda: *melior est enim sapientia cunctis pretiosissimis et omne desiderabile et non potest comparari* (Prov. 8, 11). Non solum in concionibus et libris, verum et in privatis colloquiis, necnon in præclaris et argutis responsis sancti Francisci Salesii enituit sapientia; os ejus semper meditabatur sapientiam; lingua ejus in judicio sermones disponebat et ne unicuique proferebat verbum quod limitatum et sapienter ponderatum non fuerit. Ut homines a mundi amore averteret, dicere solebat: *cui Deus totum est, ei mundus nihil est*. Ut eos ad Deum ardentem amandum alliceret, dicebat: *natura cor nostrum ita parvum fecit, ut ad Deum debite amandum minime sufficiat: sed si non pro meritis, saltem pro viribus eum amemus*. Ut eum satanas ad desperandum de salute moveret, illi suadere conatus est, quod esset de numero reproborum, cui ille sapientissime respondit: *si tanta mea sit infelicitas, ut Deum in celo non sim visurus et anaturus, eum saltem omnibus vive*

meo momentis toto corde diligam. Cum ad ipsū fustibus armati properant infensissimi quidam ejus hostes, eum interficere portentantes, dixit: *lignum non timet verus christianus a tempore quo Christus in ligno nostram operatus est salutem.* Cum quidam eum purpura dignum proclamaret, respondit: *pro Christo mori et meo sanguine purpurari optarem.* Cum infirmaretur ad mortem et quo in loco corpus suum sepeliri optaret, ejus inquirerent amici, respondit: *illud chirurgis in anatomiam dari volo, ut si in vita fuerit inutile, saltem post mortem alio rei inseruiat.* Sciunt omnes, quod in conversatione letari permitteret, modo *nihil contra Deum.* Pervia sunt alia multa ejus oracula, quibus in illo ita celestis sapientia spiritus rutilabat, ut quotquot eum audiebant, mirarentur, suspicerent et ad Deum omnis sapientie auctorem glorificandum moverentur. O mirabilem sancti hujus sapientiam! O quam perfecte super eum requievit spiritus sapientie! ad multos nunquam venit et in pluribus nunquam hic requiescit spiritus; ad sanctum Franciscum Salesium vere venit et constanter super eum requievit: *requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientie et intellectus* (Isa. 11, 2). O utinam in omnibus hominibus sanctus hic requiesceret Spiritus! quin heu! multi sanctam hanc parvipendunt et repellunt sapientiam, ut stultam, mundanam et diabolicam impiorum sapientiam sectentur. O quam infelices qui ita sapiunt! eos certe et eorum sapientiam disperdet Dominus: *perdam sapientiam sapientium.* Idcirco stultam hanc sapientiam procul pellite et celestem totis conatibus inquirete. Audite vere sapientia Doctorem cuilibet vestrum dicentem: *stude sapientie, fili mi* (Prov. 27); vel audite sanctum Augustinum clamantem: *venite mortales ad studium sapientie, magnus hic fructus est; quid enim homini sapientia charius? venite igitur ut sapientes sitis,* et ut talem obtinere valeatis sapientiam, a Dei timore incipite; timete Dominum, ut saltem sapere incipiat: sic enim ait propheta: *initium sapientie timor Domini* (Ps. 110). Procul ergo omnia peccata pellite et Deum timentes ad altam sapientiam obtinendam totis conatibus contendite. A

Deo supplices petite, ut ad vos veniat spiritus sapientie, sicut ad S. Franciscum Salesium venit; *ad quem etiam venit spiritus mansuetudinis.*

II PARS.

S. Franciscus Salesius habuit spiritum mansuetudinis.

Quamvis primum inter virtutes locum non teneat mansuetudo, in magnis tamen viris nil ea laudabilius: *nihil laudabilius, nihil magno et praeclaro viro dignius placabilitate atque clementia* (Cicer. de Offic. 1). Hæc virtus in magnatibus laudabilis homines christianos in primis decet: *multa quidem sunt virtutes, quæ christianum decet, maxime autem mansuetudo* (S. Chrysa. ser. de mansuet.). Præclara hæc virtus, quæ homines hominibus amabiles efficit, eos etiam Deo pergratos et amabiles reddit: *nihil Deo tam gratum, tam amabile est, quam mitis anima et mansueta* (Id. hom. 3 de penit.). Mirabilis et amabilis hæc virtus, quæ in sanctis pluribus commendatur, in sancto Francisco Salesio speciali quodam modo effulsit; hæc ei quasi innata erat (1); hæc et a collo data tanta cum perfectione possidebat, ut tanquam verus Dei servus litigare nesciret, seque erga omnes mansuetum exhiberet: *servum Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes* (2 Tim. 2, 24). Ad eam omnis conditionis, omnisque sexus innumere accurrebant persona; diversi diversa ab eo postulabant, et ipse omnibus subveniebat, omnibusque satisfacerebat: ipsi peccatores indurati et scandalosi eum propitium et benevolum experiebantur; cumque aliqui ex

(1) Forte authoris etate non adeo pervulgata erat Salesii vita, quo fieri potuit ut ignoret, quomodo hic sanctus longo octodecimo annorum spatio, ut ipse fassus est, certare debuisse ad superandum suum characterem ad fratrem primum, ac nonnisi post ardua certamina sic eum violasse, ut omnium mansuetissimus audiret, et a naturitate mansuetudinem prestulisse videretur. N. E.

ejus familiaribus ad durius se habendum erga hujusmodi homines eum sollicitarent, respondit sanctus pontifex: *malo poenitentes efficere, quam desperatos: peccare non possum si me peccatoribus facilem et tractabilem præbeam, cum Christus erga paralyticum, Magdalenam et mulierem adulterio deprehensam se misericordem, benignum et mansuetum exhibuerit.* Cum Seraphicus Bonaventura ministri generalis fungeretur officio, infirmis, laicis, humilibusque quibusvis fratribus magna mansuetudinis suæ dabat testimonia, et iis præcipue qui ab Ordinis disciplina desciverant, aut qui seraphicam deseruerant militiam, quos ad se venientes benigne et charitative recipiebat, totis visceribus amplexabatur, tantaque erga eos charitate et clementia utebatur, ut non defuerint, qui in Capitalis tam generalibus, quam provincialibus id vitio plane ipsi objectarint; quos sæpenumero verbis gravissimis coarguit, dicens, se velle miserum et aberrantium parentem, periculumque esse, et misericordia patientiaque benigne atque utiliter ad omnium salutem se semper usurum. Seraphicum hunc Doctorem Seraphicus Franciscus Salesius hac in parte imitatus est et forte superavit: non enim solum regibus et principibus, verum et parvulis, miseris et peccatoribus quibusque fait tractabilis, cum iis libens conversabatur, eorum querelas recipiebat, infirmitates rimabatur, peccata audiebat, et erga eos ita se benignum exhibebat, ut non pauci murmurarent, quod erga peccatores se benigniorem præberet. Ipse tamen semper benignior ferebat, et magna quam præfererat benignitate ad meliorem vite frugem revocabat et salvabat quos alii nimio rigore exasperassent et in desperationem forte provocassent. Unde de sancto Francisco Salesio dicere possumus quod de Paulo Chrysostomus; quod scilicet *omnes amabat sic ut genuisset, quin etiam majorem præseferbat charitatem, quam quævis pater* (Proem. in ep. ad Rom.). Salesius enim, qui omnes paternaliter prosequabatur amore, ab omnibus pater vocabatur, et veluti pius pater erga omnes benigne se habebat, præcipue erga peccatores, qui ad ipsum veniebant, quos tamquam pater benignissimus summo affectu amplexabatur. Cum

filius prodigus, qui dissipaverat substantiam suam vivendo luxurioso, ad patrem penitens rediit non illi prodigalitas acerbis verbis fuit impropinata: sed cum adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius, et misericordia motus est, et accurrens cecidit super collum ejus, et osculatus est eum (Luc. 15, 20). Huic patri Salesius similes fieri optabat omnes confessarios respectu hominum peccatorum ad eos penitentia causa venientium; nolebat, ut eos dure et acerbè reciperent, verum quod veluti patres erga eos benigni essent et misericordes. Quod et ipse opere complevit: non enim solum pauperes et infirmos, etiam quoslibet peccatores, quantumvis ignaros, induratos et enormibus peccatis gravatos benignissime recipiebat; illos corripiebat in spiritu lenitatis (ad Gal. 6.); illos arguebat, obsecrabat et increpabat in omni patientia (2 Tim. 4.). Dixit Dominus ad Moysen et Aaron, non quod percuterent et confunderent petram, sed quod loquerentur ad petram: loquimini ad petram et illa dabit aquas (Num. 20, 8); Moyses autem elevans manum, bis virga petram percussit, in quo illum peccasse ait Lyranus, quia transgressus est verbum Domini, qui ei non percutere, sed loqui ad petram dixerat. Similiter non vult Deus confessarios in sacramentali judicio radium, ignarorum, pauperum et induratorum siccæ, aridæ et saxæ corda asperæ increpationis et impatientia virga ferire et percutere; vult solum eos loqui ad petram, seu quod peccatoribus suaviter et benigne loquantur, quod iis dicant verba lenis instructionis, quodque per verba dulcissima, mellita et e corde mansueto manantia eos ad doloris aquas et veræ contritionis lacrymas effundendas pertrahant. Nonnulli tamen confessarii ita morosi, anxii, iracundi et difficiles acerbiter, ut peccatores verbis durioribus et increpationibus acerbioribus percutiant, exasperent et aliquando ad desperationem moveant. Atvero non sic S. Franciscus Salesius, cujus mansuetudo erga omnes magna, erga peccatores erat maxima: ipsos ut filios charissimos recipiebat: ipsos conviciis et increpationibus exacerbare verebatur, verbis lenibus alliciebat, omnibusque se ita facilem et suavem præbebat, ut omnes ad illum accederent confidenter,

omnes prudenti ejus directioni se subderent facilliter; omnesque ejus consiliis et ejus mansuetudine ad fundendas lacrymas, ad valedicendum peccato, et Deo fideliter serviendum allicerentur. In confessariis et predicatoribus instituendis dissimiliter se habuit Christus; apostolos enim confessarios instituit suavi insufflans halitu spiritus: *insufflavit et dixit eis: accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt* (Joann. 20). Predicadores autem instituiti fuerunt inter fulgura, tonitrua et ventos vehementes: *factus est repente de caelo sonus tamquam advenientis spiritus vehementis* (Act. 2). Quod, queso, in illarum institutionum diversitate latet mysterium? Quae ratio differentiae illarum? Ratio est, quia instituens predicatores in furore tonitruum, ventique validi, manifestare voluit, quod tonando, fulminando, tremendamque Dei justitiam exaggerando se peccatoribus terribiles exhibere oporteat concionatores; confessarios vero suaviter insufflando instituit, ut demonstraret, quod confessariis, veluti patres spirituales, flatu suavi, seu benignitate sua peccatores ad jugum Christi, quod suave est, portandum adducere deberent. Non dubito quin tonuerit S. Franciscus Salesius ut concipiator; verum ut confessarius, nihil illo erat mitius, nihilque mansuetius. De ipso fertur, quod pauperem claudum et quasi paralyticum, cujus pater spiritualis erat, mellitis mulceret verbis, quodque eum propriis manibus sustentaret, ut commode et decenter peccata sua confiteretur. De muliere quadam caeca a nativitate narratur, quod eam sanctus antistes manu propria ad tribunal poenitentiale ducere soleret. Hominis etiam muti praceptor et catechista fuit, eumque docuit modum, quo licet mutus sua confiteri valerent peccata. Innumera hujusmodi referuntur exempla, quae eminentem hujus sancti charitatem et ineffabilem mansuetudinem testantur et praedicant. Unde mihi videor S. Franciscum Salesium conspicere in medio peccatorum, quasi agnum inter lupos: agnus enim videbatur mitissimus, in quo nihil ferocitatis, nihil calliditatis, nihil veneni, perfecta tantum mansuetudo apparebat. O utinam pari pollerent mansuetudine quicumque se ani-

marum regimini immiscent! utinam de quolibet illorum dici posset: *ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi!* (Joann. 1); multi vero non agni, quin potius sunt lupi feroces Christi gregem terrentes et dissipantes. Multi etiam non mundi peccata tollunt, imo ea fovunt; seque benignos et mansuetos confessarios esse censent, cum nimia indulgentia peccatores in pravis suis habitibus dormire, inveterascere et mori sinunt. O qualem mansuetudinem, quae et confessariis et peccatoribus infallibilis extat causa ruinae! toto caelo differunt mansuetudo, et nimia indulgentia; mansuetudo enim est virtus amabilis; nimia vero indulgentia est vitium perniciosum et damnabile. Mansuetudo ad obtinendam terram viventium disponit: *beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram* (Matt. 5, 5); nimia vero indulgentia viam ad infernum parat, et ad tartara ducit. Heu! quot nunc confessarii horrenda inferni patiuntur supplicia, quia laxioribus opinionibus adhærendo, erga peccatores nimium indulgentes fuerunt; ibi cremantur, ibi vociferantur, et ibi in aeternum cruciabantur, quia faciliores exitere in absolvendis peccatoribus (1). O pravam indulgentiam! o exitiosam bonitatem et facilitatem! quam quisque detestari debet, et amabili mansuetudine peccatores a via sua pessima avocare, ad instar S. Francisci Salesii, in quo fuit spiritus mansuetudinis, ac etiam *spiritus zeli*.

(1) Utinam non multo plures perocant nimia severitate! profecto Chryso-stomus mallebat de nimia indulgentia rationem reddere quam de nimia severitate. Ideo doctores et sanctiores theologi benignioribus opinionibus favent; e contra non alius spectat jansenismus nisi ut specie zeli puritatis doctrinam, ac venerationis in res sacras fideles a participatione sacramentorum areat; consequenter ad omnes corruptae naturae habenas laevadas inducat; demum in baratrum desperationis conjiciat. N. E.

III PARS.

S. Franciscus Salesius habuit spiritum zeli.

Certum est, quod nullum omnipotenti Deo tale est sacrificium, quale est zelus animarum (S. Gregor. in *Ezech.* ho. 12); nihilominus multi pastores quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi; multi non tam de animabus Christo lucrands, quam vanis honoribus comparandis et facultatibus amplandis student, multique non tam animarum, quam pecuniarum zelo fervent. Judam zelo marsupij laborasse et æstuasse dicit sanctus Gregorius Nazianzenus: *ob pecunias, inquit, fur ille zelo erga crumenam æstuat, ac Deum prodit et triginta argenteis vendit* (orat. 28). Eodem erga crumenam zelo succendebantur sacerdotes, qui templum bobus ac ovibus pollui patiebantur; multi quoque in præsentiarum hujusmodi erga crumenam zelo exæstuant, et pecuniam magis curant, quam animas. Pernicioso autem hoc non fervebat zelo sanctus Franciscus Salesius; non illum tenebat zelus lucri pecuniarum, sed lucri animarum. Tunc exinim fecisse lucrum existimabat, cum unam esset lucratis animam; tunc thesaurum opulentissimum invenisse censebat, cum perditam oriculum invenerat; tunc egregie negotiatum esse arbitrabatur, cum impium aliquem ad meliorem frugem reducerat. Probe sciebat sanctus antistes, quod *Redemptor noster a sacerdotis officio non querit aurum, sed animas* (S. Greg. ep. 28); ideo non aurum, non argentum, non gemmas in terra quæsit, *sed animas*; non vineas, non villas; aut prædia multis laboribus acquirere conatus est, *sed animas*; non urbes, non regna, aut altiores Ecclesie dignitates ambivit, *sed animas*, ad quas Christo comparandas, jejuniis, vigiliis, orationibus, prædicationibus et omnibus quibus potuit modis, continue laboravit. Flagrantissimo animarum zelo æstuat dæmon non ut illas servet, verum ut perdat, æternisque flammis mancipet; hic noctu diuque animas quærît, et inde

sinenter circuit ut animas rapiat; *tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret* (1 Petr. 5, 8); hic simul cum rege Sodomorum ait: *da mihi animas, cetera tolle tibi* (Gen. 14, 22); non aurum, non argentum, non scepra, non coronas quærît, sed animas. Heu! patieturne ovium pastor vinci se ab hoc dæmonis zelo? dum dæmon ait: *da mihi animas, cetera tolle tibi, ambulavi eam* (Job 1) ut animas rapere; invenieturne pastor qui dicat: circuiti terram et nudique cucurri, ut pecunias congregarem? pro pudor! cedit sæpe zelus pastoris zelo dæmonis, et dum dæmon ait: *da mihi animas, cetera tolle tibi*, reperiuntur pastores qui dicant, *da mihi cetera, animas tolle tibi*. S. Franciscus Salesius seraphico succensus zelo, non pecunias quærebat, non honores ambiebat, sed animas; has cupiebat, has sitiebat, harum desiderio flagrabat, et earum saluti insinenter anhelabat. Si loquebatur, verba proferebat ut mitteret in terram ignem zeli sui; si huc et illoc vagabatur, hoc agebat ut ardua quæ inspirabat zelus opera executioni mandaret; cum literas scribebat, ibi ejus lucebat zelus; sive oraret, sive prædicaret, sive cum hominibus confabularetur, ardentis zeli semper flammam emittebat: zelus tandem ejus erat *sicut ignis qui comburit silvam, et sicut flamma comburens montes* (Ps. 82, 13); in mediis enim silvis zelo tabescebat, et sicut alter Jothas, *manibus et pedibus reptans* (1 Reg. 14) altissimos montes et asperrimas rupes conscendebat, ut errantes animas ad ovile Christi revocaret. Nec satis erat sancto huic Antistiti, zelo salutis animarum suo regimini commissarum continue ardere: non enim suæ Diocesis finibus ejus claudebatur zelus, ad omnes orbis terrarum partes extendebatur: omnium quippe hominum salutem optabat, et si ei licuisset, ad omnes mundi plagas volasset, ut ubique pro animarum salute totis conatibus laboraret. Interdum Angliam versus oculos et animum convertens, summo cum fervore et zelo dicebat: *Quis dabit mihi pennas sicut columbe et volabo ad hanc insulam errorum tenebris obvolutam? volabo ad magnam civitatem Londinum, volabo ad illam Ninivem; ibi eloquar regem, eique dicam verbum Domini*. Nec tantum ad An-

giam, verum et ad omnes orbis regiones volare concupivisset, ut ubique zeli sui flammam emitteret. Unde cum fervescerentem zelantissimi hujus viri spiritum mente revolvo, ejus zelum cum inferno merito conferendum esse censeo: *dura sicut infernus emulatio* (Cant. 8). Quemadmodum enim infernus damnatis quos recipit nunquam saturatur, ita hujus sancti zelus nunquam expletur. Parum ei erat intra Genevensis Diocesis pro animarum salute laborare; pennatus enim esse voluisset, ut ad omnes orbis Dioceses migraret. Parum ei videbatur, septuaginta hereticorum millia ab inferni faucibus eripuisse; omnes penitus hereticos et infideles ab erroribus suis avocare peroptasset. Parum esse censebat, quod peccatores ad ipsum venientes reciperet: ipse omnes prorsus peccatores ad Deum convertere exoptasset. Parum tandem esse arbitrabatur, quod sacrarum virginum religionem instituisset; omnes virgines ad religionem et ad celum adducere voluisset. Nec desideria ejus vana erant et vacua, quia orationibus, vigiliis, jeuniis et omnibus, quibus poterat modis, pro omnium salute laborabat. Unde si *zelus animarum verus et perfectus est, quando aliis sanctis meditationibus, lacrymis, orationibus, vigiliis, jeuniis, predicationibus, confessionibus, consiliis, doctrinis, atque aliis bonis operibus pro salute animarum laborat* (Alb. Magn. parad. anim. 1); zelantissimum fuisse sanctum Franciscum Salesium perspicuum est, quia hæc omnia pro animarum salute indesinenter adhibuit. O utinam zelo simili accenderemur! Utinam zelo salutis animarum nostra arderent corda! *Zelo divini honoris*, inquit Dionysius Cartusianus, *ac fraternæ salutis simul semper accessi* (in c. 5 epist. Jac.). Si viderimus fratrem superbia tumidum, detractionibus assuetum, ebrietati servientem, luxuria enervatum, iracundia turbidum, aut alteri cuidam vitio addictum, studeamus, quantum facultas suppetit, eum corrumpere, castigare et ad viam salutis vocare: *unumquemque christianorum*, inquit divus Augustinus, *zelus domus Dei comedat. Verbi gratia, vides fratrem currere ad theatrum, prohibe, mone, contristare. Vides alios currere et inebriari velle, prohibe quos potes,*

tene quos potes, terre quos potes (tract. 10 in Joann.); ut scilicet eos a via perditionis avoces. Non est pensandum, salutis animarum zelum esse virtutem solis prælati convenientem; *unicuique mandavit Deus de proximo suo*. Non est dicendum: aliena peccata non curo; non aliorum, sed meam solum saluti incumbere tenor; non sic loquendum, quia de aliorum salute rationem a nobis exigit Deus, si scilicet ipsi nostra incuria perierint; quapropter, ait S. Leo, *assumite religiosæ sollicitudinis primum zelum et contra sævissimos hostes animarum omnium fidelium cura consurgat* (ser. 5 de jejun. 7 mens.). Pio succendantur zelo prælati, magnates, parentes et omnes penitus homines; imitentur S. Franciscum Salesium, qui fuit tabernaculum, in quo requievit spiritus sapientiæ, mansuetudinis et zeli; triplici hoc spiritu cum eo repleti ambiamus omnes, ut cum eo in æternis tabernaculis recipi mereamur. Amen.

EXPLICIT TOMUS SEXTUS

PARS PRIMA CONCIONUM DE SANCTIS.

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON

DE BIBLIOTECAS

giam, verum et ad omnes orbis regiones volare concupivisset, ut ubique zeli sui flammam emitteret. Unde cum ferventem zelantissimi hujus viri spiritum mente revolvo, ejus zelum cum inferno merito conferendum esse censeo: *dura sicut infernus emulatio* (Cant. 8). Quemadmodum enim infernus damnatis quos recipit nunquam saturatur, ita hujus sancti zelus nunquam expletur. Parum ei erat intra Genevensis Diocesis pro animarum salute laborare; pennatus enim esse voluisset, ut ad omnes orbis Dioceses migraret. Parum ei videbatur, septuaginta hereticorum millia ab inferni faucibus eripuisse; omnes penitus hereticos et infideles ab erroribus suis avocare peroptasset. Parum esse censebat, quod peccatores ad ipsum venientes reciperet: ipse omnes prorsus peccatores ad Deum convertere exoptasset. Parum tandem esse arbitrabatur, quod sacrarum virginum religionem instituisset; omnes virgines ad religionem et ad celum adducere voluisset. Nec desideria ejus vana erant et vacua, quia orationibus, vigiliis, jeuniis et omnibus, quibus poterat modis, pro omnium salute laborabat. Unde si *zelus animarum verus et perfectus est, quando aliis sanctis meditationibus, lacrymis, orationibus, vigiliis, jeuniis, predicationibus, confessionibus, consiliis, doctrinis, atque aliis bonis operibus pro salute animarum laborat* (Alb. Magn. parad. anim. 1); zelantissimum fuisse sanctum Franciscum Salesium perspicuum est, quia hæc omnia pro animarum salute indesinenter adhibuit. O utinam zelo simili accenderemur! Utinam zelo salutis animarum nostra arderent corda! *Zelo divini honoris*, inquit Dionysius Cartusianus, *ac fraternæ salutis simul semper accessi* (in c. 5 epist. Jac.). Si viderimus fratrem superbia tumidum, detractionibus assuetum, ebrietati servientem, luxuria enervatum, iracundia turbidum, aut alteri cuidam vitio addictum, studeamus, quantum facultas suppetit, eum corrumpere, castigare et ad viam salutis vocare: *unumquemque christianorum*, inquit divus Augustinus, *zelus domus Dei comedat. Verbi gratia, vides fratrem currere ad theatrum, prohibe, mone, contristare. Vides alios currere et inebriari velle, prohibe quos potes,*

tene quos potes, terre quos potes (tract. 10 in Joann.); ut scilicet eos a via perditionis avoces. Non est pensandum, salutis animarum zelum esse virtutem solis prælati convenientem; *unicuique mandavit Deus de proximo suo*. Non est dicendum: aliena peccata non curo; non aliorum, sed meam solum saluti incumbere tenor; non sic loquendum, quia de aliorum salute rationem a nobis exigit Deus, si scilicet ipsi nostra incuria perierint; quapropter, ait S. Leo, *assumite religiosæ sollicitudinis primum zelum et contra sævissimos hostes animarum omnium fidelium cura consurgat* (ser. 5 de jejun. 7 mens.). Pio succendantur zelo prælati, magnates, parentes et omnes penitus homines; imitentur S. Franciscum Salesium, qui fuit tabernaculum, in quo requievit spiritus sapientiæ, mansuetudinis et zeli; triplici hoc spiritu cum eo repleti ambiamus omnes, ut cum eo in æternis tabernaculis recipi mereamur. Amen.

EXPLICIT TOMUS SEXTUS

PARS PRIMA CONCIONUM DE SANCTIS.

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON

DE BIBLIOTECAS

INDEX

CONCIO PRIMA — De Sancto Andrea	pag. 1
I PARS. — In corde B. Andreae fuit motus desiderii erga crucem	2
II PARS. — In corde B. Andreae fuit motus gaudii erga crucem	6
III PARS. — In corde S. Andreae fuit motus amoris erga crucem	10
CONCIO SECUNDA — De Sancto Andrea	13
I PARS. — Crux S. Andreae fuit cathedra sui apostolatus	15
II PARS. — Crux S. Andreae fuit altare sui sacrificii	18
III PARS. — Crux S. Andreae fuit thronus sue glorie	22
CONCIO PRIMA — De Sancto Francisco Xaverio	25
I PARS. — Bona opera, quae perfecti S. Xaverius uti S. Ignatii filius	27
II PARS. — Bona opera, quae fecit S. Xaverius uti legatus apostolicus	30
III PARS. — Bona opera, quae S. Franciscus Xaverius fecit, ut Indiarum et Japoniae apostolus	34
CONCIO SECUNDA — De Sancto Francisco Xaverio	39
I PARS. — S. Franciscus Xaverius fuit lux mundi	41
II PARS. — S. Franciscus Xaverius fuit sal terrae	45
III PARS. — S. Franciscus Xaverius fuit amicus Dei	49
CONCIO UNICA — De Sancta Barbara	53
I PARS. — Gloriosa narratur de S. Barbara, dum in turri clauditur	54
II PARS. — Gloriosa narratur de S. Barbara dum ad tribunal iudicis esset	59
III PARS. — Gloriosa narratur de S. Barbara, dum in caelo recipitur	64
CONCIO UNICA — De Sancto Nicolao	69
I PARS. — S. Nicolaus fuit pater pauperum	71
II PARS. — S. Nicolaus fuit exemplar episcoporum	76
III PARS. — S. Nicolaus fuit protector afflictiorum	80
CONCIO UNICA — De Sancto Ambrosio	85
I PARS. — S. Ambrosius fuit apoculum praetorum	87
II PARS. — S. Ambrosius fuit flagellum haereticorum	91
III PARS. — S. Ambrosius fuit lanx populorum	95
CONCIO PRIMA — De Conceptione B. M. Virginis	101
I PARS. — Maria in sua conceptione fuit filia Adami, quin criminis ejus fuerit haeres	103
II PARS. — Maria in conceptione sua fuit Dei filia, quin ejus gratia fuerit privata	109
III PARS. — Maria in conceptione sua fuit filia Joachin, quin miseriarum ejus fuerit particeps	114

Index.

363

CONCIO SECUNDA — De conceptione B. M. Virginis	pag. 119
I PARS. — Maria immunitatem testatur Deus	121
II PARS. — Maria immunitatem testatur singuli	125
III PARS. — Maria immunitatem testatur Ecclesia	122
CONCIO UNICA — De Sancto Thoma apostolo	132
I PARS. — Peccatum sancti Thomae dubitantis	134
II PARS. — Felicitas S. Thomae tangenti Christi vulnera	138
III PARS. — Fides S. Thomae confidentis	143
CONCIO PRIMA — De Nativitate Christi	148
I PARS. — Praesepe est lectus Christi patientis	149
II PARS. — Praesepe est cathedra Christi docentis	154
III PARS. — Praesepe est thronus Christi regnantis	158
CONCIO SECUNDA — De Nativitate Christi	162
I PARS. — Christus nascens a nobis est amandus	163
II PARS. — Christus nascens a nobis est laudandus	168
III PARS. — Christus nascens a nobis est querendus	173
CONCIO PRIMA — De sancto Stephano	178
I PARS. — S. Stephanus pro Christo fideliter locutus est	179
II PARS. — S. Stephanus pro Christo constanter passus est	184
III PARS. — S. Stephanus Christum fideliter imitatus est	187
CONCIO SECUNDA — De sancto Stephano	190
I PARS. — S. Stephanus ab inimicis juvene passus est	192
II PARS. — S. Stephanus pro inimicis ferenter deprecatus est	197
III PARS. — S. Stephanus inimicos prolixiter offendit	201
CONCIO PRIMA — De Sancto Joanne Evangelista	205
I PARS. — Christus Joannem dilexit amore liberali	206
II PARS. — Christus Joannem dilexit amore sincero	211
III PARS. — Christus Joannem dilexit amore constanti	215
CONCIO SECUNDA — De Sancto Joanne Evangelista	219
I PARS. — S. Joannes fuit discipulus, qui mysteria altissimi penetravit	221
II PARS. — S. Joannes fuit Apostolus, qui ardentissime Christum amavit	225
III PARS. — S. Joannes fuit Pastor vigilantissimus, qui sollicite regem curavit	229
CONCIO PRIMA — De Sanctis Innocentibus	234
I PARS. — Herodis injustitia	236
II PARS. — Satallitum crudelitas	240
III PARS. — Puerorum felicitas	243
CONCIO SECUNDA — De Sanctis Innocentibus	250
I PARS. — Innocentes in India sunt martyres admirabiles	251
II PARS. — Innocentes in Iymbis fiere promissores gratissimi	256
III PARS. — Innocentes in caelo sunt sancti privilegiati	260

CONCIO PRIMA — De circuncisione Christi	pag. 265
I PARS. — In circuncisione Christus vocatur JESUS; est quod miremur	266
II PARS. — In circuncisione Christus fundit sanguinem; est quod ardeamus	272
III PARS. — In circuncisione Christus virtutes elicit; est quod imitemur	276
CONCIO SECUNDA — De circuncisione Christi	281
I PARS. — Absciden-da sunt omnia peccata gladio penitentiae	283
II PARS. — Absciden-di sunt affectus ad peccatum gladio meditationis	286
III PARS. — Circunciden-di sunt motus inordinati carnis nostrae gladio mortificationis	289
CONCIO PRIMA — In festo Epiphaniae	293
I PARS. — Reges Magi Christum agnoscent in Oriente, unde proficiuntur	294
II PARS. — Reges Magi Christum praedicant in urbe Jerusalem, qua transeunt	297
III PARS. — Reges Magi Christum honorant in spelunca Bethlehemitica, quam ingrediuntur	302
CONCIO SECUNDA — In festo Epiphaniae	305
I PARS. — Triumphat Christus de idololatria, quia Reges Magi in ipsum credunt	307
II PARS. — Triumphat Christus de mundi sapientia, quia Reges Magi ad ipsum vadunt	311
III PARS. — Triumphat Christus de regia majestate, quia Reges Magi coram illo proci-dunt	315
CONCIO UNICA — De Sancto Antonio Abbate	318
I PARS. — Sancti Antonii certamen fuit gloriosum	320
II PARS. — Sancti Antonii cursus fuit perfectus	325
III PARS. — Sancti Antonii 666 fuit admirabilis	329
CONCIO UNICA — De conversione Sancti Pauli	333
I PARS. — Conversionis D. Pauli principia	335
II PARS. — Conversionis D. Pauli perfectio	338
III PARS. — Conversionis D. Pauli circumstantiae	343
CONCIO UNICA — De Sancto Francisco Salesio	347
I PARS. — S. Franciscus Salesius habuit spiritum sapientiae	349
II PARS. — S. Franciscus Salesius habuit spiritum mansuetudinis	353
III PARS. — S. Franciscus Salesius habuit spiritum zeli	358

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DE BIBLIOTECAS

®

